
OCTAUIJ FERRARIJ PROLUSIONES VIGINTISEX. EPISTOLAE. ET FORMULAE AD...

Ottavio 1602-1682 Ferrari





OCTAVII FERRARII OPERA VARIA.



OCTAVII FERRARII

Prolusiones Vigintisex.

EPISTOLÆ.

ET

FORMVLÆ AD CAPIENDA DOCTORIS Insignia.

ITEM VARIÆ INSCRIPTIONES.

Editio altera auctior & emendatior.



PATAVII, MDCLXVIII.

Typis Heredum Pauli Frambotti, Bibliop.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRISS. ET GENEROSISS. D.

D. IOANNI LANDO

PATRICIO VENETO



Petrus Maria Frambottus Felicitatem.



NVnquam ego Nominis tui fulgorem, blandam Senatus ſpem, magnum Venetæ rei incrementum, typis meis præſcribere auſus fuiſſem, niſi ſcriptoris haud obſcuri, cuius monumenta recudo, fama, ſpem feciſſet, qualecunq; munus fore tibi non ingratum. Cum tu, & iudicio, quo polles acerrimo, atque interioris literaturæ ſtudio minime vulgari, rem ſuis momentis æſtimare, & humanitate, qua præſtas, muneri pretium, ac dignationem addere poſſis. Ego vero vna, eademq; opera te

† 3 ipſum

ipſum , & auctorem demereri cupiam, qui nulli magis, quam tibi, labores ſuos nuncupari optat, ſeque olim in familiæ tuæ cenſum adſcriptum gloriatur: fideque ac pietate in eandem, nemini mortalium concedit: maximis aui tui Hieronymi beneficijs cumulatus, ac pene obrutus. Quem virum, virtutis ac fortunæ dotibus ſpectatiſsimum, perque omnes honorum gradus, conſtanti ſapientiæ, atq; integritatis fama euectum, legationibus, ac præfecturis ſemper ſibi ſimilem, Patauini Gymnaſij Moderatorem beneficentiſsimum, immature ereptum, publica res luget, poſteritas omnis loquetur. Grande quidem ſolatium, conſtanſque voti fiducia, tanti aui merita, exceſſurum te: ſicut eundem, roſea

oris

oris dignitate, animi vigore, perpetuo de cunctis benemerendi studio, munificentia, comitate, & flagrantissima apud omnes gratia regeneras. Vtique atauorum gloriæ non decessurus. Petri Principis, pietate, ac iustitia cum paucis comparandi. Francisci, Romana dibapha radiantis. Hieronymi, qui Patriarchali trabeę decus addidisse visus est. Trium Archiepiscoporum, Petri, Ioannis, & Andreæ, lituo, & apice, sed magis sanctitate præfulgentium. Demum, ne omnes gentis fastos euoluam, Antonij D. Marci Procuratoris, & Venetarum copiarum cum summo Imperio tertium legati. Quorum imaginibus licet ita premaris, vt nihil eorum titulis accedere posse videatur, aliquid tamen maius & ex-

celsius

celſius à te patria expectat. Patere igitur Oratoris non indiſerti, quique facundiam magnis Regibus, ac Veneto Senatui, qui conſeſſus eſt Regum, approbauit, meditamenta literaria tibi inſcribi, quę eloquentiam tuam, non tam inſtruant, quam oblectent, eruditi otij diuerticula, curarum lenimenta. Dumq; auctor, vt non vnum nomen diſpungat, aliquid te dignum molitur, paratis in anteceſſum fruere. Nam ille, ſi tibi placuerit, omne punctum tuliſſe ſibi videbitur: ego non ignobili propagandæ hominum memorię artificio, quam cæteris polliceor nominis perennitatem, tibi vni acceptam referam. Vale.

Pat. ex Typogr. noſtro VI. Cal. Iunias MDCLXVIII.

INDEX PROLVSIONVM.

Mu-

INDEX PROLVSIONVM.

SYLLABVS EPISTOLARVM.

Do-

Leo-

OCTA-

OCTAVII FERRARII

DE VENETÆ AC PATAVINÆ Vrbis Laudibus.

PROLVSIO I.

VOD votis omnibus ab immortali Deo precatus fueram N. N. vt officium, operamque meam aliquando illi Reip. deferrem, cui Italiæ pars magna libertatem, ſcientiæ, ac diſciplinæ lucem ſpiritumque, Vniuerſus Orbis vnicum debet libertatis exemplum: id hodierna die ſupra ſpem quoque euenit cum in hoc ſapientiæ, ac literarum Prytanæum vocatus ſum, vt magna Senatorũ, magna Principum incrementa mitioribus ſtudijs ad humanitatem, maioriſque fortunæ cultum informarem. Nam quid aut ego maius dextro pede concipere potuiſſem, quàm in eum ſplendorem adſciſci, vt in celeberrimo totius Europæ Gymnaſio immortalitati operarer? Aut præſtabilius Auguſtiſſimæ Reip. ex tenuitate mea commodare, quàm numeroſam eius ſpem, ſubolemque regnaturam ijs præceptis imbuere, quibus nominis æternitatem ſibi compararet, ſicut æternam libertatem maiorum beneficio, conſilio, ac viribus ab ſuperis impetraſſet?

Sed per hanc felicitatis imaginem velut quadrigis vehentem tranſuerſa in me fata irruerunt, grauique, ac diutino morbo in mortem fractum, penè ab tanta ſpe deiecêre, vt Apollinis ſacra aditurus non tam ſtudijs, quàm ægris corporibus propitium eius Numen experirer. Ita tardè, imò pe-

nè iam sero ad has Musarum, humanitatisque vestræ Aras votorum compos ingentis lætitiæ causas expediam, quod in hanc Vrbem, in hanc Academiam ab sapientissimis, ac felicissimis mortalium vocatus sim: beneficiumque recensendo ita ex soluam, vt magis quid ego debeam, quam qui soluendo sim intelligatis.

Non sine causa mihi gratulor A. continuò enim gestienti animo magna huiusce Vrbis decora obuersantur. Proxima cęlestibus origo, & ex Troiæ Halosi affines Romanæ rei conditores: Reip. post homines natos florentissimæ decus, ex qua literæ, ac disciplinæ non per Italiam modo, sed per vniuersum Orbem sunt propagatæ. Nam ne princeps quidem terrarum Orbis populus illaque Imperij sedes, ac domiciliũ Roma augustiora primordia aut optauit, aut habuit, quàm quæ ex Pergami excidio, Asiæque pollentis ruente Imperio, pandentibus viam fatis per decantata vatibus maria, vastosque terrarum tractus sunt constituta. Cum clarissimi Duces Regio sanguine, alter pietate, alter hospitij fide inclitus eadem in terrâ Ilij ruinas repararent, atque eodem præsagio vterque summum Imperium genti suæ auguraretur. Sed diuerso prorsus exitu, postquam Orbis domitrix Vrbs, primo libertatem, post barbarorum præda, ac ludibrium cum libertate Imperium amisit. Hæc ciuitas modestis initijs, nec porrecta ad vtrumque solem regnandi libidine, licet non vt illa gentes omnes more fulminis corripuit, ac debellauit, totius tamen Orbis in tantum decus insurgentis viribus par, & mox superior Venetæ Reip. auspicijs, ac viribus, eiusdem mitissimo Imperio, ac maximis libertatis bonis est recreata. Imò antiquiora vobis Romana gentę primordia fuisse, nemo potest ignorare, qui obnoxium licet Romuli nepotibus vatem audiet non dissimulantem

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui

Hic

Hic tamen ille Vrbem Pataui, sedesque locauit
Teucrorum & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit.

Hic igitur primo Danaum reliquiæ longi erroris finem posuêre, quo tempore cæteri cum fatis simul, atque vndis luctarentur: & antequam in Orbis Imperium, septemque colles Lauinium, atque Alba excresceret, huius Vrbis fundaméta augusto augurio sunt posita: vt voluentibus annis Vrbs altera in maris non Coloniam, sed Imperium deduceretur, quæ vt olim Troia Deorum manu mœnita fixum vestigium in instabili elemento firmaret, solaque non Italiæ modo sed Europæ Vrbium, concusso perpetuis bellis Orbe, alta pace frueretur, atque intactam ab origine per omne æuum libertatem, in seruientis Italiæ vel pudorem, vel solatium incredibili laude conseruaret. Quid enim diuinius Veneta Republica, aut superi terris commodare, aut homines optare potuerunt? Ad quam condendam non pastorius grex, non flagitijs onerata colluuies, non facinorum omnium Asylum, sed vetustissimæ nobilitatis (quod olim de se Athenienses iactarunt) eodem solo editæ cætus confluxit: in qua exornanda contendisse virtus, ac fortuna videntur. Et vt cæteris penè partibus cum Romana maiestate contendat, ita libertate, qua nihil maius in terris esse constat, multo antecellit. Illa veterum liberarum Vrbium vicisse gloriam ferebatur, quæ fato, vel vitijs tandem fatiscentes ita interiêre, vt tenuis tantum earum memoria ad nos peruenerit. Quò veteres Athenæ? quo fortis Lacedæmon? quo æmula Carthago cessistis?

O faciles dare summa Deos, eademque tueri
Difficiles!

Donec ipsa quoque Romana Resp. magnitudine laborans sua, senescente cum viribus maiestate incubuit sibi, ac pudendo obsequio vnius familiæ mancipium facta, prolapsa paulisper, attritaque & veluti repetente partes suas Orbe,

ac reddente clades misere hinc inde lacerata, sola iam Numinis sacrorumque maiestate tuetur vetustæ dignitatis fugitiuam memoriam. Veneta Respublica victis intestinis discordijs, quæ pulcherrima Imperia labefecerunt, externis bellis toties appetita non ab barbarorum modo vi, atque impetu, sed penè dixerim oculis intactam pudicitiam suam conseruauit, dilapsaque Cœlo non Ancylia, sed æternæ libertatis secreta pignora tam sedulo custodiuit, vt libertas eadem omnibus expulsa terris olimque fugata, hic stabile solium, sedemque perpetuo constituerit. Vetus parens Troia armatam Græciam decennio sustinuit, vt maiore casu fracta collaberetur: Hæc exteris gentibus in eius perniciem conspirantibus non suis modo sedibus excitam Germaniam, (quis credat?) Sed Gallos, sed Hispanos, pudet dicere Italiam quoque suam liuoris stimulis agitatam eodem tempore hac in Vrbe excepit, & repulit, seque solam inaudita fortitudine libertate dignam Dijs ostendit, quæ in turpe seruitium deiectum Orbem, tracturum se in eandem aleam libertatis admonuit, atque a male sana cupiditate prodigiosa vi absterruit. Iactet vsque ad fastidium Græcia mendax Thermopylarum angustias contra immensos exercitus a paucis seruatas, Romanæ rei laudatores adstrepant, exigua manu fusas ingentes hostium copias, reperient nusquam vnam Vrbem irruentis Orbis furore non victam, non territam, amisso continentis Imperio vt maiori laude illud reciperet augustiorem ex cladibus emersisse. Cætera huius Reip. decora atque inaudita facinora recensere non huius loci est, non huius ingenij, consumpta iam, atque exhausta Oratorum facundia, ipsisque hostibus in laudem, atque admirationem pulcherrimi Imperij conuersis. Illud vnum addam, rem Venetam hoc etiam Romana præstitisse, quod licet vtraque acerrimos libertatis custodes tulerit, Veneta tanquam solum nullius malæ arboris patiens illas libertatis pestes, illa Reip. venena respuens nullos Cæsares tulit, aluitque, qui pessimo exemplo publicam

vim

vim sibi, ac postremo barbaris manciparunt. Factiosorum ciuium immodica potentia, quorum alter parem, alter superiorem ferre non poterat, atque hinc supergressa ciuilem modum Magni auctoritas, illinc Gallico robore, sexagintaque triumphis inflata ducis eius virtus, qui regnandi causa violari posse Ius credidit, faces fuêre quibus correpta Romana Resp. miserabili incendio conflagrauit. Imbuti cædè Philippi: cognatæ acies: bellum sine hoste: & nobiliores Cannis Pharsalici campi cum Repub. libertatem pessum dedêre. Et depulsum foret pulcherrimo facinore crudum adhuc seruitium, quum, qui armatos exercitus solo aspectu exterruerat togatorum victima libertati cecidit: nisi labentis Reip. fato Augustus non armis, ac viribus, sed annona, sed largitione morientis libertatis extremas reliquias expugnasset. Quæ ideo ex diuerticulo retuli vt comparatione dissimili Reip. Venetæ virtus, ac fortuna enitesceret, quæ viribus suis non succumbens, longa licet felicitate, & indulgentia fortunæ affluente voluptatum copia, luxu tamen, ac vitijs expulsis, quîs maxima Imperia corruerunt, iras ciuiles in hostes vertit, ciues autem eos tulit, quibus semper libertatis amore vilior vita fuit, ac domi forisque illæsa, plusquam ciuilia agitantes vel non habuit, vel e medio opportune sustulit. Illa enim propria huius Reip. nec cum alijs communia habita sũt, prudentiæ, ac consiliorum præstantia, quibus magis quam viribus æternitas libertati conciliata est. Non Areopagus, non Ephori, non Curia Quirinalis quidquam sibi huius laudis possunt vindicare.

Hæc a me leniter perstricta ac delibata minima pars laudum est Venetæ Reip. decoris ingenijs nunquam satis memoratæ, licet æquis semper præconijs ab maioribus, vel quæ recens ætas cumulatiora inuenit, fuerit exornata. Eò enim Oratio nostra spectat, tenditque, quod instituti nostri, huiusque loci proprium magis videtur, quamobrem mihi lætandum sit, quod in hoc Gymnasium ab musarum Triumuiris,

ſtudiorumque Moderatoribus Ampliſſimis ſim cooptatus. Reliqua enim huius, ac Venetæ Vrbis decora adexteros quoslibet viſuros magna naturæ, artiſque miracula pertinere poſſunt, hoc eorum beneficium peculiare eſt, quicumque in hac Academia animorum cultum accipiunt feruntque. Hîc igitur Reſp. non Imperio modo Veneto, ſed Europæ, atque Orbi vniuerſo ludum aperuit, propeque inter mortuas literas ab barbarorum ſepulchris excitauit. Hîc inquam conſtituit diſciplinarum omnium officinam, in qua præclara ingenia ad æternam famam excuduntur. Inſtructiſſimum armamentarium, ex quo omne telorum genus debellandis ignorantiæ monſtris, ac producendo bonarum artium pomærio depromitur. Religioſiſsimum Delubrum, ad quod Aeternitatis monumenta Doctores appendunt. Scientiarum emporium celeberrimum, in quo vltro, citroque commeantes ciues, & aduenæ ſtudijs ac laboribus immortalitatem negotiantur. Nobilem palæſtram ex cuius Vmbratili exercitatione in Cęlum ac Solem quotidie clariſſima ingenia producuntur. Aerarium muſarum ditiſſimum, vnde immenſas ingenij opes, qui illud intrarunt ſolent reportare. Fatalem equum fortibus viris ſemper fœtum, non excidio Troiæ, ſed mortalium ſaluti diuina Palladis arte ædificatum. Famæ Theatrum pulcherrimum, in quo ſpectator Orbis vniuerſus vario dramate omnium ſcientiarum Actoribus multiplici ſcena applaudit. Sapientiæ Muſeum inclitum, quo bonæ literæ conuolarunt. Apollinis oraculum certiſſimum vnde reſponſa, ac ſortes Senatus populuſque literatorum petit. Poſtremo Mineruæ ſacrarium ſanctiſſimum in quo literarij Regni fatale Palladium auita Religione conſeruatur. Nam cum artes omnes, ac diſciplinæ Italia terra pulſæ vel oberrarent, vel barbarorum irruptionibus eſſent exitio proximæ, tutiſſimum in hac Vrbe Aſylum inuenerunt, vbi ſe dum fœda tempeſtas deſæuiret furori ſubducerent, mox recreatæ reliquis Vrbibus hoc præſidio, atque ornamento deſtitutis diſtribuerentur.

tur. O te beatam Vrbem nullique seculo silendam, quæ nisi profugas literas hospitio excepisses, totque ærumnis propè expirantes vitæ, ac luci reddidisses, extrema barbaries cuncta miserè defœdasset. Deductæ hinc in alias partes scientiæ: euocati amplissimis præmijs maximi viri: inuitatæ exteræ gẽtes benignitate hospitij: comitate, atque originis gloria terrarum Orbis allectus. Sed propè miraculo est, sapientissimorum hominum in hac Academia felicissimus omni ætate prouentus, vt facilius, sit doctum virum quàm hominem inuenire. Hi Musarum mystæ arcana sapientiæ euulgant, Orbemque scientiarum dum singuli symbolas conferunt, perfectè absoluunt. Cum tamen plerique profiteri scientias omnes possint, munusque singulorum adimplere. Quandonam communicatæ facilius per interpretes doctissimos mortalibus res diuinæ? An vnquam religiosius Astræa fuit exculta? Vbi nam Hygia salusque benignius mortales respexerunt? Nunquam maiori certè apparatu producta e latebris suis sapientia. Vbi vero lætius flexanima dicendi vis se circumspexit? At quam belle circumducta deterso squalore vetustas! Quam facilè reconditæ artes, linguarumque cognitio multiplex euulgata! Et veteres quidem Academiæ pari cum rebus publicis fortuna inuolutæ solum nomen ac memoriam sui conseruãt: hæc vetusta origine perennat, stabitque donec literæ, donec homines erunt. Idem enim siue fatum siue bellorum rabies quæ florentissima Imperia, quæ Resp. & Vrbes maximas strauit Gymnasijs etiam exitio fuit, quæ magnis ruinis sunt contumulata. Alias Vrbes potentior hostis conuellit: hæc intestinis discordijs consumpta est: illam æmulatio mutuis cladibus attriuit, luxus pessundedit, otium tabefecit, squalor ac barbaries miserè deformauit. Quid Patauinæ Academiæ timendum est, quæ æternæ libertatis fundamentis est imposita? Florentes quondam, ipsiusque sapientiæ vestigijs sacratæ Athenæ Atticæ in loco vbi fuere quærũtur, Romanum nomen cum studijs literarum intercidit. Hic mutuo ad im-

mortalitatem Reip., sacra literarum peraguntur, & literarum perpetuitati libertatis mysteria operantur. Valeant igitur antiqua Gymnasia, atque hoc decus erudiendi humani generis Patauio concedant. Huc subolem gentesque Regesque & Latium mittat, vt ex hoc veluti Oceano vberes lymphæ dimanent, queis irrigatus Orbis literarum, fœcunditati excolatur. Huc ferox Germania armorum gloria Orbis Imperio Romanisque Aquilis digna. Huc victrix semper, ac triumphatrix Gallia, huc rigidi Septentrionis tractus iuuentam Martio spiritu plenam mittat, vt initiati bellis animi felicissimo Italiæ genio, literisque mansuescant, referantque postmodum ad suos amorem erga hanc Vrbem studiorum suorum altricem, ac maximæ Reip. coniunctam admirationi memoriam, quæ nullis sumptibus, nullis laboribus parcit, vt hîc iure constitutum literis Regnum, conseruatæ scientiæ dissеminatæ artes, ac disciplinæ dicantur.

Me verò quanto efferi gaudio par est, qui in huius gloriæ laudem, ac partem sim allectus? Nonne si quid ingenij in me est, aut exercitationis, id omne obsequijs vestris addicere æquum fuit? Nonne vires, ac spiritum beneficentissimæ Vrbi, & nunquam interituræ gloriæ huius Gymnasij Moderatoribus consecrare, non labores omnes, ac postremo vitam ipsam impendere? Cum præterea ad huius diei hilaritatem augendam velut de industria lætitiæ causas cumulante fortuna illud quoque accedat, quòd duo Clarissima Veneti Senatus lumina Zacharias Sagredus, & Io. Barbadicus Gymnasium hoc maiestate sua impleuerint. Qui autem viri Deus immortalis! Magnæ fortunæ præsidijs omnibus, atque ornamentis instructissimi, omni regnantium arte exculti, digni prorsus tanto Imperio, & quorum vultu Venetæ Reip. maiestas emineat, vt purpuratorum patrum dignitatem, ac grauitatem comitatis plenissimam in eorumdem ore liceat intueri. Sed parcam extrema Oratione magnas laudes exordiri, nam quidquid dixero minus erit. Cum præterea omnis Reip. laus

a me

à me leniter designata in vos redundet vniuersa, qui illius pars magna estis quotidieque egregiis factis eiusdem, ac seculi gloriam exornatis. Sospitet vos præpotens Deus, Rei bonoque publico incolumes, atque non degeneraturos à tanta gloria liberos fortunet. Tam prolixa enim humanitate effecistis, vt quantum vobis debeam animo complectar persequi Oratione non possim. Dixi.

VINCENTIO CAPELLO.
IOANNI NANNIO.
ANGELO EQVITI CONTARENO
Patauini Gymnasij Moderatoribus.

OCTAVIVS FERRARIVS FEL.

HAnc Venetæ, ac Patauinæ Vrbis laudationem Nomini Vestro Amplissimo consecrare ausus sum, quod ea qualiscunque demum esset vobis, debebatur. Vestris auspicijs concepta, vestrum primo Cœlum hauserat, vestra demum humanitate educta, atque ornata superbæ auris fastidium lucemque pati posse videbatur. Præterea cum Augustissimæ Reip. verissimas laudes strictim exequitur, vestrum decus dissimulare non potest, qui vt omnia vno verbo complectar in eum Senatum allecti estis, quem iure Regum consessum appellaret ille, vbi nullum tamen est Regnum: vbi mortales Magistratus sunt, Libertas æterna, qua Vos Italiæ vltimus verusque sanguis mortalium felicissimi viuitis, imò propter quam. Patauini verò Gymnasii decora non ad vos redeunt vniuersa? Qui constituendæ Reip. Literariæ Triumuiri creati hanc Vestram Academiã, non accito modo, quod vsquam egregium, ac laudabile est, collustratis: sed immortalibus vestris in patriam, atque in rem literariam meritis, ac propè diuina humanitate admirabilem Orbi redditis.

Ita

Ita cum vestrō consilio ac virtute domi, forisque Resp. vteretur eloquentiam quoq; adprobauit cum voce vestra apud Maximos Reges loqueretur. Amant ergo vos Musæ, quod eas in intima Ciuilis prudentiæ admittitis, nostraq; demum studia sibi placent, quum ad excolendas regnantium artes adsciscuntur. Neque ego vereor, ne hæc assentandi libidine a me dici videātur: nam & vos omni laude maiores estis: & nos iis locis esse gloriamur vbi rara felicitate sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.

Valete Patauii Non. Feb. M. DC. XXXV.

APOLLO TVAM FIDEM
Prolusio II.

D. M. S.
Et
Aeternæ Memoriæ
Dominici Molini Senatoris Veneti.

HOc vnum Apollinis infelicitati deerat, vt tu Heros magne desertis rebus humanis ad superos recederes, & si non tecum natas, at tecum interituras in Italia literas exitio tuo traheres. Tu mora fatorum: te stante stetit musarum Regnum: ad te Apollo Magnus quondam & arcitenens post Cælo terrisque iactatus confugerat, & strenuè fatali inertiæ obluctabatur. Quo nunc se vertat infelix quique in exitu tuo omnia mala coniunxit? Exilio assuetus deseret auitum solum sedemque barbara in terra quæret? Hos funebres fortunæ ludos memoriæ tuæ sacrare placuit, simulque seculi liuorem, ac maciem viuentes inferias,

Et dignas funere Magni

dare, quodque in terris moranti destinaram præstare extincto. Quid enim attinuit Regibus, Regumque filijs Musarum

præ

præsidem sistere? Ab Regibus ille seruiliter semper exceptus est, nosq; nolumus sub Apollinis schema pudorem mendicantem protrudere, ac per eius infortunia ignauiæ assentari. Seruire nunquam didicimus, vtique postquam in hæc libertatis regna tuis auspicijs inducti sumus. Sis bonus ò felixq; tuis. Tua Cœlo recepta mens miserrimo faueat, consiliorumque, & operum memoria regat, qui solus effecisti ne hic vt olim Romæ Apollinem vel Tortorem vel tortum haberemus, non vbique infelicem. Fremat liuor non semper post fata quiescens, plus ne tibi publica res an literaria debeat incertum est, vtraque plurimum debet. Salue, æternumque Vale.

PROLVSIO.

FOrtunæ ludus impotens, ac peruicax vt cetera rerum humanarum pro libidine temperat, ita literas, ac disciplinas perpetuo exercet, & vexat, doctosq; homines adeo insectatur & premit, vt laborum, ac vigiliarum id vnum pretium ferant, quòd inter acerbissimas contumelias extrema rerum egestate sæpè spiritum effundant, omnibus certè risum debeant, ac ludibrium. Quid seculo inuidiam facere præstat & veteris recentisque ætatis memoriam onerando doctorum calamitatem citare in luctum? Communis omniũ conditio est quicunque amant bonam mentem, vt eos diuitiæ, & opes oderint. Hi sordido ministerio ægre famem propulsarunt: hos squalore oblitos sordes exederunt: illi nocturnam puteis operam locarunt, quam interdiu nobilioribus sapientiæ lymphis præstarent. Quid in pistrinum redactos loquar molamque versantes, & quasi cum fatorum malignitate diuiderent, diem fortunæ, noctem Musis partiario impendentes? Quid qui in ergastulo seruile opus fecerunt? Quot sine lare, & tecto sub dio abnoctantes & tegetis vicem Cœlo opertos inopia extinxit? Quot humani generis

neris conſpiratione oppreſſi ſunt, nec ſaltem miti obitu calamitatibus exempti? Hi gladios iugulis infecerunt: illi ingentibus animis exitum intercluſère: hi non ſuffecêre lacerantibus: iſti ne fame perirent damnatum ſpiritum inedia eliſerunt: hos dira potio abſtulit: illi libertatem ab incifis venis impetrarunt: quoſdam fluctus hauſère: ceteri lucem peroſi infelices animas ab triſtiſſimo domicilio igne, ferro, & cruciatibus expulerunt.

Fatum, fatum literatorum eſt, quod literarum parens, ac Deus Apollo & expreſſit, & triſti exemplo tranſmiſit ad poſteros, Deus licet, neque ex minutis, ac capite cenſis, ingenio egregiè ad miſeriam natus, ad extremam egeſtatem redactus, & in omni ſuſcepto negotio infeliciſſimus. Ferunt enim eius alumni ac clientes poetæ, poſtquam Aeſculapius opaca barba parente ſuo venerabilior, quòd refractis mortis repagulis infernæ dominationis arcana, ac parcarum decreta reſoluere auſus eſſet, fulmine vita deiectus eſt, orbitatis dolore amentem Apollinem, & parenti Ioui nequicquam obiratum, vltionis ſolatium in Cyclopas, qui tonanti fulmen parauerant vertiſſe, iiſque necatis Vulcani fabricam feciſſe vacuam.

Ex canduit enimuero Iupiter, & diu multumque dubitauit, an in Tartara ſiderum moderatorem abſtruderet. Sed Deorum precibus placatus, ſatis habuit impoſita capitis diminutione in exilium pellere, vt non tam ſolum verteret, quam Cœlum, & depoſita diuinitate inter homines doctæ poſteritatis infelicitatem auſpicaretur. Ita in terras deportatus eſt adhuc filium lugens Apollo, imbellis, profugus humanæ ac diuinæ opis egentiſſimus. Quid ageret malis omnibus addictus quæcumque mortalium ſortem conſequuntur? quo ſe verteret homo novus, & qui licet vno obtutu totum Orbem luſtraret, nil niſi calamitates ſuas, & exilii miſerias contueretur? Nullam artem nouerat, & licet Aeſculapius id excogitaſſet, quo quis facile animarum ne-

gotia-

gotiatione vna cum Libitina ditesceret, omen tamen, & malorum originem exhorrescebat, iamque vna litera plusquam medicus erat. Nondum Themidis templum intrauerat in quo responsa redderet, quæ nec ipse intelligeret, nondumq; positis Romæ ædibus inter forensia pecora cultus fuerat. Ex literis solam poesim didicerat, idest paupertatis & esuritionum magistram. Quid expectamus? Regii pecoris magistro mercede operam addixit, & pecudum custos, ac caprimulgus factus est.

Dic mihi Damata cuium pecus, an Melibæi?
Non, verum Aegonis, nuper mihi tradidit Aegon.
Infelix o semper ouis pecus!

Sic ille armenta pauit, cuius vi genitali per decidua rerum semina natura parens alitur, & vegetatur. Sic gregibus septus incessit, qui innumerabilibus comitatus sideribus mortalibus, & immortalibus lucem tulerat. Sic pauperis tugurii culmine maiestatem arctauit, cuius potestas, atque amplitudo vniuersi domicilium implebat. Sic agresti carmine siluas permulsit, qui celestium orbium diuinum melos solis Pythagoreis auditum temperauerat. Vos meliorem sortem Phœbæi mystæ expectabitis, cum Rex vester vobis præiuerit quam de rebus communibus spem conciperetis. Pastor Apollo fuit, bubulcus, bubsequa, & a Pythiis ad Nemea se contulit. Neque tamen illud crediderim tunc ob inopiã honores lauri vendere coactum, spectatosque non semel ea tempestate arietes laureatos, & laureatos boues: nam Asinorum priuilegium ad hanc diem durare creditur. Nec tam illi hoc graue fuit, quam quod œstro percitum gregem, & plusquam ciuilia cornigeri populi bella spectare cogeretur. Cum ibi tauros ad pugnam amore incensos videret: hic grandes hircos, & annosos sapienti barba cum ipso Platone certaturos, non pro vxoribus, sed de lana propria, qua parte plurimum possunt, & sunt misere contendentes. Augur enim præsagiebat quam fæda certamina alumnos suos

ma-

manerent, qui pacatum musarum regnum hostili rabie sumptisque de triuio ac lupanari maledictis essent inquietaturi. Illud etiam iniquo animo ferens, quod quoniam scripturiẽdi morbo plerique tangerentur Apollo Medicus, ac Pæan, idemque Alexicacus, & Apellens malam hanc sanare porriginem non posset.

Illud certe molestissimum accidit, quòd cum luporum ac prædonum vim a grege arcuisset ab domesticis cauere insidiis non potuit, Mercurii dolo mulctatus bobus, & arcu, quem vnum ex tot opibus secum tulerat.

Titire coge pecus, tu post carecta latebas.

Et iam tum fore diuinabat, vt hæc Spartana furtorum licentia liberime exerceretur ab suis, ac Mercurii clientibus, tam callide tamen, vt ipse Deus Index eludi posset. Id vnum solatio fuisse credi par est, quod magnum illud arcanum vel oculis vsurparet, vel animo

Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice iam croceo mutabit vellera luto
Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Et quasi nil aliud promittere posset Apollo hic Nomius, id Laomedonti fuit, quod Admeto præstiterat. Nam cum ipse, ac Neptunus patruus diurnis quæstibus paupertatem expellerent Phrygiæ Rex annua mercede sibi addixit terræ quassatorem, & regnatorem siderum. Et Neptunus quidẽ Troiæ vrbem diuina manu mœniuit.

Phœbe tu autem erranti greßu gradientes & lunatis cornibus boues pascebas
Idæ in iugis.

Sed eiusdem erat, & seruire superbo Regi, & mercede fraudari. Vbi enim (ait magnus ille senex fatorum inuidia cum suo Apolline certaturus)

Mercedis diem gratißima horæ
Attulerunt, tunc nos fraudauit mercede tota
Laomedon terribilis minatusque dimisit.

Qui

Qui vilissima hæc & nequam mancipia tantum nòn in ergastulum coniecit. Quid autem minatus est?

Tibi ille minatus est pedes & manus desuper
Et venditurum insulis in extremis
Affirmabat autem idem vtrique se abscissurum aures ferro,
Nos autem retrogradi abibamus.

Ex hoc casu discere omnes licet. Quippe ab ipso ortu tot infortuniis vexatus est, quæ non alius quàm literarum parens perferre potuisset. Obiectus calamitatibus, antequam calamitatum capax esset, interdicta luce in ipso lucis ortu, & retrusus in parentis alvum, quum Iunonis furiis agitata Latona, iratam Lucinam ferret, nec edere in lucem posset ipsius auctorem lucis. Quid cunabula loquar nusquam certa, & per instabile elementum, fluitantia? Quasi nulla tellus fixum ac stabile solum illi præbere vellet, cuius posteritas incerto lare ac sedibus esset vagatura. Quid obiectam Pythoni infantiam loquar, & pœnè serpentis ingluvie absumptū cuius asseclas malus liuor, & cum pædore tabes esset consumptura?

Saltem felices Hymenæos sensisset Deorum formosissimus.

Primus amor Phœbi Daphne.

Reliqua nouistis. Et licet verbosus amator fortunam suam, ac pastoriam vitam dissimulans caneret.

Non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
Horridus obseruo.

Fugacissimam puellam nactus non ceruam pro Virgine, sed laurum succidaneam inuenit. Plane ne vllus post illa amans ætatulæ magis, formæque, & ingenio, quam auro, & parti illi in qua miranda potentia fati, in promerendis puellarum animis confideret. Ne alterum hic Apollinis amorē loquar.

Flectit ab inuiso morientia lumina disco
Oebalius Phœbi culpa, dolorque puer.

Ob quod facinus etiam nunc poetarum natio non bene audire

dire creditur. Et ideo existimo Aegyptios Oro, qui & Sol creditus est Scarabæum sacrasse.

Fœdior eius calamitas in Coronide Nympha fuit, quam vt mitiorem Daphne sensit, sic odium Daphnis præoptasset. Nam noua nupta non contenta cœlitum pulcherrimo, ipsi de more nouo incremento tempora adauxit, vt inter flauam cæsariem & micantes radios aliquid promineret: credo ne Baccho, aut pastorum Deo inuideret. Non mediocri eorum leuamento, quos studiis intentos, ne a rerum contemplatione intempestiuè matres familias auertant, illis liberos aduersus libros ex conuentitiis patribus regerunt.

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Magis mirum est leuem hunc & vsitatum lapsum iniquo animo Phœbum tulisse, nam ex Capricorno ad Sagittarium reuolutus probrum telis vltus est, ne posteriori æuo aut exemplum deesset, aut conuicium.

Nam quòd ad liberos attinet non satiata Aesculapii casu fortuna nouo funere serenos parentis vultus inuoluit, cuius ipse instrumentum esse coactus est. Nam cum Phaëton & auriga, & incendiarius, quod

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros.

supremam Orbis Halosin accelerarer vita, & curru tonantis dextra deiectus est, quasi fatale esset Apollinis liberis sidere adflatis deflagrare. Redintegrato luctu statuit orbus & cœlebs nihil liberorum tollere, & Iuliis rogationibus ob nunciare. Inde mulierum osor factus est, ne rursus aliquid in pœnam progigneret.

Sed tristem hanc calamitatum scenam discutere videtur quòd minorum luminum regnator est, Menotyrannus, Inuictus, fons lucis, vitæ parens, & tempestatum moderator, & cetera, quæ vates excogitarunt, vt misere cadens carmē suffulcirent. Atqui hoc ipso infelicissimus est, vagus, & inquies, & incostans, se quoque fugit, & insequitur, ac veluti *molæ in pistrino adstitutus, propellitur ad incurua spatia flexuosi canatis,*

ualis, vt in orbe termini circumfluentis reciproco gressu sua recalcans vestigia vagetur errore certo. Cuius exemplo Phœbei parasiti *multiuio circuitu intorquent molas ambage varia, nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorsus instabili machinarum vertigine lucubrant peruigilem farinam*: plures *circa præsepium capita demersi contruncant moles palearum*. Sic ille & perdius, & per nox agitator vtrasque Orbis metas inuisit, nec momento quidem temporis interiungere potest, & quod est iniquissimum bonis, ac malis, imò etiam literarum hostibus lucet. Quod si tradita alteri lampade tantisper ab aurigando cessat, non cum ceteris Dijs accumbens delectatur conuiuio æquali: sed dum alii se nectare inuitant, cithara crinitus Iopas inter Musas carmina diuidit, nec aliud quam suos lunæque labores in solatium canit. *Apul. lib. 9.* *Iliad. 1. Aeni. 1*

Et tempus illi vacare creditis, quo consulentibus responsa det & per tot locis dispersa Oracula Ius humano generi vt fieri solet non tam dicat, quam inuoluat, & implicet? Præsertim cum poeticè sæpius, quam humanè respondere cogatur: idque ex tempore vt suas quoque leges, ac metra transcendat. Et quod tristissimum est tripodes, & cortinas incolit, ac furentium fœminarum anhela pectora non per os implere adigitur sed quò res occultior sit, vtero recusso infernos locos alternis ire, ac redire, miserasque antistitas secum luctantes inequitare, ac premere, totoque antro bacchantes agere, & alieno pectore insanire. At hercules illa quam sunt indigna, quod inter feras ac monstra in Cœlum relata perpetuum iter habet, & quocumque oculos vertit non tam familiares sibi quondam Arietes, & Tauros contuetur, quam Leonibus, & Vrsis, Nepis, & Cancris, Draconibus & Sagittariis velut in arena obiectum se videt, vt iam vel armenta loquatur, dum per metum, & pestes Orbem remetitur. Et indignabuntur post hac eius clientes sibi belluarum contubernium obuenisse, vt hinc feros rictus, & pallentes genas, hinc cornua, & acutas aures aspiciant, si lite- *Io. Chrysost. homil. 29 in ep. 1. ad Cor.*

rarum parens humi inter pecudes, inter monstra, & feras vitam in Cœlo degit?

Illud haud minimum malorum existimandum est, quod omnia videre, & audire in pœnam compellitur. Sic profugas toto orbe literas, aulisque & tribunalibus pulsas, musas quæstum corpore tolerantes, miserosque poetas Arcadicis heris liram personantes siccis oculis contuetur. Claudere saltem lumina, atque aures posset, nec porrecto iugulo amaras historias audire cogeretur. Semel aut iterum olim ad Thebanas epulas retro egit currum, inuoluitque tenebris diem: obduxit nunc stomacho callum, cepitque hoc illi familiare spectaculum esse, pro quo perpetuis olim tenebris Orbem damnasset. Etiam olentia ineptorum poetarum carmina legere, & audire cogitur, semperque auditor, & vexatus toties, poeta licet reponere non potest: videtque genus hoc hominum, quoties a se exire cœpit araneantibus faucibus sexcentos versus singultire, nec vllis calamitatibus compelli posse ad bonam mentem, clamatq; identidem

Disce puer virtutem ex me verosque labores
Fortunam ex alijs.

Et Delium in sublimi Orbis specula constitutum vates accusabunt vlterius, quod nimis curiosis luminibus cuncta perlustret, & arcana domorum, amorisque furta improbe rimetur? Sic Martem alieni thori subsessorem tardipedi Deo indicasse fertur, eiusque beneficio iucundum spectaculum immortalibus esse obiectum. Neque tamen id Pappiæ legis amore, a qua se nunquam infibulari vates passi sunt. Nam postquam duo illa sidera coniuncta sunt in amicitia & lecto, magnisque sub diuo testibus res comprobata est, ingenue Marti Apollo inuidet, nec satis hanc contumeliam concoquere potest, quod in Veneris matrimonio intonsus ipse, & Acerse comes distorto, & claudo posthabitus esset æterna caminorum fuligine obsito, cum sibi insuper carmina essent, quibus tantopere puellarum animi capiuntur, nisi ali-

ſi aliquæ nummos præferunt, quibus carmina, & ipſos poetas emercentur.

Hæc illi merito contigiſſe exiſtimant, quod literas vel didicerit, vel inuenerit, vt eius exemplo adoleſcentes non tã literarum, quam infelicitatis rudimenta ponerent. Sæuos ſuperos, infeſtos æquè mortales Apollo expertus eſt. Audet eum Marſyas in cantus certamen prouocare. Auritus iudex conſtituitur, qui ne expectato quidem vt deliberaſſe videretur Marſyæ litem adiudicat.

Auriculas Aſini quis non habet?

Ex eo tempore Midæ de viris doctis iudicium ferunt, & pro ſua, hoc eſt pro maiori parte pronunciant, nec a fortunæ iudicio deſciſcunt, quæ fatali præiudicio non elephanti, ſed tardiſſimæ pecudis corium laturis ſententiam circumpoſuit atque egregios viros inter ſontes numerat, imò inter damnatos.

Nec alio furiarum genere inquietantur, qui ignauiam, & perfidiam huic Deo obiectant, hancque parenti ſuo gratiã vates ingratiſſimi referunt. Quaſi non ſatis ærumnarum eſſet, niſi ab alumnis, ac poſteris impiè laceraretur. Sic Iliacis temporibus cum imbelles Diui, Deæque tenerrimæ, prælio miſcerentur, & manus contra conſererent, ſolum Apollinẽ fermè pugna abſtitiſſe commenti ſunt, & quoties certamine opus eſſet, aut Aegida concutere, aut auerſos homines inhoneſto vulnere configere, aut certè eminus iaculis rem gerere, & mollis adulteri tela in Aeacidæ corpus dirigere. Sed quid attinet hiſce diutius immorari? Quam tenues illi ſemper res fuerint, quamque fractę, ac conciſę ſatis declarant, quę heredibus ſuis mandauit, ſacraque habere, & colere iuſſit. Auguſtam illam Muſarum ſedem, ac bicipitem collem petite, illico infelicitatis veſtrę triſtia monumenta in oculos incurrent. Quid enim aliud quam antra, & rupes inuenietis, cauteſque ac dumeta, & areſcentes morientium herbarum fibras? Quis inde alimenta expediet, & gratuita

ventri supplementa dabit? Arbores sacrę, & coronaturę quam doctorum, tam ebriosorum tempora lauri, & ederę quales eruditorum spes, infrugiferę sunt, & virides, semperque parturientes nihil pariunt. Mordete laurum vaticinaturi, baccas pascite, nisi satis vobis fauces inamarescunt, ego capillum promittam, & sine lauro hariolus, vobis fame pereundum esse conijcio

Frange miser calamos, vigilataque prælia dele
Qui facis in parua sublimia carmina cella.

Tristes semper lymphę, quę lymphatos agunt poetas, ipsę Deę chorusque Musarum sterilis est, ne liberos in calamitate procreent, & ne docti lactare spes suas possint quoties Dearum infęcunditatem meminerint. Quamquam haud inscius sum quasdam clanculum aliquid genuisse & sine matrimonio puerperas factas, Orpheumque more mortalium patris incertum, solam matrem indicare potuisse. De qua tamen ipsi veteres nimis anxie controuersiam mouere. Cum alii Calliopen, alii Polihymniam, alii Menippem aut Thamiadem dixerint: siue quod nulla harum tam infelicem filiũ nosse vellet, siue vt intelligeremus omnes Musas eodem modo Virgines esse. Prorsus ille malo astro natus est, & ab sola infelicitate Apollinis filius creditus. Quem Threicia fretum cithara receptum ab se Orcus amisit quod non minora Inferis supplicia essent, quibus eruditi conflictarentur; Vt postremo inter insanientium manus laceratus posteros moneret, ne sexus sequioris iniuriam nobiliore rependerẽt.

Iam citharę & plectra, lyręque & barbiti, cantusque aridissimi, vox sunt, pręterea que nihil. Ergo quoties famelica hominum natio Parnasum cogitaueritis, famem illic habitare credite, & quoties infęcundas rupes, steriles Camęnas, tristes aquas, inanes tibias reputaueritis, toties eandem vobis ac parasitis obuenisse sortem existimate. Nam aut vobis aureum pecus laudandum esse, aut tristissimo domicęnio laborandum, semperque esuriendum. Hoc vobis supremis tabulis

bulis Apollo pater legauit.

Præter aquas Helicon, & serta lyrasque Dearum
Nil habet & magnum, sed per inane sophos.

Quid ergo omnia fato imputanda sunt? Certa rerum dispensatione credere fas est, bonę mentis comitem esse inopiam, vt aliquid singulis datum sit, & alios quidem fortuna diuitiis, alios prętantiori munere, & excelso animo cumulauerit. Nec aliud literatorum fatum est, quàm mortalium liuor, & inscitia, ac deformis ignauia. Nam postquam prona animantia segni otio, vel turpi negotio meliores dies continuarunt, ac distenti crapula ętatem lustris labefecerunt, quod reliquum est literarum accusatores doctis inuident, qui nullam voluptatis potestatem corpori suo fecerunt, quosque iuvit non vino & scortis, sed libris impallescere. Vident sibi in hominum conuentu a doctis silentium imponi, quod si pati nequeant, risum debere omnibus, nec totis diuitiis inscitię infamiam redimere posse. Eniti ad altiora non posse sciunt quibus explicandę virtutis instrumenta desunt. Magnum spiritum fortunæ angustiis premi, atque elidi, nullos sine opibus in summo stetisse, ac magna illa literarum miracula Augusti, atque Etrusci equitis liberalitati deberi. Ita aut ęrumnis omnibus deformant, aut mitissimi malunt Copriæ quam erudito aliquid largiri, canesque & scurras alere, quam doctos. Tanto expedit aliquid aliud potius quam ingenia fricare.

Hæc videt, qui cuncta videt, nec indignatur ob sacerdotes suos, non ab Rege, sed à Thersite, & vilissimis mancipijs ludibrio habitos: non arcum expedit, non sagittis Canes, Mulosque, & Asinos tollit, siue ne Orbem exhauriat, siue quod non iniquum existimat, alumnos suos tolerare, quæ ipse Inuictus pertulerit, omni infortunio vexatus, & semper Apollo infelix.

IVVENTVTIS OTIVM NEGOTIOSVM.
Prolusio III.

APud Atlantæos nulla vnquam somnia euenire rerum naturæ scriptores prodiderunt. Genium vestrum iratum habeam nisi in ea regione vitam colere velim, adeo vel scæua somnia per quietem obuersantur, vel etiam si salsa fruge expientur improspere cadunt. Ante paucos dies cum fessus rerum grabbatum pressissem.

Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem
Vique soporatum stygia super vtraque quassat
Tempora, cunctantique natantia lumina soluit.

Ibi ego mira vidi, inscita, turbulenta, & qualia mentes eorum sollicitant, qui se in cœna plusculum inuitarunt.

Videbar mihi ab Deorum Talthibio iniecta molliter manu estratis rapi, nec multo post Templi foribus adstitui, cujus vestibulo magna pars mortalium incubabat, votiuæque passim tabellæ extimum parietem vestierant. In ipso Fani meditullio Ara prominebat, cui argenteus serpens super incumbens, leni flexu medico baculo innixus, atque in orbes sinuatus benefico lumine, nec tumenti ceruice supplicũ vota excipiebat. Ventum erat ad limen, & toto templo fragor editur. Tum mirabile visu humanam faciem serpens ille induit, corpus spiris implexum explicatur in artus, ad imos pedes pallium defluit, verusque incessu patet Aesculapius. Sed mite os & florenti senecta placidum commotior animus asperauerat, oculisque vagis, & incertis toto fano quærere videbatur in quem conceptum furorem effunderet. Ille vero ipse eram. Nam vbi me stricto supercilio conspexit. Viuis etiam inquit, viuis Pharmace, & hæc delubra subire non dubitas, qui sacrilega detrahendi libidine inexpiabile facinus commiseris, contra eos inuectus,

quos

quos æquata Principibus vitæ necisque potestas reliquis mortalibus superuexit? Nam vt Astreæ ipsiusque sapientiæ sacerdotes transeam, quos in conspectu frequentiæ traduxisti, Medicos etiam sacrum genus hominum, quos nemo vnquam impune lacessiuit, habere ioco, ac ludibrio somniãs ausus es. Pro quibus meritis non te ego vitali aura deijciã, nec lumina adimam, sed eo morbi genere plectam, quo excruciatus viuas & mortem optes, funerique tuo intersis, Medicosque implores, & probes.

Dixit & irato ferijt mea lumina sistro

Ego licet frigido sudore madens vocem amiseram, ne tãmẽ in re tanta mihi deessem, audacter tam iniquam declamationem resolui. Et o inquam, superum potens, atque inferum, qui sacrata manium iura resoluis, Orcinoque thesauro addictos necquicquam inuitis fatis reuocas: siue te Epidauros coluit, siue Quirites hospitium præbent, quo nomine læsus quidue dolens supplicio destinas insontem, & in caput innoxium implacabiliter furis? Novum facinus & inauditũ! Medicos aliquot ad tribunal Musarum stiti, nec inscitiæ aut falsæ artis insimulaui, sed non semper rectè Latinè locutos dixi. Sed paucos admodum, & quos in obscuro latentes satis premit eorum fulgor, quorum nomina in honorem disputationis aduocaui. Medicus Prisciano caput fregit, cum pugnis concidit Philosophus, lacerauit Causidicus. Quid tum? Num idcirco potionem atram miscuit Medicus? num sapientiæ cultor delirauit? num præuaricatus est prudentię consultus? Non ego ex omni ordine summos ac sine controuersia præcipuos selegi, qui facinorum gloria nomen ab obliuione suum vindicarunt? Num more præficarum omnes omnino laudarem, etiam aliquos, à quibus nollem ipse laudari?

Sed fuerint illa conuicia, cum potius ingenui, ac liberales ioci haberi debuerint. Num quid ego culpandus sum, qui Nicodemi Frischlini cuius nomen quamquam religionis

causa silentio obruendum, clara tamen, & aperta voce professus sum, vt maledicentiæ suspicione exsoluerer, & plagij crimen amolirer. Quid inquam merui si huius libertatem modice castigatam in lusum huc attuli? Vapulet ille cum Prisciano suo, qui gentem tam delicatam & potentem offendit, me interpretis securitate frui æquum est.

Hæc & alia quæ libertas, & iustus dolor subijciebant proferens surdas aures verberabam. Nam vbi ille frendens auertit. Illico mihi. *Solvuntur frigore membra*, secutaque est febris ex sano suo, & noua malorum cohors incubuit, visusque sum mihi ob iocosam fabulam quintum mensem cum morbo luctari: & fortasse illa somnia non erant. Itaque sic mecum reputabam non dispar infortunium Hebræi illius adolescentis fuisse, qui quod somnium suum narrasset male à Fratribus acceptus est. Iamque spe vitæ deiectus agere cæpi pœnitentiam sermonis mei,& vt Simonides olim quod Helenam versibus lacerasset, Fratrum geminorum ira luminibus orbatus, post recantans opprobria placatis Castoribus luci redditus est, sic ego cum bonis Dijs perfricata diutius fronte Palinodiam auspicatus sum, & ad mortales eos, quos barbaros appellaueram, quîsque ob violatum Priscianum dicam grandem dixeram, pręcipuè sanctiores Philosophos omnibus reuerendos conuersus, Parcite, inquam sacra capita, parcite iuvenili audaciæ, & resipiscentem licentiam pacati excipite. Vos mortalium summi, vos vitæ, mortisque arbitri, vestra iura humanum genus reformidat, cujus bona omnia in manu vestra sita sunt, anima, corpus, opes: non modo latinè scribitis & loquimini, sed etiam facitis, & quæ vestra potentia est, Scytharum voces, ac Garamantum iure Quiritum donare potestis. Vobis ancillantur Tribunalia, patent arcana domorum, templa, theatri vicem præstant, vos ipsius diuinitatis potentes, Cœlum & astra in partes vocatis. Vos pallidus cliens adorat, ab ore vestro moriturus æger spirat: matronæ, puerique & innuptæ puel-

læ

læ morigeræ vobis sunt: vestro supercilio Orbis regitur, vestro nutu humanæ res administrantur. Nos numerus sumus, nos viles curuæque animæ, nos inops inflexaq; turba.

Vix hæc fatus eram, cum paulatim visæ sunt redire corpusculo vires, omnisque ægritudo abstergi. Et commodùm intrabat senex templum, quem ab miti, ac sereno ore, sed magis ab ingenio Carolum Sigonium, esse cognoui. Ille ad latus meum adstitit & ego te inquit saluti redditum gratulor: ceterum præferuidum hunc impetum, atque immodica libertate exsultantem compescam paulatim, ac moderabor. Quid iuvat querelis indulgere, & pulsas literas, cultumque bonarum artium indignari? An hospes adeo es, vt hæc ignores, aut tam validus vt malis obuiam ire possis? Actum est de his studijs. Latine loqui res puerilis habetur: scire literas interiores, putida & inepta; Cuncta cum supercilio traducuntur. Deinde si quis hæc studia saniori iudicio æstimet, quotus quisque paucas horas illis impendere dignatur? Eo iam seculi languor processit, vt non nisi fabulæ, & Italicæ næniæ terantur manibus, atque ille laboriosus existimetur qui semel in die ad libros respexerit, imprudens, & vitæ suę hostis qui paucis horis adhibuerit in consilium Musas. Iuventus nostra in literarum negotio quam desidet otiosa, aut in turpi otio negotiosa? Pueritia ludo teritur, aut si tradita literis, est docentium sæuitia odisse literas incipit, quæ pœnis & metu constant. Sic futuræ licentiæ irritantur ingenia, & in Academiam odium literarum ferunt, veluti pædore carceris efferati. Prætereaquia politiorum literarum initia pueri susceperunt velut pueriles curas erubescunt, atque aspernantur. Ita fugatis Musis duo damnosissima Numina in vacui possessionem veniunt Mars, Venusque & quibus largas opes fatalis hora nascentibus indulsit, literas ignobile ministerium existimant, & vmbraticam vitam. Ideo non magistri sed lanistæ dictata accepturi verum ludum petunt, in quo vbi artem necandi homines nec sine cura didi-

cerunt

cerunt rixis, ac contentione inclarescere cupiunt. Maluntque ferro mortalibus vitam adimere, quam literis a morte vindicare. Et tu illi vacare tempus existimas, vt inertes libros respiciat, atque ignauas disputationes, vbi muliercularum more penes eum victoria censetur, qui clamore plus potest?

At ille alter Dij Deæque, cuius malè sanum pectus Cupido inuasit Deus ille potens, ac famigerabilis. Furit æstuat, distrahitur miser in amoris rota. Prima formæ cura animum abducit, vt mulierculæ placeat, quæ aut errore, aut merito nimis ipsi placuit. Itaque capillum pectere curiosius, de facie in consilium ire, plusque corpori, quam animo excolendo insudare. Tota mente ibi hæret, vbi Cupidinis clauo fixus est, diesque totos, aut amicam sectatur, aut in templo improba vota tacitus nuncupat: noctu aut vagatur armatus ædesque inuisit, & foribus figit oscula, limenque lachrimis imbuit, aut domi vbi se in lectulum abiecit in dextrum modo latus incumbens, modo in sinistrum nunc supinus, aut pronus vt Pelides Patroclum lugens, inter lachrimas & suspiria longas tenebras execratur, adhucque crepera luce rapit de strato corpus, forasque proficiscitur

Quo Venus Cupidoque imperat suadetque Amor;
Si media nox est, siue est prima Vespera
Si status condictus cum hoste intercedit dies
Tamen est eundum quo imperant ingratijs.

Tu illum nocturnis chartis impalluisse existimas? Amat. Solum & ab turba segregem, fugitantem homines conspicis; Tu literarum commentatione, magnisque cogitationibus, in naturæ recessus abditum, sensibusque alienatum credis? In amoris schola delirat. Flentem sæpe videas non secus ac Homericum Heroem, atque interruptis suspirijs tacitè expostulantem: tu ingenio suo obiratum putas, quod recondita rerum non ita facile assequi, atque indagare possit. Ab

amore

amore vapulat.

Et tamen haud ſcio an minus excuſabiles ſint, qui ſolam aleam depereunt, quibuſque teſſeræ, pictæque chartulæ formoſiores videntur, quàm facies eximia, & omni ſimulachro emendatior. Itaque in hunc ludum etiam inuocati aſſidue ruunt, has fortunæ paginas, diuina, ac nocturna manu verſant, & forum aleatorium calefaciunt. Hæ ſortes ipſis, hæc oracula: verſant, miſcent, ſecant, & magno nec longo labore ad hos ſcopulos eluunt. Tunc non modo libris vacare poſſunt, ſed quandoque ipſos libros, ſacramque Muſarum ſuppelectilem diſtrahunt, totamque cum voluminibus ſapientiam mendicare apud eos cogunt, quorum cophinus, fænumque ſuppellex.

Ex iuventute igitur alios Mars abducit, alios infatuat Venus, plures dementat alea. Quid ſi eſſet aliquis vir ſtrenuus qui omnibus hiſce Dijs damnoſiſſimis ſacramentum dixiſſet? Tu literas intercidere conquereris, tu ſeculum rude & inficetum appellas? Cauſam quæris præſentis calamitatis, & ſcholarum ſolitudinem deploras? Laniſtam, & aulædum nobiliſſimis adoleſcentibus ſtipatum, Gymnaſia tanquam in peſtilentia vaſta indignaris? Et cum æs campanum truci ſonore ad faſtidium perſtrepat, aut non ex audi reuocatos, aut anguium more cum ex cantantur, ægre moliri greſſum, & nauſeabundos exedras ſubire, ex quibus quandoque magiſtros veluti oſtraciſmo depellunt.

Sed ludum ætati iſti aliquem dandum aiunt. Futurum vt deferueſcat æſtus ille impetuſque, atque immodicæ libertatis amor. Subituram cum ætate prudentiam, & melioribus annis in pretio fore literas, quas ſtulta adoleſcentia contempſerit, redituros cum libris in gratiam, laboreque & cura præteritum otium diſcuſſuros. Nugæ. Quota pars vitæ viuitur, hoc eſt literis impenditur? Vetus querela eſt, homines longo æuo minimum viuere: & magnam partem vitæ elabi male agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud

agen-

agentibus. Dimidium eius, atque eo amplius dormitur, tertiam saltem partem ludus & compotatio, curaque corporis vendicat, reliquum negotia aut propria, aut aliena subripiunt. Quam particulam studijs dabimus? Nec studijs omnibus, omnibusque disciplinis (hoc ne sperare quidem sanus audeat,) sed vni modo arti, quæ sæpe longa est ipsaque vita est breuis. Vita breuis est, nimis inuidis, & angustis terminis circumscribitur, eam nos breuiorem otio somnoque ac desidia facimus.

Monstri loco est, esse fortasse aliquos qui de breuitate vitæ queruntur, & longi temporis fastidia iactant, sicq; omne studium illo conferunt, vt tempus ipsum fallant. Siccine tempus fallendum est, quod mortales omnes nimis scitè fallit? Etiam cum bruma dies arctauit, æstiui soles pigris videntur, sæpeq; nesciunt quid agant, qui digni sunt vt nihil vnquam agant. Placet audire quomodo tempus eludatur. Eos semper excipimus, qui vel Reip. intenti, vel literis perpeti labore fugacis horæ iniurias vlciscuntur. Destertunt ad meridiem lucifugæ, & toto pectore somnum perflant. Tum longa corpusculi cura vagisque ambulationibus moram prandij fallunt. Vbi dies ad vmbilicum dimidiatus est mortuus. Consedere duces. Ibi de rebus diuinis, atque humanis cernitur. Sed aliquid temporis restat ad noctem & qualem noctem! Non ea longior fuit, qua est Hercules proseminatus. Restat modicum lucis. Egrediundum est, visundi amici, vario sermone graues horæ eludendæ. Ibi incuruo, ac librato corpore. O salue insperate, quid agitur, & quota hora est? Quale frigus pertentat artus? Quid noui affert Germania? Hinc in Pharmacopæum & tabernas librarias. Ibi senatus habetur, & quidem legitimus. Quid toto Orbe fiat primum e schedula recitatur (quis non videt fore vt Pharmacopolæ decoquant, si pax fit?) omnes rumores bellici colliguntur, prodigiosæ narrationes dissipãtur. Quid Suecus paret, in consultationem venit. Quid tandiu Breda vi-

victores Batauos moretur. An Celtæ sint Insubriam vno spiritu difflaturi. Quid trepidet aut minetur Iberus, anxia disceptatione disquiritur. Acies, prælia, duces, Vrbium obsidia, arcium expugnationes, principum supremæ necessitates, non simpliciter sed per sectas, & factiones, quîs humano generi velut in arena digladianti aut fauor commodatur, aut odium, & insectatio, & quidem ab ignauis ac bellorum expertibus, solaque lingua ferocibus. Ita & plerique in re capitali nugantur. Sic altercatione & raucis sponsionibus abit dies. Venit optata nox, quam compotatio & somnus diuidunt. Lux altera oritur, & denascitur, sic fugiunt mẽses, nouæque pergunt interire Lunæ, sic annus in se conuoluitur, & replicatur. Parcite metu boni viri nimis cito obrepet senectus non intellecta, ac tempus hoc quod vobis seculum videbatur breue momentum absumet. Non est quod quis iniectus reclinatæ ad parietem sellæ semisupinus, æstiuis caloribus flabello ventulum faciens, oscitabundus, & pandiculans & aliquid obiter canens longissimarum horarum tædium execretur, quæ nunc vobis vita senio grauis est olim cum fletu deseretur, vitaque & mors silentio iuxta æstimabitur.

Neque me ista declamatorio more in maius augere vtinam res ipsa non comprobaret. Plura optimus senex dicturus videbatur, & forsan acriora prioribus, nisi Mercurius me templo abduxisset. Tunc me somnus reliquit, iterumque natum me apud Atlantæos optaui vbi nulla somnia mortalibus visuntur.

ARTIVM AC DISCIPLINARVM AVCTIO.
Prolusio IV.

QVid in Helicone proximis literarum nudinis actum sit volo memoriæ prodere. Frustra me respiciunt quicumq;

cumque libertatis beneficium assentatione corruperunt. Scio nullum liberæ voci periculum esse, ex quo December totum annum occupauit. Certe ab inuitis confessionem exprimam, nihil à me fictum esse, nihil offensæ aut gratiæ datum. Hæc si quis quæsierit vnde sciam, cum tanto terrarum interuallo à nobis Thracia distet, vbi caballi vngulâ pro vini torrentibus vatum mentem impleturis, tristes Limphæ prosiluere, Lucianum interroget, qui se hæc omnia vidisse fatebitur, illuc à Menîppo vectum, vbi Phæbus nouemque sorores pomœrium literarum geminis collibus extendunt. Ab hoc ego quæcumque audiui certè clara affero, ita vos saluos, & felices habeam.

Anni ac studiorum initio, apud Helicona disciplinarum artiumque & literarum nundinæ peraguntur, vbi celeberrimo emporio totius literarij Orbis conuentu, scientiæ literæque interiores sub hasta veneunt, præcone Mercurio. Qua quidem re nihil illustrius, nihil celebrius accidit, cum literæ omnes, ac disciplinæ per Orbem distrahuntur, ac disseminantur: exigua pars ementium arbitrio, reliqua naturæ genio, fatalique dispositione, & incertis causis. Nam cum omnes ijs artibus dare nomen possent, vnde maius emolumentum decusque & ornamenta sperare liceret, quæque vt plurimum minus laboris, ingenij minus requirunt, non pauci tamen vltro ijs adhærent, quæ paupertatis sorores, laborum, ac vigiliarum diuites alumnis suis curtas spes, ac delusa vota, nec aliud quàm bonæ mentis solatium largiuntur.

Conuenerat huc frequens studiosorum populus, viri, senes, adolescentes, pueri etiam immaturi ab parentibus intrusi, sed præcipuè præclara iuventus scholarum ergastulis, ac magistrorum supercilio liberata exultim tanquam in orbem novum, & veræ libertatis sedem conuolauerat. Aspectu decora, & licet in immaturas minas assurgens modestiæ propior, indolem, magnasque spes parentibus & literato-

rum

rum senatui ingerebat. In medio foro stabat sublime tribunal, in quo Musæ atque earum Antistes, Patresq; literarum conscripti consederant, in quorum aspectu scientiæ ac disciplinæ à Mercurio producebantur, non priuatis emptoribus, sed magnæ multitudini distrahendæ. Exurgit præco facitq; populo audientiam. Et primo quidem rerum diuinarum scientia producta est, matrona aspectu venerabili, & quamquam ætate grandis, ore tamē adhuc vegeto, ac puellæ propiori. Luminum vigor, grauis incessus, cęrulea palla aureis sideribus interstincta, tunica purissimo candore, cultusque ipso neglectu ornatus maiestatem augebant. Et licet à primis cunabulis ad hanc vsque diem impiorum hominum, ac prauè sentientium nefarijs dogmatis vexata esset, & quotidie laceraretur, & à cultoribus quoque dissentientibus inquietaretur, eadem in ore serenitas inerat, ipsaque intra altitudinem diuinarum contemplationum abdita, defixis Cœlo luminibus desertores, & transfugas iniecto pede proculcabat. Hæc igitur omni cultu subiecta voci præconis nihil magis metuere videbatur, quam ne pretiosissima rerum à cuiusque oculis vsurparentur, quæ intra sinum abdita premebat, magnaque mystèria frustra captantibus prophanis seruabat implicita, & inuoluta. Sequebatur eam arctus ac modestus comitatus, nisi si quando disputationis æstus intumescebat: tunc rigere colla colubris videres, & abiecto miti schemate in absurdos clamores debacchari, non semper veritatis amore, sed factione, & studio sectæ, tracto etiā in partes Cœlo, anxijsq; & ambiguis de salute mortalium sententijs. Cætera viri sacrorum professione, ipsaque ætate venerabiles, paupere pallio gloriæ contemptum testatī, Regibus metuendi, superorum internuncij, salutis sequestri, ac boni quidam genij.

Conuerterat omnium in se ora diuina Virago, apparebatque non leuem emptorum numerum futurum, & Præco proclamabat, si quis Theologiam cuperet, liceretur; Sed minor

nor expectatione ementium numerus fuit. Pauci enim admodum & omnes fere ad exemplum eorum, qui ſapientiam ſectabantur ſacrarum familiarum pars, ſqualido amictu, non pauci ſine pera & loculis mendicitatem profeſſi, matronam rogabant, vt ad ſe precario diuerteret, diuites prouentus, atque opulenta ſacerdotia quibus vellet largiretur. Viſum omnibus nefas res ſacras venundari, Cœlique patrimonium pretio fœdari, ita gratis Theologia propoſita eſt. Sed hoc ipſum adſtantes alienauit, quod facile pararetur, quod lucri ſpes non affulgeret, nec liceret poſt vendere quod emptum non eſſet. Ita præter paucos admodum viros bonos ac ſimplices qui ſuſceptam matronam in tuguria & cellulas induxêre, reliqui aut impiè contemnebant, aut miſeras ſpes maximis laboribus mercari ſtultum eſſe dictitabant.

Interim magno agmine, ac nobili pompa, longaque impedimentorum oſtentatione Regina Iuriſprudentia deducta eſt, etiam in ſpeciem terribilis. Nam præter lictores turbam ſubmouentes, virgæ, ac ſecures, laqueique & vnci ferales imperio pluſquam Dictatorio præferebantur. Ipſa aſpectu mirabili purpurea chlamyde, quæ tragico ſyrmate humum verrebat nudum gladium intentans ſecum res humanas trahere videbatur. Sola tunica Reginam dedecebat: inſtar enim viliſſimi centonis nobilibus veterum Iuriſconſultorum purpuræ fragmentis, ſequioris ſeculi doctorum laceri, atque infimæ notæ verſi colores panni inæqualiter aſſuti, milleque maculis variegati turpiſſimè ſqualebant. Pleriſque etiam vana mirantibus cur Aſtræa Virgo, quæ ab ipſo Orbis naſcentis initio deſertis rebus humanis ad ſuperos receſſerat redire nunc poſtliminio ad homines non meliores vellet, à quîs toties violata, toties pulſata eſſet. Sed non multum iſta ſpectatores emptoreſque mouebant, illa magis quod ingentes opes, ſupremas dignitates, tribunalia ipſumque rerum humanarum faſtigium cum omni maioris fortunæ cultu ſtrepituque pollicebatur. Quis crederet

tan-

tantum Numen venale fuisse? At pretio addicebatur. Itaque licet magnis talentis indicaretur penè inter ementium manus discerpta est, omnes adeo hanc Penelopen procabantur. Sed fato quodam licet omnis ætatis, omnis ordinis mortales ad se trahere vel reluctantem contenderent, pauci admodum fuêre qui eius potirentur, atque ad intima sacri huius adita inducerentur. Reliqui ab eius interpretibus non multa edocti propere, nec magno delectu ceruicibus hominum imponebantur, breui ostensuri, quanto sibi Astræa stetisset.

Post hanc inducta est Medicina minori quidem apparatu, sed non minori frequentia. Et quamquam nullas imagines præferret, immo & originem suam gipsatis adhuc pedibus occultaret, proxima tamen Dijs potestate vltra manes, Orcique Imperium porrecta venerabilis, quodque maius est congestis altissimè opibus auaras mortalium mentes conuerterat, omnemque cunctationem, ac delicatorum fastidium discusserat. Os illi licet ætate iam fessa floridum, ac vegetum sobrietate, ac medicamentorum vi, ab senectutis iniurijs tutum. Palla ex omni herbarum florumque genere mirabiliter contexta natiuos colores nullo fuco violatos miscuerat. Prostabant à tergo vascula, & pixides parum decora suppellex, & reliqua artis supplementa, quæ absterrere emptores poterant, nisi auro inducta fulgore oculos perstrinxissent. Cingebant latera senes, virique aspectu prorsus venerando, promissa in pectus canitie, totiusque corporis cultu ad grauitatem composito, quales nobis Deorum medicos ipsumque Epidaurium senem vetustas expressit. Neque tum satis concoquere potuisse Aesculapium referebat Menippus, quod Medicorum filij succisa pilorum fruticantium propagine à prisca oris maiestate degenerarent, magisque Apollinem, quam se artis auctorem in barbæ ratione imitarentur. Taciti illi quidem, & procul ab ostentatione benefacere malebant quam loqui: non tamen

deerat, qui artis suæ decora suasque palmas percenseret. Non quod ille, alligasse fractum crus Aesculapio, aut brachium Ioui, sed e manibus suis mortalium fata pendere. Se quidem numquam arte ad salutem inuenta abusum esse, tantumque facinus Dij auerterent, ceterum si quis ea potestate vti velit, & occultè Libitinæ ærarium augere, non hercule Achilli gloriam inuisurum, qui quod multas præclaras animas ad orcum præmisit tantopere laudatur. Conticuerant attoniti spectatores, & ægri quidem supinas manus tendebant, sani sibi in posterum metuentes ipsum Numen, eiusque Antistites propitiare muneribus non desinebant. Magna autem frequentia quantovis pretio de arte licitabatur. Vix ergo in conspectum venerat, cum aureæ, atque argenteæ stipes iaci ceperunt, vt ars illa salutaris prætendendo sinum parum capacem recipiendis nummis defatigaretur. Pluris ergo quam Iurisprudentia addicta est, nec innumeri emptores defuêre, pars ministerio fatorum destinati, quidam securi virtute & perpetuis vigilijs, nonnulli alieno periculo salutis negotium tractaturi.

Et hactenus scientiæ facultatesque principes, atque opulentæ distractæ magnam mortalium partem secum auexerant, cum tamen multo plures aliæ restarent. Itaque cunctantibus ceteris, & quid futurum esset expectantibus, Philosophia fessum latus trahens, singultansq; in omnium oculis sistitur. Triste spectaculum verisque lachrimis dignum. Nam Regina artium, virtutumque magistra meliori facie quam vestimentis erat, pluresque sectatores numerabat quam nummos. Sed facile ex famulitio heram æstimares. Nam quales Dij Deæque in eius familia visebantur! Putares confusis in vnum sectis, omnes Diogeni nomen dedisse, talem cultus, victusque neglectum præferebant. Pauci seneciones horrentibus barbis, & intonso crine, duplici panno velati, nudipedes, monogrammi inuidiam seculo faciebant. Neque tamen in tam molesto silebant officio. Alius

enim

enim de virtute, ac vitio obiter disputabat: alius ad vetera somnia relapsus, idem nefas esse aiebat violare morsu fabas, atque animantia, fractoque silentio vagantium animarum, & subinde hospitia mutantium peregrinationem prædicabat; nec deerat qui canina impudentia obuios maledictis laceraret, & sublato altius pallio nil musarum pudorem reueritus se virum esse omnibus ostenderet. Immo ex ijs qui sanctiores habebantur illud maxime mortales monebant, vt vxores communes habere vellent, totque malorum causas, & dira æmulationis exempla de medio tollere. Omnes altissimè altercabantur, & tanta vociferatione disputabãt, vt exaudiri Mercurius non posset præconium canens. Ita emptorum alij miserabantur, pars magna ridebant, non posse eos homines tanta calamitate ad bonam mentem reduci, omnesque mirabantur, quomodo illis summa rerum angustia vacare posset nugas blaterare.

Sed Philosophia magno primum pretio addicta est, omnibusque illud aspernantibus, & paucis pallidulis ac cogitabundis exiguos nummos expedientibus malebat Apollo donare quam vendere, cum præter expectationem Theologiæ, ac Medicinæ liberalitate fides male ambulans sustentata est, magna enim mercede vtriusque nomine est empta, vt vtrique partiariam operam impertiret, nullusque mortalium deinceps ad eas dominas legitime, nisi per Philosophiam induceretur.

Bene actum cum hac matrona videbatur, quæ liberali ministerio ab inopia, & solitudine vindicata erat. Cum nobilissimæ scientiæ Mathematicæ productæ sunt olim reginæ ac principes, ex quêis tamen sola Astrologia, nam ceteræ velut mala merx cum fastidio reiectæ, sola inquam Astrologia, dum cœlestia sectatur pene à mortalibus deserta, siderum aspectu alijs felicitatem sibi miserias vaticinata, in aliorum fatis prænoscendis oculata, in suis cœca, partim procerum liberalitate, partim mortalium inani, ac toties delu-

sa futurorum cura sustentabatur, sed pauida semper ac circumspectans, postquam Chaldæorum mendacia fidem ipsi detraxerant, totamque gentem inuidia onerauerant, nec raro ipsius alumni vel carcere fracti, vel saxo deturbati, vel Vrbibus pulsi, vel demum infelicibus flammis lustrati, malè tutam artem reddiderant. Non multi ergo in eius comitatu erant velut attoniti, & à sensibus alienati, quibus se clanculum immiscuerant agyrtæ, æruscatores, ac somniorum interpretes artis propudia, ac dehonestamenta. Qui tamen consueto fortunæ ludibrio, & cultiores ceteris, & nummatiores habebantur, licet clandestino, & in tenebris operarentur, miseram hominum credulitatem ad opes, ac luxum vertentes. Propositæ sunt venales Mathematicæ, nemo erat qui licitaretur: Chaldæorum vitrea fracta magno pretio distracta sunt, ac per Orbem sparsa, sed præcipuè in eam Vrbem comportata, in qua vetantur semper & retinentur. Restabant Rhetorica, & Poësis, magna quidem expectatione publicatæ, omniumque oculis illuc conuersis. Dicendi ars ex quo Regno suo euoluta, antiqua fortuna exciderat, qua in liberis ciuitatibus semper dominata est, & in Vrbe rerum domina populi terrarum principis Regina, ex ima plebe Quiritium alumnos suos ad Orbis Imperium vocauit, potens furentes populos coercere, Reip. consilia agitare, bellum decernere, mandare honores, atque adimere, leges figere, & refigere, & immensam multitudinem quacunque vellet velut habenis impellere, ac circumflectere. Ex quo inquam fractæ res, ipsaque cum libertate simul expulsa, inops, & egena, fœdissima barbarie cuncta occupante penè oppressa, ac consepulta, & veluti desperatione religionem vouisset in templa relegata, squalore, ac sordibus confecta, in sacris modo concionibus plebeia, ac degeneri lingua vix, ac ne vix quidem nomen tuebatur, & pro immensa veterum Oratorum mercede, pretijsque causarum inuidię capacibus, tantum inde emolumenti trahebat, quantū bonorum mortalium,

talium, ac mulierculárum liberalitas minutas stipes congerendo suppeditaret: aut postremo in scholas tanquam in pistrinum detrusa, ab otiosis, ac malè feriatis adolescentibus, ieiunis, & ineptissimis declamationibus detrita omnem succum, & sanguinem amiserat. En rerum quondam domina. Vrbibus extorris, pulsa tribunalibus, Curijs eiecta, Lyceis profuga, publicis Comitijs exterminata miserationem in omnibus commouerat, in aliquibus tamen risum, quòd vt pluris veniret mangonum fraude tanquam ad lenocinium exculta, fuco interpolata, & pigmentorum iniurijs deterior facta, mille illecebris in omnem mollitiem fracta, eneruis, ac delumbata nihil antiquæ eloquentiæ præter nomen, temporisque, ac barbarorum iniurias retinebat.

Hærebat lateri Virgo eximia specie, sed quæ constricta fronte, incertumque vagantibus, aut defixis longo obtutu oculis vultus hilaritatem confuderat. Modo tardus, modo citus incessus, risus & repentina seueritas, ipsa nescio quid tacitè obmurmurans, digitisque computans, & quod elegerat mox quassanti capite damnans & reliqua attonitæ, aut cogitabundæ mentis vitia. Postquam ante ora omnium stetit, lauro redimita, & chelim gestans non aliud quàm carmina insignita modulatione fundebat: omnes tanquam ad fidicinam confluxerant arrectique Pegaseium melos auribus bibebant, tacitis votis egregiam puellam omnique simulachro emendatiorem destinantes. Non secus ac olim Rhodopeium vatem genus omne animantium auritusque populus circumsteterat. Nec vnus, aut alter, sed quotquot aderant pueri, senes, fortior ætas Poesim scitulam, ac decoram procabantur, & sine Hippocrene, sine Heliconidos somnijs se poetas repente euasisse credebant. Videres

Ingentes trepidare Titos cum carmina lumbum
Intrarent.

Quidamque moræ impatientes in coram omnibus asinali verecundia in amplexus ruebant, nisi cum Menippo Mercu-

rius, atque ipsæ Musæ furcis scandentes deturbassent reiecto etiam, & protrito pedibus auro quod Trossuli in pretiũ detulerant, cum increpatione, abirent fatui, & sola insania poetæ nomen meriti, qui putarent vt ceteras artes, & disciplinas sic poesim nummis parari posse. Rarum nomen illud, & vix semel, atque iterum seculis cognitum, sacrum, ac venerabile, nec vllo pretio violari. Non defuisse, nec defuturos vnquam qui carmina factitarent thuris, atq; odoramentorum integumenta, poetas bonis viris rariores esse, & diuino furore afflatos non multum humani habere. Facesserent igitur seculi incommoda, & secum ineptias asportarent. Sic castigata procorum petulantia lucrum omne, ac sordidas curas abominata poesis in paucissimorum manum legitimis tabellis conuenit hac lege dotali, vt nisi opes aliũde suppeterent perpetuo esurirent, aut alienarum mensarum arrosores, arrisoresque discinctis Remi nepotibus supparasitarentur. Eloquentia à paucis empta est in pompam magis, & ostentationem, quam vt inde aliquod emolumentum animo conciperent, nisi qui eam prostituunt vt vendant, verbaque & iras locando inter titulos, & sub turpissimo elogio traducunt.

Postrema omnium inducta est mulier, nam nihil virile ea die in auctionem venit, quam alij eruditionem, alij criticem superbo vocabulo appellabant. Matrona exercitati vultus, & nescio quid magnum promittens, quippe quæ vt Mercurius prædicabat incredibili labore omnem scientiarum Orbem complexa erat. Nam & Iurisprudentes excusserat, & Medicos non ignorabat, & ad Philosophorum castra transierat, & in siderum quoque ratione versata, pervagataque libros omnes perpetuam in literas ac disciplinas Censuram exercebat. Plurimi asseclæ visebantur, omnes de literis optimè meriti, qui sola laudis, ac gloriæ spe proposita incredibili contentione improbisque laboribus omnia veterum ingenia ad obrussam exegerant, nulla monumenta, nul-

lam

iam schedam reliquerant intactam, vndè rem literariam promouere possent; quorum beneficio literæ ab interitu vindicatæ sartæque ac tectæ propagatæ erant.

Illud tamen in inuidiam trahebatur, quod ieiuno ac pusillo animo non pauci circa res minutissimas ætatem exigerēt, ac post annorum labores se ad Heliconem venisse crederēt, si voculam claudicantem scriptori restituissent, aut rancidas exoleti Græci Interpretis nænias aduocassent, ritusque, intermortuos ab vltima memoria retrouocassent. Ita morosam nimis, ac putidam curam fucum fecisse grauissimæ arti. Sed Criticen multi quidem admiratione timidissima circumsteterant, quod instar sophistarum se de qualibet re disputaturam pollicebatur. Quidam tristiores stoico supercilio propius intuentes, & cuncta morosè examinantes detorta, ac vituperāti nare discedebant, nihil aliud esse quam Grammaticorum ineptias, studiumque ignobile ac plebeium dictitantes scientiarum maiestate procul habendum. Itaque nullum emptorem inueniebat, ac nisi transalpini aliquot accessissent nullo non pretio præstinaturi, Mercurius ramices clamando rupturus erat, summo Italiæ dedecore, in qua hæc olim non regnauerat modo, sed & trans iuga montium in coloniam deducta fuerat, quodque rei indignitatem augebat, Criticæ emptores ab otiosis ac nebulonibus Grammatici, ac Ludimagistri vocabātur. Finis Nundinarum erat, iamque literatorum populus dilabebatur, cum iterum iubetur ab Apolline Mercurius præconium facere, & si quis rursus eloquentiam male distractam emere vellet clara liberaque voce pronunciare. Sed alij denuo aspernabantur, alij superbo oculo despiciebant, cuncti ferè inutile mercimonium prædicabant. Cum ex Vrbe maris domina ad fuere non pauci, qui cunctis admiratione defixis eloquentiam inæstimabili pretio, & quanto nulla alia ars, ac disciplina steterat, coemerunt. Ita quod nullus fieri posse credebat non Iurisprudentia non Medicina eloquentiæ sumptum

æquare potuerunt. Et quamuis detracta natiui sermonis purpura, vulgari, communique cultu statim ab emptoribus producta esset, quia nihilominus ad tribunalia pulsis rabulis reuocata erat, in Curiam inducta, grauissimis Reip. consilijs adhibita, pallentibus reis aduocata, sibi reuixisse visa est, & ne ab antiquo illo veterum Oratorum splendore degeneraret, alumnos suos summo fauore summisque opibus ad insignis fortunæ culmen euexit, quorum principes clarissima Veneti fori lumina, quæ de proximo venerari licet, eximia apud omnes ordines gratia, nec coloniarum modo, ac municipiorum, sed principum quoq; clientelis florentes, nummos modio metiuntur.

At turbæ populares diuersis animorum motibus agitabantur, saniores tantam felicitatem gratulari, alij emptoribus inuidere, ac fortunam ignauo questu onerare. At disciplinarum professores exhaustos tot annis labores damnare, parati calamos frangere, & meditata carmina in spongiam induere, nec satis concoquere poterant, plus vna die patronum causarum acquirere quam ipsi totius anni sudoribus adipiscerentur: omnes Apollinem accusare quod tam iniqua lege laborum pręmia dispertiret.

Nec tulit tantam contumaciam Musarum præses, sed grauiter increpita hominum ignauia, qui postquàm meliores dies inertia continuassent, non aliud quam alienæ felicitati obtrectare scirent: quædam etiam fato imputauit: postremo Mercurio negotium dat, vt deliteratorum querelis cognosceret, & si non alio saltem famelica spe ingenia pasceret. Postquam ille hiantes coruos diu delusisset, & alij sine ære funerabantur, pars magna heredes non inueniebat, paulatim artes infœcundæ deseri sunt cæptæ, poetisque ac Criticis à necessitate veluti manus iniecta est, qui relictis nugis, & somniorum interpretamentis, aliud artificium promisère, sicque magnus metus incessit ne literæ interiores, quæ tunc paruo venierant sequentibus nundinis vix obolum inueni-

uenirent. Conuentus ab Apolline, Lucianus à Menippo dimittitur.

BOS PATAVINÆ ACADEMIÆ TITVLVS.
Prolusio V.

VEtus Persarum religio cum reliquę gentes per insanos ritus pro Dijs portenta colerent, obscœnasque animantium formas templis, arisque sacrarent, ex cunctis naturæ partibus Solem delegit, cui diuinos honores deferret, quod publicæ lucis fontem, mundique totius animum mentemque, rectorem siderum, tempestatum moderatorem, cuncta audientem, cuncta videntem non nisi Numen credi par esse existimaret. Sed eius effigiem sacrorum arcanis miranda prorsus specie ijdem expresserunt. Simulachrum enim humana forma adytis locarunt, cui leonis caput erat torua fronte minax, thiara contectum, quod vtraque manu reluctantis Tauri cornua comprimebat.

Hæc apud Persas Solis imago fuit, quem illi Mithram, & Frugiferum dixerunt

seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Cuius mysterij rationem haud inscius sum hanc à scriptoribus afferri. Leonis facie Solem effingi, quod vi maxima polleat cum signum illud attigerit: bouem cuius cornua comprehendat Lunam esse, quod ea sub Solis potestate sit, ac crebro defectu priuata lumine languescat, ac veluti Solis vestigia persequi cogatur. His sibi commentis humanum blanditur ingenium, quoties arcana sapientiæ minus assequitur. Cur ergo nobis quoque hodie non liceat tentare hanc aleã, & si non veriorem, at saniorem huiusce rei interpretationem in medium afferre?

Nam quantum coniectura assequi possum præclaro hoc com-

commento Venetam Remp. atque Academiam Patauinam tot ſeculorum anticipatione deſignatam video. Sol enim ampliſſima magnitudine, ac poteſtate Leonis effigie quid aliud quam eam Remp. denotat, quæ eadem cum Sole ex affinibus vndis emergente cunabula habet, vim autem, ac nominis gloriam vltra Solis ipſius metas extendit? Et Sol vnus vnam poſt homines natos Rempublicam, tot Vrbibus, atque Imperijs fato domitis æternæ libertatis decus ſeruãtem videt Oriens, videt & Occidens. Et quamuis Sol idem principale naturæ regimen, vt eum veteres dixerunt, Regnum, vniuſque poteſtatem deſignare videatur: luce tamen reliquis ſideribus per dierum, ac noctium viciſſitudinem æqualiter diſpenſata, quaſi alterna parendi, & imperandi lege libertati patrocinatur, cuius ſacrarium Venetæ rei Dij immortales dedere.

In eius ſacrarij veluti in Perſici antri aditu mithram excubitorem Leonis animantium fortiſſimi ac maxime vigilis capite ſtatuerunt, & quidem thiara contecti cuius apicis faſtigium in Principe Veneto ſuper omnes titulos ac ſuggeſtus eminet. Quod ſi bouem cuius cornua conſtringit ex veterum placito Lunam eſſe dixerimus, nemo Thraciam Lunam eſſe dubitabit maculoſam, ac ſeneſcentem, quæ ſæpe ab Veneto Sole compreſſa crebro defectu expalluit, nec ſemel cruore ſuffuſa lumẽ omne fœdauit; Vel quod idem eſt Othomannicum Taurum Veneti Mithræ manibus ſubſiſti furentẽ, ne reliquum Europæ incurrat, templaque, & altaria Deum conculcet, ac proterat.

Hæc vt vera ſunt ita ingenio noſtro, ac viribus auguſtiora maiore veluti ſono dicenda eſſent, Nobis ſatis ſit ad loci huius temporiſque vſum indicare, bouis ſimulachrum, quod à mithra non tam comprimitur quam ſub eius tutela in antro Muſarum placide conquieſcit, per ambages Academiã noſtram quæ à boue indigetatur deſignare, quamque ne à veteribus longe abeamus Lunam iure poſſumus appellare,

quæ

quæ Veneti Solis, & quidem frugiferi mutuato splendore altissima inscitiæ nocte, innumerabilibus ingentium animarum comitata sideribus, non huius modo Cœli tristitiam discutit, sed cœcarum mentiũ nubila serenans depulsa ignorantiæ caligine, totum terrarum Orbem clarissima luce perfundit.

Et Hercules sæpenumero mecum ipse reputaui fortè ne principi Academiæ Bouis titulus adhæsisset, an esset additus consulto. Neque tamen id turpe aut indecorum vnquã putaui, quippe qui non ignorarem veterum Gymnasia à canibus, & Lupis esse denominata: memineram præterea Italiam terram omnium terrarum alumnam eandem, ac parentem, Numine Deûm Imperij sedem electam, à bubus nuncupatam esse, quod veteri lingua boues Italos vocarent, vnde & vitulis nomen remansit. Quòd omnes tunc potentiores boum copia censerentur, ipsique aut bubulci essent, aut pastores, vt Hercules, quem ab vltima Hesperia egisse armenta fama est: nec alius Euander Rex, cuius hospitio cum Troianus Heros succederet, passim armenta videbat. Neque illud mente exciderat, quanto olim in honore, curâque animal hoc fuerit, vt & necari vetitum sit, hincque opimæ victimæ, & Deorum lautissima placatio desumpta.

Placuit tamen prudentiores consulere, & vndenam bouis nomen celeberrimo Gymnasio inditum esset diligentissima sciscitatione perquirere. Vrbani homines ideo factum referebant, quòd non raró eueniret, descendere huc vitulos, mox virium auctu boues domum reuerti, adeo prægrãdes, vt Lucæ merito dici queant. Ita cum quidam tenera ætate fato raptus esset, vulgare illud vsurpatum.

Iupiter omnipotens Vituli miserere Ioannis
Quem mors immitis non sinit esse bouem.

Alij serio ita dictitabant, cum boum nomine pecunia apud veteres, ac diuitiæ iam inde ab Homero vate intelligerentur, & Thesei instituto bouis nota nummi procuderentur:

Gy-

Gymnasium hoc bouis titulo insignitum, quod in eo via pāderetur ad opes honestissimas, cum virtutis merito mortales ditescant & postquam ex hoc Boue Troiano processerunt, siue morbi pellantur magnam mercedem esse, siue iurgia, litesque placeant, magno pretio fieri, silentium etiam quandoque redimi solere, & bouem in lingua habere non tantum vetus negotium esse: postremo si Iouem in Capitolio exorent, Deos quoque in partem prædæ vocari, cum hic etiam ramus ille frondescat, quo ipsi Inferi recluduntur. Quocumque demum te vertas pecuniam quæ à pecude dicta est mille modis parari. Solis elegantiorum literarum cultoribus nescio quo fato parum cum bubus conuenire, & ideo omnis prædæ, ac diuitiarum expertes haberi.

Parum ciuile facinus eorum est, qui impudenter nimis ne dicam stultè commenti sunt, hîc quoque vt olim in Aegypto Apim adorari, & quidem viuentem, ac vescentem aura cœlesti, aliquando etiam ex auro, ac gemmis coagmentatum, vt quondam Iudaicæ impietatis probrum fuit, quòdq; alias pro portento habitum sit, animal hoc locutum esse, non ita hodie infrequens esse, aut mirandum, vt propterea sub diuo senatum habere necesse sit. Hæc sunt mihi credite otiosorum hominum deliramenta. Illud certum est, quia Bos Apollini, siue Mithræ frugifero sacratum animal sit, Studiorum, sed præcipuè laboris esse simulachrum, & ideo ab illo hoc scientiarum omnium emporium esse nuncupatum. Et bubus quidem impensè Apollinem delectatum esse, illud argumento est, quod non semel armenta pauit, nihilque illi furax Mercurij ingenium præter boues abigere potuit. Itaque cum Cœlo exulare hic iussus esset, hic alienus Laomedontis armenta egit, mox & Admeto Regij pecoris magister factus est, & cum Deos hominesque fugeret, gratissimum boum contubernium inuenit. Errabat Dulichius Heros post quam Troiæ sacrum oppidum euerterat, terris & alto iactatus, sociosque suos reliquias Hectoris, ac Teucrorū

cir-

circum maria omnia vectabat, vt fugientis patriæ litoribus redderet. Sed Apollinis inclementia reditus diem abstulit, nullusque omnino sociorum patriam, ac dulces natos reuisere potuit.

Musa mihi causas memora quo numine læso
Quid ve dolens

Rex hominum, ac Pataræus Apollo euertit rates, pontoque corpora disiecit. Num quia Pergama Phœbæa manu mœnita euerterant, & cum ipso Phæbo pro Teucris pugnante manus contra conseruerant? Nequaquam. Dic ergo tu nobis saltem Musarum interpres maxime.

Stulti qui boues Solis comederunt.

Hinc causæ irarum. Nec aliud cœlestis ille pastor ostendere voluit, quam suo, ac Pieridum contubernio neminem dignum esse, qui hoc animal proxime non referret, eiusque labores, ac tolerantiam non imitaretur, vt propterea nullus olim Mithriacis sacris initiaretur, qui in eius antro virtutis, ac patientiæ specimen prius non exhibuisset.

Quare quicumque huic Academiæ Musis operaturus nomen detulit illi summa ope ad laborandum est vt bos fiat, vel boui quam simillimus euadat: qui secus faxit, eum dignum putatote, qui monumentis commone fiat bubulis, quemque viuentem mortui incursent boues. Id enim animal socium laboris, atque agriculturæ, & comes vtriusque fortunæ à natura homini concessum vbi primum adolescit petulans, & indomitum exultim vagatur metuitque tangi,

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco ventosque lacescit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Iam procatur, iam furit amore, iam prælia meditatur.

Carpit enim vires paulatim vritque videndo
Fœmina, nec nemorum patitur meminisse nec herba
Dulcibus illa quidem illecebris, & sæpe superbos
Cornibus inter se cogit decernere amantes.

Pasci-

Pascitur in magna silua formosa iuuenca.
Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis
Versaque in obnixos vrgentur cornua vasto
Cum gemitu, reboant siluaque & magnus olimpos.

Itaque pro domestico, & adiutore hostis, & incommodum patrifamilias obuenit. Domanda ferocia est, frænandus impetus, procax ingenium mitigandum. Quod facili negotio perficitur. Adhibitis ferramentis tot malorum originem exsecat, ac publicum maritum extrema parte funeratum intestabilem reddit, ita vt nomen quoque ipsum veluti mulcatum debilitetur, & pro Tauro siluarum montiumque terrore vetulus, procumbit humi bos. O fatum infelix! O miseram conditionem! O quantum mutatus ab illo! Decora toruitas, quæ frontem armauerat, senilibus rugis soluitur: aspectus generositatem, luminumque minas iners stupor adurget: ardua ceruix ignauo pondere defluit: flaccescunt setosæ aures: strigosa cute palearia exarescunt: thori exarmantur: decrescunt latera, & costarum seriem arida pellis pectinatim denudat: temporis momento effrenis impetus, ac ferocia veluti transpirat, & iam pugnam recusanti, quæ olim, vires Tauri, in procinctu dimicationem poscebant, sola cornua crescunt.

Eheu quam pingui macer est mihi Taurus in eruo.

Et tamen amor penitus animo excidit, qui olim exitium pecori, pecorisque magistro fuerat: non respicit iuuencas: non lasciuit, ac tripudiat, sed festinata senectute incessu tardus, ac grauis, cadentes oculos vix attollens, veluti meditabundus incedit, & quem asylo stimulatum, furentemque impetu, ac satis, hominibusque late stragem ferentem, vix septa, vix mille manus coercuerant, nunc exigua parte minorem inermis pueri manus ducit, frænat, circumagit, eadem potens totis armentis moderari.

Et ne Dij quidem sinant vt cum adolescentibus nostris

fe-

ferocientibus,& lasciuientibus eodem pacto agi velimus, vt instar Gallorum salua vasa referre domum non possint. Dij prohibete nefas, totamque hanc carnificinam auertire. Non ita humano generi infesti sumus, vt Persarum ritu fractis ferro visceribus surripiamus viros, & velut iniecta naturæ manu primigenios seminis fontes, viasque propagandæ posteritatis intercludamus. Liceat nostris integris perire. Sed mens ipsa quodamodo exsecanda est: excidendæ voluptates: amputanda lasciuia: mutilanda cupiditas. Atqui iuventus nostra placere in primis cupit, formamque magis quam ingenium laudari, & adhuc immatura virilitatem exercere.

In furias ignesque ruunt, amor omnibus idem.

Quis impetum furentium in pugnam, feraque sub nocte certantium compescat? Timidæ virgines Camænæ, imbellis vatum chorus omnem tumultum, ac lasciuiam submouent, totoque Apollinis luco absistere iubent.

Postquam ergo Taurus hominis colonus, ac contubernalis non amare coactus est, bonæ frugis bos factus oblitus nugarum continuo laboris, ac tolerantiæ exemplum fit. Et superbam olim ceruicem cum compare submittens iugo, dubia adhuc luce aratri pondus trahens, telluris dorsum proscindit, & per longos anfractus sulcos ducens, sterile etiam solum saxisque asperum commitigat, futuræque fœcunditatis minister, postquam semina tellus excepit inuertit glebas, fruges triturat, plaustra trahit, ingratæ Vrbi annonam importat, idem stimulorum seges plagis obtunditur, non calce non cornu petit, tam vasto corpore fœna, atque arentes stipulas rodit, ac labore suo ignauis mortalibus victum subministrat.

Iure ergo hoc tolerantiæ argumentum veteres statuerunt, hocque insigne Academiæ fecerunt quicumque intellêxere, nihil in literis præclarum sine improbo labore posse præstari. At iuvenum plerique nihil magis metuere videntur, quam ne hoc titulo decorentur. Enimuero homines se esse

esse ferunt non caballos, aut boues clitellarios, seque in Academiam non in pistrinum deductos: nihil perpetuo studiorum labore ætati magis noxium. Quid enim iuvat, aiunt, se affligtantem vigilijs, ac lucubrationibus mortem persequi? Quid prodest pubertatis florem immatura tristitie corrumpere, seque vivum sepelire?

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Frustra sibi parentes, ac patruos studiorum laborem commendare, qui vbi adolescentiam suam procul à studijs basilicè oblectarint, liberorum labore inertiam suam rependere conantur. Satis sub magistris ignauia peccatum esse: posse veluti veteranos verberum notas, & quarũ pudeat, auerso corpore exceptas, posse sæuitiam Orbiliorum ostendere, posse Herculis exemplum respicere. Multos præterea demonstrare posse, qui postquam in Academia omnia potius quam studia curauerint, nihilominus velati insignibus laborum præmia reportarint.

Eugepæ salua res est; Philosophatur adolescens noster nõ mentitur modo. Nec dictis facta saniora adijcit. Nam postquam in Academiam venit argumentum virilitatis auspicaturus, non vno telo accingitur, nomen Marti non profiteri religio est, quamuis adhuc dubia pubertas, & inuestes genæ rudimentum onerosæ militiæ excusent. Battuere, ventilare, decurrere, equum insilire, ac resilire ephebi studium est, nec ignobile, sed dum præ hoc literæ negliguntur periculum est ne comptus eques ex Gymnasio Patauino nihil præter eius titulum referat & ab equis ad illud quod sequitur transeat. Quid iuvat recensere in quibus alij exercentur, & desudant? O iuvenes laboriosos: puto ego eos in literis nunquam incipere, & postridie finire, plerosque id animal fieri, quod nolunt imitari.

DE

DE NVPTIIS PHILOLOGIAE.
Prolusio VI.

Miris modis Dî ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis somnia insomnis danunt
Ne dormientes quidem sinunt quiescere,
Vt ego hac nocte quæ præcessit proxima
Mirum atque inscitum somniaui somnium.

Nam cum nescio quid nugarum meditans ad altam noctem vigilassem, vix lumina sopore succubuerant, cum visæ sunt cubiculi fores modice impelli, mox spontè apertæ admisêre intrantem senem venerabili aspectu barba opacè, ac pœnè Tragicè prolixa, sed pallor ac macies ora confecerat, frons senilibus rugis constricta, reliqua exercitati vultus. Is visus est consistere ad grabbatum meque manu molliter impulsum excitare. Timui ego ne inferna imago esset, itaque frigido sudore perfusus vix hiscere audebam. At senex ratus id quod erat, me intempestiuo timore torpere, diducto leniter rictu nec toto ore in risum soluto. Frustra inquit lemures metuis, ego si nescis Lazarus Bonamicus sum, qui ante annos non paucos bonas literas eo in loco professus sum quem tu hodie tueris, nunc etiã fortasse posteris non ignotus, licet pauca admodum ingenij monumenta vulgauerim, nec de seculi tui more nouis subinde abortiuis fœcundum ingenium soluens, præla fatigauerim Tibi certe studiorum similitudine conciliatus, nec leuiter obstrictus, quod me identidem laudibus feras, atque latini sermonis elegantiâ cum paucis comparandum prædices. Vt ergo vicissim aliquid rependam ad sum, atque aduenio ex Helicone, ac literatorum Elysijs, vbi Philologiæ nuptiæ indictæ celebri doctorum conuentu, magno procorum ambitu agitantur. Itaque expedi te, & me vadentem prosequere non sine volup-

D tate

tate Musarum arcana, aulæque Apollinaris ingenium inspe-ctaturus.

Ego stupore defixus vocem amiseram, mox collecto spiritu, Tu inquam Italorum cultissime eras? Hæc elegantis senectæ viuida, & eximia species, seriæ grauitatis lineamenta id quod eras fatebantur, qui primus hac in Vrbe politiores literas excitasti, & à pædagogicis ineptijs ad eruditæ antiquitatis decus Latinæque puritatis candorem, ac maiestatem traduxisti, famæ contemptu, famam apud posteros meritus. Quocumque perges comes adero, & si in crucem iueris sequar. & cum dicto composito tumultuarie cultu vestigia præcedentis lego. At ille ad fenestram contendit, vbi mirabile visu, præsto erat equus alatus instar Pegasi, nec mora insilit Bonamicus meque vt in equi clunibus resideam monet. Cohorrui ego initio, & quia nox erat pertimui, ne ad sagarum conuentus nullo vnguine delibutus perduceret, nisi quod pro hirco, alipes apparebat. Inscendi tamen, brachijsque Belerophontem meum implicui, genibus equum compressi, tanta enim velocitate per inane ferebatur, vt nihil magis metuerim quam ne claudus aut fracta ceruice ad Eliconem venirem.

Vbi vero animum recepi itineris causam percunctari cæpi, & quæ commodùm nuptiæ celebrarentur, nam ingens arcanum videri, quod Dea spretis cęlestibus procis mortales amplexus appeteret. Magna inquit Bonamicus res est nec paucis expediri potest. Omnium artium ac disciplinarum parens Italia, sed præcipue politiorum literarum cultrix, ac propagatrix, torpet nunc nescio quo fato squaletque, vt pœnè pulsis ac fugientibus Musis Apollinis animum ea cura aduerterit, sollicitumque diu habuerit. Porro hæc pestis ac calamitas ex earumdem literarum neglectu processit. Nam præter artes ac disciplinas, vnde lucri spes affulget, quis mansuetiores literas vel de limine salutat? quis Græcarum fontem primoribus labris delibat? Quis carmen sani coloris condere,

re, quis epistolam argutijs animare in pretio ponit? Nullius pudorem onerabo, sed barbari sumus ex quo Latinè scribere aut loqui, omnisque antiquæ memoriæ cognitio puerilis prouincia existimatur.

Honore artes ali vulgatum est, cessare pulcherrima studia si eorum pretia tollantur. Itaque iacenthæ literæ ingloriæ atque in honoræ, quod parentes ad lucrum properantes ab Grammatistarum rudimentis ad disciplinarum apices liberos protrudunt adhuc impuberes, & vix dũ literatori maturos. Nolo de iuventute conqueri, nã periculosum est ex quo Hercules præceptori caput tabula comminuit, & tu olim bone vir (me autem reflexa ceruice contuebatur) cum de barbarie conquereris, pœnè lapides inuenisti, quod prout aliquis Prisciano caput perfregerat, se designatum credebat. Quotidiana tamen res est ac familiaris adolescentes, qui vix duo verba Latina conantur, Themidis templa subire, nec verendi illius Tribunalis maiestate moueri, crepare iura, legesque. Sed cum diu multumque in comitatu Iustiniani fuerint, gnauos excipio & industrios, id illis Imperator est, si Græcè, ac si Latinè loquatur. Eodem paratu Epidauri cultum Deum accedunt, eodem in sacraria admittuntur.

Ergo malorum omnium caput, atque origo hinc parens illinc doctor nutantem adolescentem pręcipitant. Doctor ne minori frequentia stipatus incedat, aut comitatior collegæ in publicum processus sit, satis temporis nugis datum esse contendit, exuendam pueritiam, & relictis magistrorum vitreis fractis ad sapientiæ maiestatem laureæque præcocis spem assurgendum. Sed parens, etiam si ventosa cucurbita inanior tamen metuit ne natus crudus adhúc sit, & nondum studijs grauioribus par, sed nescio quo fato ipse literas parum nouit, ne scilicet à seculi more atque a maioribus degeneret, ad aliquem homuncionem vmbraticolam puerum deducit, vt aliena fide experimentum capiat, num tuto tradi Academię possit. Ille aurito de grege postquam assedit

& supercilium sustulit pallentem ephebum excutere incipit, pauca verba Latino sermone vertenda dictat, hæsitantem oculis, ac nutu confirmat, & ad parentem conuersus frontem contrahit, & Papè quã tibi similis est & te dignus! Mox iubet breue quoddam ex libro prælegere, & licet Arcadico iuveni in lęua parte nihil saliat, tamen nutat capite, complodit manus, gratulatur patri, & veluti concionabundus rogitat, cur tantam indolem scholarum ergastulis premat, spemque herbescentem præfocet? Deûm fidem! Delirus senex gaudio insanit, moxq; ad Academiam tenerum adhuc, & inuestem destinat. At si, quod raro euenit, parenti cordatior ephebus modeste reluctetur, atque in humanoribus pedem figere postulet, moramque excolendis serio Musis precetur, excandescit enimvero parens, & quid, inepte, ait, tibi vis cum istis tuis literulis, in queis si consenueris, ne quadrante, quidem penates augebis? Versato poetas, sophistasque & Oratores: doctorum cartas perdius & per nox voluta, esto eruditulus, vel vt isti loquuntur Criticus: nosce historias omnes, ac fabulas velut digitos vnguesque tuos: quid fiet, aut quam demum rem aggredieris? Scilicet post quam ad aliquem gradum opinionemque eruditionis perueneris, inquietaberis herclè quotidie, & hic poscet epigramma, hic elegos, hic prolusionem, multi ore tuo publice loquentur, hic te dictante cum amica iocos, ac iurgia miscebit, aut etiam innocenter lenocinante amores suos placabit: hic epitaphium petet, ille epithalamium, vt pro designatore aut auspice operam locare possis. Pro his non sine cura, ac labore paratis pudet mercedem accipere, & quæstu Musas prostituere, quod si perfricata fronte pretium quo omnia constant, non respuas, nemo daturus est, sed officioso verborum ambitu aulæque assentantis mendacijs gratias gratesque rependit, eas tu in sumptum adhibe, inde cultum, victumque expedi. Itaque obliuiscere nugarũ, & literas esuritionum magistras securus contemne. Illa tuo sen-

sententia semper in ore,

Versetur Dijs atque ipso Ioue digna poeta.

Vnde habeas quærit nemo sed oportet habere.

Sic teneris mentibus musarum odium lucrique amor instillatur, sic blandiēte inertia optimæ literæ proculcantur, sic barbari triumphant, & ni Deus succurrat breui futurum est, vt in Latio Latinam linguam frustra quæramus.

Prouida ergo Apollinis cura optimo consilio huic malo occurrere statuit, & Philologiā olim Mercurij nuptijs à Marciano decantatis nobilem, exorato Mercurio dare nuptum mortali constituit, vt felici mox prole ad eius venerationem cultumque humanum genus si fieri potest conuertat. Vtque totius apparatus pompa celebrior sit, Saturnalium dies indixit.

Adhuc loquebatur Bonamicus cum gemina Parnasi iuga die maturius illustrata se nobis aperiunt, quibus cum Sole adoratis, Musarum Regiam subimus. Cuncta hymenæo perstrepebant, poetis fescenninos ad demulcendum sponsæ pudorem concinentibus. Ipse Deus literarum parens sedebat aureo solio relucentibus gemmis, sed detraxerat capiti radios, atque erumpens iubar cohibuerat, vt se oculis impune fruendum daret. Literarij Orbis proceres hinc inde consederant, & quicunque artibus, ac disciplinis vitam excoluerant: turba minor vastissima aulæ spatia compleuerat. Postquā assedit Bonamicus, & ipse Principibus per mixtus Achiuis, ego post eum reclinis deflexa ceruice gratissimum spectaculum vsurpabam.

Cum ipsâ pronubâ Mineruâ, prælucentibus patrimis, ac matrimis producta est puella elegantissima & Cœlo digna. Nulla vox est quæ ipsius formam exprimere possit. Capillos matronali decore nigrantes, vndanti sinu retroflexerat, auris spirantibus ludum: modicæ frontis honorem nigerrima supercilia distinguebant, quibus inclusi oculi arcano vigore micātes, magnique & quales habere Iunonem Homerus cre-

 didit:

didit: natiuâ purpurâ imbutæ genæ: naris paulo inflexa: osculum modice hiulcum, labiorum muricem, dentium ebur infecerat: iam lactea ceruix, iam vlnæ Tonantis sorore dignę: iam pectus, iam pedum candor, qualem Thetidi Græcus vates adscripsit, iam cetera, quæ fusâ humi pallâ velabantur quod laterent meliora putabantur. Quæ omnia totam literatorum gentem habetes etiam, & naturali languore torpentes excitarunt, vt senũ etiam desueta amore corda intepescerent, iuuenum manus, ac venæ micarent, & alius quidem cultum disponeret attentius, alius barbam concinnaret, omnes suspirio saucium pectus ostenderent.

Sed quisnam diuinæ puellæ sponsus destinaretur incertum erat, studijsque & ambitu, & credentium voto agitabatur. Ingens doctorum numerus ex omni disciplinarum orbe Phœbeum limen obsederat, vt olim inter procantes Regulos de Ithaci vxore disceptatum est: nisi quod hinc petulantia aberat, & lasciuia. Neque principes modo, aut dinastæ procabantur, sed & de plebe viri, solo literarum censu vulgo exempti. Vbi vero euulgatum est, eam Apollinis mentem esse neminem vnum designare, sed puellæ ipsi sponsi arbitrium permittere, quem non tam oculis metiretur quã auribus, nec tam exhabitu, cultuque, quam ex animo æstimaret, mirum quantum literatorum studia accensa sint. Sedebat illa aureo in throno conspicua, atque ita oculos nutusq; inter amantes dispensabat, vt nullus de causa sua desperaret. In eo grege soli parum læti conspiciebantur Deorum interpretes, harioli, ac mystæ, quîsque sacra fibulam imposuerant, & ad omnem nuptiarum mentionem exhorrescebant. Ex quorum vultu mœstitia & indignatio, quamquam premeretur erumpebat: simul questus audiebantur se tanquam exsectos & intestabiles tam pulchro matrimonio dejici, perpetuaque sterilitate damnatos, visos veluti indignos ex queis sobolem posteritas haberet. Hæc & alia mussabãt, propexamq; in pectora barbam mulcentes obiter limis puellam

Iam contuebantur & cum cano capite, atq; anima fœtida friguttiebant.

Reliquorum ſpes acrius accendebantur ex quorum numero Philologia tædas, atque hymenęum peteret. Sed initio ne auditi quidem Grammatici pannoſi, ac laceri, centonibuſque poetarum amicti, qui maris ac fœminæ copulationem ſuam eſſe artem dictabant, eorumque diſſidentium cõcordiam, quam ipſi domi non inuenirent: res agentes, ac patientes, & quandoque neutras, quodque in vxoribus periculoſum eſt, aliquando communes, ſuum inuẽtum eſſe prædicabant. Primum quod pueros doceant, eſſe Amare, hoc omnes diſcere ante Alpha, & Beta, idque per tempora ac modos; coniunctiones item, figuras, & deriuationes, & reliqua artis myſteria. Suo ſupercilio laſciuientem pubem compeſci, ſua ſceptra Regum filios reuereri, in ſuis manibus Remp. adoleſcere. Se ſolos vnde Nuptiæ dictæ ſint poſſe dicere, à quibus non ſemel Iuriſconſulti verborum notationem & quidem infeliciter peterent: vnde Vxoris ac mariti vox: quæ cantio feſcennina: verum faces pineæ eſſent, an ſpineę; vnde Thalaſſio atque Hymen: cur ſupra faſcinum nupta collocaretur, quid thalamus genialis, atque nucum ſparſio: nullos peritius zonam ſoluturos: quodque omnes tanquam parum tempeſtiuum riſerunt, quis primus alienum matrimonium ſubſederit, vnde primum inuecta in Vrbes lupanaria, lenoneſq; iuuentutis illecebræ, vnde ſcorta dicta ſint, ipſorum quin etiam Deorum furtiuos amores & fucum mulierculis factum ſe ſolos ſcire, & reliqua ineptiora prioribus. Quare erubeſcens puella iuſſis faceſſere nugatoribus, & has nænias inter capillatorum gregem modeſtius narrare, haud dubie in oratores, cauſarumq; patronos propendere videbatur.

Nam præterquam quod nitidi erant, & compti, multiſque mundiciis ad fori genium exculti, blandis verbis flexanimæque orationis illecebris puellæ animum ſibi deuinxerant.

Quin verborum volubilitate, & vibrantibus sententiis non tantum causam suam approbabant, sed facile apparebat eos quamlibet aliam deteriorem, optimam esse dicendo facturos. Quos enim rogitabant ex toto disciplinarum Orbe sibi ipsis sponsam cōparaturā? Qui eloquentiæ vi in iis Vrbibus regnum obtinerent, vbi nemo seruiret, populi motus, iudicum religionem senatus grauitatem sola Oratione conuerterent? Addebāt postremo preces, questus ac lachrimas miscebant, affectusque omnes versabant. Quem non flexisset blanda & suo pondere instar hybernarum niuium ruens, ac glomerata oratio? Certe Philologia non nisi Oratorem maritum velle dixerat. Iamque ceteri demissis capitibus domuitionem parabant, pauci ad senatum literatorum prouocarunt, cuius sententiæ puellæ standum erat. Cumque de hoc Consules retulissent pronunciatum est nuptias illicitas ob affinitatem videri, nam licet tales inter Deos vsurparentur, has mortalium ritu peragi oportere, quam proxima autem cognatione Oratores Philologia contingeret neminem ignorare. Sic Oratores de tanta spe veluti de Cœlo detracti, fulmineque afflati obticuere, quodque difficulter faciunt fluentem Orationem compresserunt.

At puella repulsæ indignatione accensa nequaquam miti aspectu Philosophos dignabatur, neque tamen ipsi causæ suæ diffidebant, sed Oratione rudi, atque impolita, vt se Oratorum pompam maiori fastu fastidire ostenderent, se solos dicebant in toto terrarum Orbe, quorum bonitati, ac fidei etiam vota sua mortales commendarent, se præceptis salubribus genus humanum instituere, sibi primigenia naturæ arcana, rerumque principia credita, causasque & modos posteritatis propagandæ. Sed puella facie sub tristi mundicijs & elegantiæ assueta, auersabatur homines graues, & incomptos ipso cultu simplici magis, quam rudi, & obsoleto. Nihil sponsa adhuc subirata loquebatur; Sed pronubæ, atque auspices ita dicebant, morosos homines, & austeros es-

se

se philosophos, iurgijs, atque altercationibus innutritos, cõtentiones e schola domum transferre, & vbi nihil foris haberent de quo disputarent, domi cum vxore delitigare, clamoreque & minis penates inquietare; Non paucos furiosa æmulatione transuersos rapi, matremque familias non secus ac Danaem sub claue ac serra habere, ipsamq; inuidere Solis lucem. Nec silebant vetera Philosophorum facinora, communicatas vxores, promiscuoque concubitu rerum publicarum fundamenta posita. Ad postremum Philosophos magnam partem mulierum osores esse. Hac pronunciatione fulminati illi conticuerant, paulatimque proci dilabebantur, solique Astrologi, Medici, ac Iurisconsulti audacius vota concipiebant. Et Astrologos quidem Philologia auersabatur, nam licet sibi hominum sortem creditam iactarent, se Cœli interpretes, rerumque naturæ capaces, fata mortalibus dispensare; Contra disserebatur genus hominum esse potentibus suspectum, regnantibus intutum, Vrbibus non semel eiectum, fallacique siderum interpretatione humanam vitã inquietans. Præterea totos contemplationi deditos, Cœloque affixos, abacoque inhærentes, dum siderum motus scrutantur vxores pati frigido in lecto iacere viduas, plerumque alienarum calamitatũ præsagos, domus suæ infortunia ignorare.

Post hæc medici pauca, & modesta de se loquuntur, de arte sua magnifice, nec se tanto matrimonio indignos ferũt. Nam licet tristi ministerio occupentur, se tamen beneficio seruandorum hominum cum Dijs ipsis certare, nec semel mortuos sepulchris inuidere. Quod si tanquam bonarum literarum rudes sperner entur, non defuisse vnquam è corpore suo qui politioribus literis omnique eruditione artem medicam excoluerint, vnumque instar omnium parentem Galenum, quem vasta ingenij capacitate omnium artium, ac disciplinarum Orbem amplexum, nullius rei ignarum fuisse satis constaret, vt interim Fuchsij, Mercuriales, Cagnati, Guillan-

landini, Ophtmanni silerentur. Quod si Philologia vt puellæ mortales auro caperetur, nullam artem largiore prouentu auara quoque vota explere.

Omnibus ferè causam suam Medici approbauerant, soli puellæ non placebant, quæ siue ad Iurisconsultos decoros cultuque florentes oculos adiecerat, siue alias ob causas libere pronunciauit, non displicere sibi quidem Medicorum conditionem, malle tamen thori socium Iurisconsultum, immo fatis, & tacita Deorum destinatione sibi deberi. Cuius rei auctores daturam se Budæum, Brissonium, Cuiacium, Tiraquellum, Paræum, Ræuardum, Fabrum, vtrumque Gentilem, & omnium principem Alciatum, qui Iurisprudentiam barbarorum iniuria, nostrorumque hominum ignauia, ab eloquentia literarumque studio abscissam, situ squalentem, glossis fœdam, ineptijs deformatam ad pristinum cultum, ac maiestatem reuocassent. His auditis ieiuni quidam ac pusilli leguleij in angulo mussabant, qui Philologiæ ornatum ægris oculis inspicientes, nimbatam dicebant, & nugas meras. Nam cui bono tot illecebras, pigmentaque & calamistrum? Ab Iuris sanctitate abesse fucum oportere, nimiasque munditias. Sed impositum rabulis silentium est, postquã Vlpianus, & Paulus, & reliqui non minus Iuris scientia, quã facundiæ claritudine posteris noti, e Rep. literaria id matrimonium esse pronuntiarunt: quin ingenue fassi sunt tantas Iurisprudentiæ tenebras inuectas esse, vt si res ipsi mortales reuiserent futurum vt vix responsa sua intelligerent. Igitur vniuersis plaudentibus, ac postulantibus nuptiæ factæ sunt, & Philologia in Iurisconsulti manum per confarreationem conuenit: signatæ tabulæ, dictum Feliciter

iacuit gremio noua nupta mariti.

Tum ipse Apollo vaticinium dixit ex pulcherrimo matrimonio diuinam infantem orituram, copiose loquentem prudentiam, tum barbariem e scholis expulsum iri, mihi præ lætitia somnus solutus est.

SVP-

SVPPETIÆ CRITICIS LATÆ.
Prolusio VII.

VT olim Africa, sic hodie Helicon semper aliquid affert noui. Nimirum pascenda est rumorum auida plebecula, & nihil ignorans cunctaque transmittens vbique Roma est. Nihil tamen hîc de feræ militiæ muneribus, neque ea nuntiantur, quæ arrectis auribus,& hianti ore excipiat,moxque in maius aucta inter oscitantes rumoribus differat, nec otium ferens, nec laborem. Direptiones Vrbium, mali fati exempla, cæsos exercitus, totis viribus concussi Orbis certatum, captam, & non captam Perpennianum, & quidquid credentium otio fingitur, & vulgatur: vnde studia, nec simplices factiones, & tanquam in arena in Gallum, aut Hispanum semper trepidus, atque anxius fauor, contentio, furor, & pœnè ipsis prælijs par rabies. Sed vmbratiles doctorum pugnas, & incruentas contentiones audituri estis, studiaq; & partes nihil præter verba ausuras, sed mite ingeniorum certamen, irasque ex quibus nihil superest, concordem discordiam, & pacato musarum regno ex amico dissidio duraturum seculis literatorum fœdus.

Si vnde hæc acceperim quæsieritis, si libuerit non dicam: scio me ibi viuere vbi non verba modo sed & sensus liberi sunt, sublato vbique loquendi scribendiq; commercio, quod de temporibus Tyrannide infestis scriptores conquesti sunt. Ne tamen inurbanè vobiscum agam Homerum allegabo qui somniorum portas reuocabit. Quæ ego ex cornea volitantes imagines manifesto visu exceperim cum fide referam.

Κῦτε φίλοι θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.

Immo non somnium sed credite me vobis folium recitare Sibyllæ. Ad Heliconem proximis diebus literatorum lustrum actum est Pico Mirandulano, & Hermolao Barbaro

Cen-

Censoribus. Censi sunt non pauci ex toto terrarum Orbe, quos solo disciplinarum, bonarumque literarum censu æstimatos, Delphica ciuitate cum iure suffragij Musarum parens donauerat. Postera die Senatus lectus est. Vbi Picus in legendo omnes præterijt, qui politiorum literarum nomine, studioque Antiquitatis in amplissimum ordinem fuerant cooptati. Cumque non obscurus in senatu fremitus, & indignatio orta esset, grauibus factis atrociora dicta adiecit. Et quousque tandem P.C. inquit hoc genus hominum vt mitissime dicam ineptum ac putidum in senatu feremus, ordinisque grauissimi maiestatem solis nugis, vietisque, ac rancidis obseruationibus euilescere patiemur? Quousque ventosa natio regnabit, difficilesque semper habebit nugas, & tristi ineptiarum labore defungetur? Quid autem isti literarum carnifices, librorum pestis, ac pernicies disciplinis, vitæque communi boni afferunt? Quis ab eorum contubernio melior euasit, aut doctior? Quid tanto hiatu polliciti præstant? Operæ prætium est audire, quæ isti somnia inuexerint. Quam grauibus & ad communem salutem pertinentibus quæstionibus se exerceant. Nihil præter antiquas illas nænias vtrum maior ætate fuerit Homerus an Hesiodus, quasi magis ad rem pertineat scire, Telemachus an Vlyssis canis antiquior fuerit. Quotque hic socios habuerit, & quo nomine vocarentur: quæ mater Hecubæ, quid Sirenes cantare sint solitæ? Quinam per Deûm fidem morbus hic est, quodque inane studium ridicula & superuacua discendi? Hæc me non modo non pudet ignorare, vt si ea scirem cum Themistocle artem obliuiscendi optarem.

En omnis sapientiæ parens Homerus, ex quo tanquam ex Oceano omnes disciplinarum fontes, ac riui dimanarunt. Quod autem ex eo isti afferant pudet referre. Discumbebat Telemachus in conuiuio Menelai; erat illi proximus Pisistratus, hunc interrogaturus Telemachus pede molliter tangit. Quærunt eruditi cur potius pede, quam manu, aut cubito tetigerit.

tigerit.

tigerit. Eundem Telemachum Euriclea domi ne fugeret conclusit. At serræ clauesq; nondum in vsu erant. laborant igitur vt inueniant, quodnam id vinculi, aut claustri genus fuerit. Achillis Clypeus quinque operimentis munitus fuerat, quorum vnum ex auro reliqua ex corio confecta; quodnam aureum fuerit, summum ne, medium an imum. Magna profectò res,& in cuius ignoratione totius Græciæ salus, immo humani generis nitatur. Quemadmodum & illa, quæ quoties repeto risum tenere non possum. Quærunt magni isti literarum proceres num aliquis vsus fuerit carnis elixæ Heroicis temporibus, negatque ex tripode magna horum pars. Nam licet apud vatem legatur *litore ahena locant alij*, ahenis veteres vsos non ad elixandas carnes, sed ad lauandum contendunt. Alij contra nituntur. Nam cum Vlysses sub mendici habitu domi suæ ignotus versaretur contumeliæ causa in eum procorum vnus bouis pedem iaculatus est. At culinæ magistri pes bouis,aiunt assari quomodo poterat? Itaque assis, & elixis carnibus etiam veteres vescebantur. Herculem vna nocte quinquaginta filias Thespij depudicasse quidam credi volunt,cum ipse vix tribus noctibus ab Ioue absolutus sit. Contra alij quinquaginta noctibus hunc demum laborem ab Hercule perfectum nobis persuadent. Digna quæstio in qua isti acumen suum exerceant. Quemadmodum & illa. Cum parturientes res obuias manu prehendere soleant, vt aliqua ratione dolorem imminuant, Latonam in Apollinis ac Dianæ partu, palmam tetigisse quidam memorant, alij contra oliuam manu tenuisse, alij laurum. Quos in tanta re tutò sequemur? Diomedes manum Veneris vulnerauit. Dextra ne fuerit an sinistra Grammatici certant, nec dubitant illud in disceptationem vocare, quo primum pede tellurem è naui desiliens Aeneas tetigerit, dextro, an sinistro, & post longa certamina eo inclinant vt credant iuncto vtroque pede prosiluisse.

Quid his faciemus P. C.? Non Anticyram continuo amādabi-

dabimus, ne toto quidem hellebori iugere sanandos? Sed antiquos ritus referunt, & retroacta secula sub oculos mittunt. Quid agerent Quirites, quî vestirent, quoties indie cõmederent. Expecto ergo vt aliquis etiam quærat num ijdem dormirent, & quidem in vtrumque oculum, num post cibum illuc secederent, quo saturi solent. Num oculos & nasum ipsi quoque haberent: Num apud illos plueret, ventique spirarent. Quomodo denique morerentur, & qua parte corporis animam emitterent. O miseros qui hæc narrant, miseriores qui audiunt.

Et istos vsui aliquando Reip. futuros creditis, hos moribus hos vitæ communi? Nam si aliunde hostilis metus increpet, si Vrbs obsidione cingatur, si arx, si foci, si delubra Deorum in discrimine versentur, trepidi ciues conuenient, vt de salute in medium consulant. Ad sit vero & vnus ex eruditulis istis. Quid per fidem allaturum putatis, aut excogitaturum, vt pereunti patriæ opituletur? Nisi me animus fallit, vbi omnium ora atque oculos in se conuersos videbit, grande aliquid minatus vocem in hæc aut similia soluet. O ciues, ciues perijmus. Hostis habet muros. Veteribus non hostes, sed perduelles dicebantur, ipsumque bellum duellum. Porro, & mœros mœnia dixêre à muniendo, & pomærium, quod post siue pone mœros esset, quod omni cultu vacuum purumque fuit. Quid autem vobis in re tam crepera agendum sit quæritis? Si bellum inferretis, ipse censerem prius Fæciales de more cum patre patrato mittendos, vt res repeterent, hastamque iacerent, sed quia illatum propulsatis, cum auctor vobis sum vt caducæatorem cum infulis mittatis, hunc autem à caducæo dictum scitis, quæ virga Mercurij Deorum internuncij fuit. Sin in pertinacia nihil profutura persistitis, peribitis cuncti. Hostes enim vel Vrbem corona cingent, vel pluteos ac vineas admouebunt, catapultis, ballistis, ac scorpionibus res agetur, Vrbs diripietur, & ea sequentur quæ mens referre horrescit, eorum imaginem apud Virgilium, Liuiumque & cete-

ceteros videre erit, in quêis ego ætatem contriui. Hæc ille cum supercilio. Auditorum autem saniores quid aliud quam intempestiuas nugas exploderent, & de media vena erudito pertundenda cogitarent? At quibus mens feruidior his maxime vocibus consultorem exciperent. At ò Deorum quantum est Grammaticis infestum te cum hostibus ipsis ac per duellibus, cumque patribus patratis, ac patrantibus perduit. Quid malum, iuvat in re capitali nugari, & in confinio mortis percunti patriæ illudere? Qui nisi ad te redieris non in Liuio, sed in robusto carcere ætatem conteres, vel te sacrum ac succidaneum, & si mauis intestabilem pro laruato Cereri sacrabimus. Si hæc illum merito auditurum putatis vos ab vno omnes discite, & de toto genere idem pronunciate. Quare ita ego è Rep. esse iudico, atque huius consessus maiestate, vt Critici omnes, literati, ac literatores è Senatorum albo expungantur tanquam nugatores, & humanæ vitæ inutiles, atque incommodi. Postquam Picus assedit incredibile dictu est quantum admirationis sed & quantum fremitus eius Oratio excitauerit. Plurimi, ijque dignitate præstantes notabantur: clarissimorum virorum decus pro concione proscribebatur, pauci admodum erant ad quos tã iniquæ declamationis inuidia non pertineret. Cum Beroaldus Cos. designatus sedato vultu, ita apud infensos cœpit. P.C. Grauiter, & iniquo animo has partes implere me fateor, vt Pici criminationibus aliquid reponam. Nam & si me in eorum numero esse profitear, quos iste iocum ludumque fecit, & propterea me quoque non perfunctoriè sugillatum, quia tamen sic à natura vsuque institutus sum, vt malim recte agere, recteque scribere, quam hanc calumniandi serrã reciprocare, supersedissem profecto lubens ingrato munere nisi me locus ac dignitas reluctantem ad hoc impelleret. Quid primum loquar Patres, aut quid non loquar? Novum crimen & inauditum. Nos Grammaticos appellat, idque omnium maledictorum complementum esse vult credi. Vide

Pice

Pice quam sim initio liberalis, non modo in hoc contumeliã agnoscimus, neque audito nomine erubescimus, sed vltro etiam in laudem iactamus. Quis enim adeo in literis hospes est quales tu nos paulo ante concinnabas, qui ignoret primo hoc nomine eos censeri qui literarum rudimenta pueris tradunt, quos alphabetarios, & literatores & de triuio magistros me non repugnante apelles licet. Quorum nullum non in senatum modo recipi, sed Helicone omnes auerti scimus. Alterum genus Grammaticorum, qui in duplici munere versantur, altero vt de scriptoribus iudicent, quos verè criticos dixêre, altero, vt eosdem interpretentur, hosque eruditos, philologos, & si vis Grammaticos, & nos fatemur, & vltro si tales dicamur beneficium imputamus. Sed illud serio adijciam ipsa fremente inuidia, hos homines non modo senatu mouendos, sed contra ijs maxime honoribus augendos sine quibus omnino stare Resp. literaria non potest. Veri enim ac perpetui literarum censores non in vna tantum arte ac disciplina consenescunt, sed mira ingenij capacitate, Herculeo labore scientias omnes peruagati, Orbem illum perficiunt, quem veterum multi nouêre, pauci admodum confecerunt.

Hi sunt quos tradit summus vir Quintilianus, tam seuero iudicio vsos, vt non versus modo censoria quadam virgula notare, & libros qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios submouere familia permiserint sibi, sed & auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Hi librariorum fucum & fraudes plusquam mangonias, magnisque scriptoribus toties suppositos spurios fœtus deprehenderunt. Iidem corrupta & vitiosa auctorum loca emendant ambiguas lectiones recensent, nec verba modo sed & sententias notant. In quo genere exercitationis ipsum Pisistratum, diuinam Aristotelis mentem & felicem Galeni curam versatam fuisse video. Quemadmodum in ipsis diuinarum literarum oraculis Lucianus, Hieronymus,

alij

alij sacram Criticen instituêre.

At scriptorum, præcipuè poetarum enarratio quantum habet dignitatis! & si vt idem Quintilianus tradit res ista plus habet in recessu quam in fronte promittat. Nec poetas inquit iste legisse satis est, excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo sed verba, quæ frequenter ius ab authoribus sumunt. Non citra Musicem Grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris & rhythmis dicendum sit. An si rationem siderum ignoret poetas intelligere poterit, qui vt alia mittam toties ortus occasuque signorum in declarandis temporibus vtuntur? Non ignara Philosophiæ cum propter plurimos in omnibus fere carminibus ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos locos, tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem, ac Lucretiũ in Latinis qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri opus esse apparet, vt de vnaquaque re dicat proprie, & copiosè. Quam vero medicæ arti salutaris sit Critice, ipsamque veluti medicinam curet non alius quam Galenus docuerit non minor fortasse Criticus, quam Medicus. Docebunt recens in Senatum allecti cũ principibus adnumerandi Mercurialis, Cagnatus, Fuchsius, Guillandinus, quique exacta ætate plures palmas quam dies numerat Hophtmannus. Nam de Iurisprudentia quid attinet dicere coram Alciato, Fabris, Brissonio, Cuiacio, Duareno, Donello, Cunæo, totque aliis qui tam feliciter diuinum, atque humanum ius obsidentem barbariem eruditionis ope profligarunt.

Sed Criticos nostros siue Grammaticos duplici crimine arcessis, altero quod ineptias sectantur acerrimè, altero quod non contenti finibus suis, audent etiam vestros limites reuellere, & in scientiarum campum audacter transcendere. Prima quidem noxa, nec ipse omnes nostros absoluo, quorum non pauci hac scabie laborant, vt in leuissimis occupentur, reique friuolas & inutiles in medium afferant, &

quandoque sana scriptorum loca peruertant. Num propterea totam artem damnabimus? An quia in Dialecticis plerique nugantur & inanibus captatiunculis se mutuo illigant, & sibi cornua affingunt ideo nobilissima facultas proscribenda? An sub eodem iudicio cadet medicina, quod non pauci inutilia sectantur, & Empiricorum ludibria tanto periculo exercent, vt ille apud Atheneum diceret exceptis medicis nihil esse Grammaticis ineptius. Si sacros Iuris codices intactos ineptijs creditis longe vos ratio fugit. Vel vnum Accursium interrogate, qui earum plaustra & harmamaxas effundet, nec propterea medium vnguem Iurisprudentiæ ostenditis. Demus hominem qui alterum tantum in sacris literis audeat, qui quærat dirâ humani generis eluuione, in naui illa mortalium reparatrice, vbi tot hominum pecudumque confecti cibi reliquiæ conditæ sint, cur non reuersus sit corvus, & vbi tunc omnia aquis occupantibus pedes fixerit: an canis Tobiæ caudæ motitatione domino suo blanditus sit, & quomodo ille vocaretur: quo lapidis genere Dauid gigantem prostrauerit: quomodo tot Philisthæorum præputia afferre Samson potuerit: quibus vnguentis se Iudith Olopherni placitura perunxerit, & ex qua materia confecta essent ipsius sandalia: an Asina Balaam intelligeret quæ loqueretur, & quomodo Angelum cognosceret, vt de ceteris sileam. An propter paucos inutiliter, & ridicule curiosos tantum opus, sacra Oracula interpretandi sacrilege damnabimus?

Sed Grammatici Ardeliones sunt, aliena inuadunt, & in omnes disciplinas audaciam suam extendunt. Vnusquisque enim scientiam quam colit Penelopem esse dicit, bonas literas esse ancillas ac famulas, eas Grammaticorum vxores esse, vel contubernales. O miseram Grammaticorum conditionem, quos isti ancillariolos faciunt, & scirpio, ac penso addictos, tantum non in culinam detrudunt. Nec licere volunt ijs saltem limis heram Penelopen contueri. O legem ini-

iniquam! Quis autem vnis vobis Penelopen addixit, & veluti confarreatione in manum conuenire voluit? Philologos autem qui & ipsi homines sunt, & ingenui, tanquam sacros & intestabiles hoc matrimonio arcuit? Virtutem communem esse credebam, omnibusque patere aditum ad illam; neminemque excludi. Sed valeat lex ista duraque cõditio. Dicam clara voce vt me exaudiant. Cur proci nobilissimi contenti Penelope non estis, cur ancillas quoque sectamini & sordibus caletis? Bonæ literæ vestræ Penelopes pedissequæ sunt, nostræ vxorculæ, liceat nobis sine æmulo frui, quid eas sollicitatis, & aliena matrimonia subsidetis? Apollo Rex omnibus idem.

Sileant ergo quicumque artem nostram vt tenuem, ac ieiunam cauillantur, quæ nisi disciplinis omnibus fundamenta iecerit, quicquid superstruxeris ruiturum est; Quæque scientias omnes beato quodam vinculo complectitur, & vt ille vere pronunciauit, necessaria iuuentæ, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis. Sint cum laude Critici antiquarij: sint Grammatici, dummodo qui omne aliud profitentur, nec nisi grandia minantur, ne Grammatici quidem sint. Hæc Beroaldus. Plura adijcere in Græcarum literarum laudem parabat Hermolaus, cum intercessit Apollo sicque ille conuentus dimissus est.

DE CAVSIS PEREVNTIVM LITERARVM.
Prolusio VIII.

Postquam discordia tetra
Ferratos belli postes, portasque refregit.

Postquam beatus hic terrarum angulus toto Orbe bellorum rabie conuulso ac lacerato, tanquam Olimpi vertex diu ventorum, ac tempestatum expers fatorum inuidia eodem tur-

bine correptus est. Postquam furiarum maxima classicum incinuit, rupta populis quies, iuuitque desueta corda, ac desides animos ad martium decus accendere: non vanus metus incesserat, ne literæ quoque ac disciplinæ eadem peste correptæ fatiscerent, & excussa pace, pacis quoque studia tollerentur. Neque enim conuenire posse, aut in certum fœdus coalescere credi parerat, cum literarum professoribus belli fœciales: tubarum sonitum cum miti doctorum voce: tympanorum pulsum cum æris crepitu: calamos cum gladijs: cũ clypeis codices: castra cum Gymnasijs: exedras cum tentorijs: cum cathedra prætorium: tormentorum vim cum disputantium voce: præteruolitantes ferreos globos cum ignauis dictis: densatas phalanges cum grege imbelli: acrem militis vultum cum placido epheborum lumine: rabiem cruore irritatam cum studijs humanitatis: Vrbicapum hominum occisorem Martem cum pudibundis Virginibus ad solum mucronis fulgorem misere trepidantibus.

Et licet ingeniorum lusus ista inter se comparauerit, vt literarum studium militiam, bellum diceret disciplinam, quod vtrinque labor ac contentio, vtrinque sacramentum, & auctoratio, exercitatio, ac tyrocinium: hinc Centurionũ, illinc magistrorum sæuitia: hinc fracta vitis in militis tergo, illinc flagellorum sonitus: hinc inde gradus & classes, vigiliæ, atque excubiæ, corpus laboribus fractum, duræ hiemes: exercitæ æstates: vtrimque stipendium ac laurea, vtrimque gloriæ, atque immortalitatis cupido. Sed mirum quantum ista discrepent, quamque toto cœlo distet militis ac studiosi ratio. Hic animos erudit, ille corpora contrucidat: hic bene loquitur, ille male agit: hic calamum acuit, ille gladium: hic atramentum, ille sanguinem fundit: hic cartis victura monumenta committit: ille ferreo mucrone in ex angui corpore mortis dictata perscribit: hic memoriam in æuum extendit, ille accelerat lethum: hic argumentis expugnat animos, ille machinis Vrbes diruit: hic sontibus patrocinatur, ille etiam

in-

insontes necat: hic leges perscribit, ille tollit: hic rerum causas naturæque arcana scrutatur, ille violat: hic sacra, sacrorumque ritus disponit, ille faces delubris admouet, arasque ferro populatur: hic pudorem ac pudicitiam tuetur, ille raptas e gremio matrum puellas media luce imminuit: hic ad salutem humani generis exsudat, ille ad perniciem: hic orco fatisque luctantibus mortales eripit, ille donat: hic ex contubernio mortuorum, quid deceat discit, ac docet, ille inglorius est nisi magnam viuentium partem in Acheruntis cēsum transcripserit: postremo hic naturæ interpres ac custos est, ille carnifex. Vna eademque opera Iani templum panditur, & clauditur musarum delubrum, Deæque imbelles cum classicum increpuit demisso vultu velut vallis in altera visum parte lupum sublimi anhelitu fugiunt, aliasque sedes circumspiciunt.

Nihilominus tanta est Imperij Veneti maiestas, ac magnitudo, vt armis circumquaque strepentibus, atque ipso Ioue bruto fulmine gentes perterrente, sua literis ac disciplinis quies constet, ac veluti Homerici Heroes caua nube Deorum ope circumsepti in ipso prælij ardore inter volitantia tela impune versabantur: sic Gymnasium hoc diuino Venetæ virtutis amictu circumdatum Martis rabie cuncta corripiente, non modo extra teli iactum consistit, sed armorum strepitum quo cuncta Italia concutitur non exaudit. Itaque alto hoc otio, quod in proximo sævum Martis negotium gratius reddit, mollique secessu non Musas modo colere & libris indulgere vacat sed longos quoque somnos carpere, mirari magis quam metuere, vt nullus nisi hostis bellum sentiat, pacis bonum bella horrida commendent. Quare dum cæteri arrectis auribus & hianti ore in tonstrinis ac Pharmacopolijs rumores Martis captant, sæpeque castra, ac prælia mero delineantur, & super mensa debellatur hostis, nos istud agamus & quid hoc anno ex Parnasso atque Apollinis aula noui Menippus afferat audiamus, rumoresque senum morosiorum

omnes vnius æstimemus assis.

Ex vltimis Helicone datis narrabat Menippus proxima vindemia, quâ licentia Autumnalis sacrificat Vacunæ, Bacchusque Apollinis frater ac Parnasi incola refectas nectare doctorum mentes generoso afflatu nouisque gloriæ seminibus fœcundat, literatorum lustrum actum esse Iosepho Scaligero atque Adriano Turnebo Censoribus. Præter summos Iurisprudentiæ Antistites magna seculi decora, ingens leguleiorum turba in tabulas relata, nec minor medicorum suboles, vt plures iam medicos Menippus fuisse diceret quā morbos. Horum maximus census & opulentissimus. Item Philosophi non pauci sed quibus minor res erat: pauciores Astrologi, ijque trepidi, & respectantes, postquam Principes prædictionibus inquietati, & tantum non singulis annis perire iussi, fatis manum iniecerant, eorumque præconibus indixerant silentium, magno in alienos annos inquirentibus. Eruditorum paucissimis, tot quot

Thebarum portæ aut diuitis ostia Nili.

Præcipuè ex Italia, quæ harum literarum mater, ac propagatrix eas vltra Oceanum glacialem porrexerat, vix vnum aut alterum repertum Menippus aiebat, qui hoc censu censeretur. Id Apollinis animum altius commouit, cumque postera die Patres vocasset in Curiam, retulit, quod in extremis rebus fieri consueuerat, viderent Coss. ne quid detrimenti Resp. literaria caperet, placuitque præsentis desidiæ causas excutere, cur pulcherrimæ artes perijssent, cur bonæ literæ silerent, earumque cultores turpem quæstum, atque illiberalem captarent, magna pars in pannis & inopia non sine sua ac totius senatus infamia ægrè famem pellerent.

Primus rogatur sententiam Iouianus Pontanus Cos. designatus austeri iudicij mordacisque acrimoniæ, qui, diuitiarum, inquit cupiditas hæc tropica instituit. Nunc enim Regibus Regumque filijs formosior massa auri videtur, quàm quidquid Plato & Aristoteles, Demosthenes, & Tullius Græci

ci Latinique delirantes finxerunt. Olim summum certamen inter Principes erat, vt & ipsi literis impensius imbuerentur, vel saltem eruditos domi alerent, vnde sibi nomen ac gloriā compararent. Hinc lepide Lucianur prodidit, Dionisium Siciliæ tyrannum ob morum diritatem apud inferos Chimeræ alligatum, eo supplicio solutum esse, quod doctos viros sæpe eius liberalitate sublenatos constaret. Summum inquam certamen vbique sed præcipuè Romæ iam inde ab Augusti ac Mœcenatis æuo in viris doctis, & præcipuè poetis ditandis, ac promouendis. Vix aliquis hac nota insignis septem colles, ac Mœnia Martis attigerat, licet in curta pœnula vilique centunculo, quæ literatorum suppellex, cum ab eruditis heris conquisitores destinati ad diuersoria, ad portas, in ipso itinere trahere molliter ad se, xenia, & hospitium offerre, tantum non pœnulam lacerare, gaudioque perfusos ad Dominorum liberalitatem, ad mensarum sacra, atque hospitales Deos, vel reluctantis cogere. Quem non ea munificentia, largusque optimatum fauor accenderet, vt totus musis incumberet, totoque Decembri vinum nesciret, non tam vt dignus hederis esset, quam vt contubernio Principum frueretur, adhiberetur procerum epulis, tolleretur eodem vehiculo, prætereuntium digito monstraretur, nouo cultu refulgeret, nec de lodice paranda sollicitus esset, sed vitæ commodis vberioribus magnæ mentis opera securus expleret.

Hanc laudem senescentem Leo ille X. renouauit, cuius æuo non ineptè poeta dixit, etiam doctorum mulas lautè opipareque exceptas effuso pretiosis tapetibus hordeo. Scilicet mortalium ille summus meminerat ab Cosmo & Laurentio maioribus suis Musas in splendorem assertas, tum Prytanæum alendis eruditis Florentiæ excitatum: nullam tunc bonis literis artem quæstuosiorem, aut honoratiorem: ab sordidis natalibus & obscuro loco viros doctos in Principum dignationem facile adscitos. Per eadem tempora Ara-

gonij Reges, cum Mediceis, Estenses, cum Sabaudijs, Vicecomites, cum Carrariensibus, Veneti cum omnibus certabant penes quos maior literatorum numerus conspiceretur, & quæ Aula plura doctorum capita in pompam ostentaret. Cũ inuidiosis stipendijs ab extrema Orbis parte euocarentur, & illi amplissimis Regiorum procorum pręmijs sollicitati, instar Homericæ Penelopes omnium conditiones respuerent, tenuisque fortunæ cultum Aulæ splendori magna pars ante haberent. Præcipue secutis temporibus cum Regum ille vltimus Franciscus I, ditandis eruditis ærarium exhauriret, scientiasque ac disciplinas ex Italia in Galliam tanquam in Coloniam transcriberet.

Post ea tempora quæ rerum conuersio facta sit quid attinet dicere, & nihil profuturo quęstu aures onerare? Quis nunc procerum, atque Antistitum doctum virum curto asse licitatur? Quis in Vrbe solo literarum nomine aut dignitatem aut opes inuenit? Quis in tota Italia, si Venetam Rempub. excipias, apud quam non magna modo, sed inuidiæ capacia stipendia vltro doctis offeruntur, ijque ab vltimis terrarum oris accersuntur, florent, vigentque, in pretio in ore omnium versantur, nec causam habent cur aut Augusti, aut Leonis æuo inuideant. Quis inquam bonas literas aut respicit iam, aut non despicit? Sed magna pars procerum mavult parasitos, aut peregrinas belluas auesque exoticas, & monstrosos ferarum partus pascere quàm eruditos; Qui domini voluptates instruat, qui censum scitissime mergat, ingenti auri pondere redimitur, psaltriæ, mimi, balatrones, conciliatores, Copreæ, servum pecus herum obsident, his ille diu, noctuque patet, si doctus vir occurat, tanquam creditorem exhorret, fugit, supercilium contrahit, stomachatur, & mollibus verbis ad extremum malorum famem compellit. Quod olim Ammianus memorat, cum ob ingruentẽ annonæ caritatem & sterilem annum Philosophi pellerentur, tria millia saltatricum retenta fuisse. Si qui autem ex

opti-

optimatibus eruditi nomen affectant, ij veteres nummos emunt, in statua hærent, de tabula picta aliquid blesa nare loquuntur, quidam etiam Bibliothecas magno sumptu instruunt, ne tineæ ac sorices extinguantur, libris auratos forulos, librorum auctoribus carcerem, ac compedes destinãt.

Falsos igitur omnino fuisse oportet qui ita dictitarunt, petentibus aulam doctis non esse opus commendaticijs epistolis, cum pulcherrimæ literæ fauori conciliando satis essent, quas animis gestarent. Nam hodie contra est. Apud literarum osores maxime literis opus est, non quas rancidi codices & antiquæ membranæ præferunt, sed quæ circa Regum Cæsarumque capita signato metallo fulgent, quique

scripto radiat Germanicus auro.

His literis abunde instructus princeps literatorum audiet & prophanus licet ipsa Eleusinia inuiset, nec vnquam sine aureo ramo Elysios adire poterit. Itaque nunc expedit aliquid aliud quam ingenium exercere. Quid ita per Deûm fidem? Nimirum à teneris credere assuescunt, eruditionem rem vilem, plebeiam, & principali fastigio minorem, literasque ignorare magnam nobilitatem esse. Quasi vero Cæsar, Augustus, Claudius, Adrianus, M. Aurelius, Iulianus & alij plures non tam Imperij, quam ingenij fascibus mortales submouerint, literarumque cultu dominationis maiestatem augustiorem non reddiderint. Nec mirum esse debet si bona quæ ignorant suis momentis æstimare non possunc.

Sed huius inscitiæ aliquando pœnas, aut certe ludibrium optimates debent. Nam quotiescunque illis latine loquendum est, cum scilicet exteri Italicæ linguæ ignari ad illos honoris causa inuisunt. Tunc videas ingentes trepidare Titos, & vel sero rubore perfunduntur, vel obmutescunt, vel quod turpius est interpretis ore in latio latine loquuntur. Fabulæ loco videri potuit fuisse olim agrestem parochum, nunc etiã vafredictis, aut factis famosum, quem cum vir Germanus de itinere Latine consuleret, & quidem coram paganis, nihil

per-

perturbatus ille ex Psalmo retulit *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis*. Cumq; peregrinus iterum de itinere percunctaretur obiurgatorio vocis sono subiecit quæ sequuntur *Donec ponam inimicos meos*, plaudentibus agrestibus & expeditam rationem latine loquendi in sacrificulo admirantibus. Sit ista vtcumque fabella dummodo illud certo constet, hac ætate in Aula Latine loquentes aut in conspectum non admitti si sint viliores, vel si eos admitti dignitas postulet, præclaros ludos omnibus exhiberi. Narrabat mihi magnus Antistes idemque nobilitate & literis summus, cum in quadam Vrbe de rebus grauissimis Regis mandato eximiæ dignitatis virum allocuturus esset, antequam admitteretur à cubiculi Præfecto interrogatum esse, an haberet linguam in Italia, renidens ille modeste, & ab seruorum doctrina herum æstimans, habere se dixit linguam in ore & quidem dentium septis custoditam. Ceterum præter patrium non alium sibi quam Græcum ac Latinum sermonem esse. Hæc vbi hero nunciata sunt, qui nihil aliud Latine didicerat, quam illud Litera occidit, semperque, vt ait ille, impense cauerat ne vnquam à literis occideretur, anxius & trepidus tamen quia aliud fieri non poterat hospitem excipit, ruit in amplexum miscet dexteram, totamque aulicæ adorationis scenam tacitus implet. Legatus sermonem in pauca confert. Regis sui mandata exponit, tum negotii causas & momenta facunde exequitur. Vbi finem dicendi fecit, contracto supercilio noster. Quid petis inquit? Subiecit ille se hoc & illud petijsse, totamq; denuo orationem à capite redorditur, nec aliud ab statua illa responsum retulit quam, Vade in pace.

Sed satius fuerat nihil respondere quam intra Leonis pellem Arcadice loqui. Prudentius alter non minoris fortunæ ad quem cum nobilis Belga officij causa inuisisset Latine cōpellans, Pythagoræus ille nunquam induci potuit vt silentiū solueret, donec hospes confusus, & indignabundus tanto ludibrio habitus discederet. Displicuit ea res familiæ, nec

de-

defuit ex illo grege, qui molliter herum tangeret, quod eo contemptu dignum hospitem credidisset. Refert herus se ideo non respondisse, quia linguam Germanicam non intelligeret. Sed ille, inquit familiaris, latine non Germanicè loquutus est. Tum procerum literatissimus subiratus, Cur mihi ante hoc non dixisti, nam illi latine respondissem? Quis talia fando temperet à risu? Hæc pestis bonas literas profligauit, hæc postremo funus indicet næniamque canet. Quis enim nunc nisi ad affines atque agnatos allegandus eas literas discat, quæ contemptum & inopiam afferant? Quare ad saniora conuertuntur, & vel foro operas locant, vel ægrotos curant, vel Deorum metu mortales obstupefaciunt, & cum magnos in barbarie progressus fecerunt illa decantant, quę non sine veniæ præfatione coram elegantibus viris proferri possunt. *Dat Galenus opes dat Sanctio Iustiniana Ex alijs paleas ex istis collige grana.* Quod si quis scriptorem eruditum memoret, præclarum dictum, insignemque sententiam proferat, aliud illi elegantius proferunt. *Non est de pane lucrando.* Et tu pater Musarum sanctissime miraris literas quotidie perire, vnum aut alterum vacui cerebri venire in censum literatorum? Ego ita statuo eruditorum osores post mortem ex Pythagoræ decreto per animarum peregrinationem in boues ac iumenta transmittendos, vt aliquando viri docti illis inequitent calcibus, ac fuste dolent, & veterum delictorum pœnam ad satietatem expetant.

Postquam Pontanus assedit rogatur sententiam Carolus Sigonius tunc Senatus princeps. Hic P. C. sapienter & grauiter inquit Pontanus disseruit, temporumque sordes acriter perstringens non immerito diuites obiurgauit, quod neglectu ac contumelijs bonas literas ad incitas redegerint. Sed non videntur hi mihi totius accusationis inuidia onerādi. Nam parentes ipsi suam partem peccant, qui nolunt liberos seuera lege proficere. Nam cum ad vota properant, commodaque & fructus scientiarum præcipiti spe vorant cruda

vt ait ille adhuc ſtudia in forum propellunt, & non eloquentiam quod tolerabile eſſet, ſed Philoſophiam, ſed Iuriſprudentiam, ſed rerum diuinarum ſcientiam pueris induunt adhuc naſcentibus. Non diutius ergo ſub pædagogo & primo literarum formatore eſſe patiuntur, quam dum Latina verba conentur, vnamque aut alteram Tullij vel Maronis pagellã conterant. Tum aſperis dictis magiſtrum increpitat parens. Euge homo nihili, quid tamdiu natum ſpem meam Grammaticæ compedibus detines, neque è carceribus emittis vt ad ſcientiarum metas percurrat? Eia age rumpe moras. Vides indolem & præcocis ingenij felicitatem, vimque ad magna quæque anhelantem. Quid cum tuis hiſce nugis tibi vis? nemo vnquam eruditus diues factus eſt. Da mihi vt tria verba latina dicat, neque ita latina, & breui faxo vt Conſtitutus in præſentia veſtra, ſcis reliqua, mox te cum tuis rancidulis literis iure deſpiciat. At Priſciano identidem caput franget. Quid tum? Frangat, dummodo crumena nummis quoque frangatur. Non alij iam viri hoc quotidiè faciunt & quidem ſpiſſa barba & denſis ſupercilijs? Noſter non ita nitidus in elocutione, ſæpe ceſpitans, ac ſtribiligine verba alternans lauream adeptus, vel ex curatione male valentium valebit ipſe, vel ex prudentum conſultis rei domeſticæ conſulet, vel etiam ex Cœli ærario diteſcet, nummoſque modio corruet. At vos cum veſtris Græculæ eruditionis obſeruationibus nemo obſeruabit: magna Latini ſermonis puritate puri, nudique incedetis, eadem opera barbariſmis carebitis, & nummis.

Talibus inſtantem monitis quemcumque parentem
Si poſſem affari; Dic ò vaniſſime quis te
Feſtinare iubet?

Hinc adoleſcens, immo puer ad Academiam perducitur, & poſt quinquennij vel etiam ſeptenij labores parenti ſuo ſimillimus euadit. Saltem patres moræ impatientes breui illo ſpatio vellent liberos eſſe ſub docti viris, egregijſque iuuen-

tæ moderatoribus. At Dij Deæque quales nunc ætatulæ filiorum præficiuntur! Non alia ex Vrbe seuerus vir accersitur, cuius supercilium ipse quoque parens expauescat: non largo honorario inuitatur, non prius quis sit, aut quid sciat excutitur; Sed dummodo in longa, atraque tunica sit, sacrisque vel destinatus, vel initiatus, nil vltra quæritur, satis doctus est. Licet & ipse adolescens atque imberbis sit, & quîcum discipulus lusitare possit, licet vix literis tyrocinium posuerit adsciscitur illico, vt scientiarum fundamenta in puerili animo iaciat. Licet ipse quoque canones Grammaticos totamque illam puerorum crucem non ita cognitam habeat, patris suffragio, & fortasse etiam matris magister est, & quidem venerabilis. Vt facile crediderim quæ in Italiæ vrbe euenisse à viris grauibus accepi. Nam cum paterfamilias diues vellet domi filium Iuris prudentiæ operam dare, vt ab Academiæ vitijs procul haberet, magno stipendio sacerdotem acciuit, qui Iuris, legumque ænigmata interpretaretur. Cumque ille Philosophus modo esset, Iustinianum ne de limine quidẽ salutasset, excusabat dictitans, se leges ignorare. Quid tum inquit prudens pater familias, siue legere, siue scribere, nonne Doctor es? Saltem nostri quod iste fecit in conducendo præceptore pecuniæ non parcerent. Quibus satis est si præceptoris vmbram, vel vt si dicam epitomen, & vestigium habeant. Quid ita? Quia minimo constat. Sola enim mensa dapeque gratuita qui herilem erudiat redimitur. De mercede nullus sermo. Et cum ancilla quæ latrinam lauat, cum mulio qui equos destringit, cum seruulus qui dominam gradientẽ suspendit ære mereant, solus magister gratis seruit, & miramini pro vno duos seruos existere, adeo nihil ingenui, ac liberalis ab istis trahere gnatus potest.

Audio parentes aliquid pro se reponere. Sæua tempora sunt, longa bella, caritates, terrarum sterilitas, sacra, lites, fiscus quotam redituum partem lancinant? Plures liberi: coercendi sumptus, nec in erudiendis filijs decoquendum.

O ho-

O homines ad rem suam attentos, & patrimonij seueros custodes! Sed vxor bina auribus patrimonia gestat: sed nebula serica pellucet, ventumque textilem induitur: sed picturatis vestibus aurum purpura decertat: nullum membrum præ auro leue est: sed plus domi quam ruri curruum & plaustrorum: sed vxoris gratia sæpe vir conturbat, Calendarium teritur, versura fit, cœca die emitur, quod clara vendatur. Sæpe auctio fit vt Iuno tua reliquas matronas anteeat. Quod si nummus instituendis liberis erogandus, Cœlum terræ miscetur, si pensionem pædagogus petat, tunc se miserum parens clamat, seq; eradicarier. Quid? ad voluptates instruendas quam largus est? Alea, commessationes, Venatio, satellitum, ac sicariorum grex quantum merent? Filij nulla mentio. Quin canes, equi, leones insano sumptu aluntur, quod in filio excolendo expenditur, perijsse illico dicitur.

Res nulla minoris
Constabit patri quam filius.

Hanc siue parentum incuriam, siue insaniam ipsi præceptores alunt, qui parentes vt plurimum seculi vitio literarum rudes lactant, decipiunt, mirosque ludos faciunt. Nam siue liuore in viros doctos, siue ambitione, quo sese magnis nominibus inserant, vix vno, aut altero anno ephebum contriuerunt, cum elato supercilio, & falsum gaudium vix prementes ad parentem properant, maxime si diues est, & Virgiliano hemistichio Salue Sancte parens, mox & Deûm certissima proles, nam si frontis honos, orisque lineamenta, & reliqua non congruerent, Caius tuus solo ingenio ex te natum se esse fateretur. Tanta indoles, mensque igne quodam volucris. Nil reliquum est, quod à me expectet, tu illum ab inuito abducito, Lyceum videat, Academiæ se ostentet, quin eum statim Themidi commendas, in penates purpuram & fasces illaturum? Nullum dulcius carmen hominibus accidit, quam quo se, suaque prædicari intelligunt. Audit lippus parens, & capitur. Affines atque amicos conuenit, in obuios gaudium

spar-

ſpargit, tribunalia ac cathedras filio deſtinat, & ſi Deo placet, cum vxorcula diu noctuque gaudium diuidit. Et ne ſcena deſit his ludis, paratur orcheſtra, Latina verba Pſittacus codenatur, vocem frangit ac geſtum, cantat, & ſubſilit, laudatur, plauditur. Papè ſic itur ad aſtra; Pupus ac delicium Muſarum. Magnum Iouis incrementum.

Quid inde conſequatur pudet pigetque referre. Primum omnium vbi Academiam ingreditur putat ſe in alium terrarũ Orbem delatum. Profeſſores audit, nec intelligit, mox culpam in ipſos regerit, ait obſcuros eſſe, ac ſalebroſos. Nimirum vt vetula illa apud Senecam, cum per ætatem duriori aure facta eſſet, querebatur malum morẽ inceſſiſſe, quod homines ſubmiſſius loquerentur, ita hi mentis vitio cœcutientes obſcuritatem profeſſorum arguunt. Hinc deſperatio oritur, vt quod non intelligunt contemnant. At parens putat natum altera die cum ipſo doctore venire in certamen poſſe, tardeque annos ire cõqueritur, veteres incuſat, quod tantum ſpatium laureæ perſcripſerint; Sed adeſt tandem optata dies, Candidatus in Comitium deſcendit, & quidem magna comitante caterua: choragium conducitur. Tribus in ſuffragiũ, ambitus, prenſatio, comites, laudatores. Surgis tu pallidus Aiax, trepidus, anhelus, cor facit artem ludicram, animus, ac vires labant, repulſam fers. Amici conſternantur, altum ſilentium, nec aliud quam ſe taciti reſpiciunt, tubicines, ac tympaniſtæ demiſſis capitibus domuitionem parant, parens animo linquitur. Quid deinde? Lucem reformidat, & conſpectum æqualium, per diuerticula, & infrequentes ſemitas domum repetit, deſperatio, ira, & in irritum caſuræ querelæ. Vidi ego hiſce met oculis iuuenem, non obſcuro loco natum ad hoc nuntium diriguiſſe, mox capto impetu ſemel, atque iterum caput parieti alliſiſſe, tanta vi, vt ſi tertio arietaſſet, non vltra opus ipſi conſolatione futurum fuiſſet, & feciſſet, niſi amici attinuiſſemus, atque obuoluto capite frendentem adduxiſſemus domum. Hos feſtinatio reddit honores. Sed

duos

duos ex nobilissima Vrbe contumeliæ impatientes breui mærore contabuisse nemo ignorat. Adeo generosum pectus repulsæ insolens est, & sera pœnitentia vitam pro laude paciscitur. Mitius mea quidem sententia alter, qui cum se suffragijs cecidisse intellexisset, vertit iram in doctoris insignia, & pileum quidem rotundum illum & rugarum plicis striatum per totam aulam rotauit, togam autem humeris detractam humique abiectam fullonis in morem pedibus obtriuit, non sine eius damno à quo vestimenta conduxerat.

Sed esto omnia ad nutum cedant: vota superi secundent, ambitus inertiæ ancilletur, fortuna pro virtute sit, plena vrna lauream decernat, & lauri baccas, quanta hinc labes, quanta calamitas humano generi obuenit? Nam cum duo præcipuè sint in quibus vita mortalium versatur Medicina, ac Iurisprudentia, si quis lauream habeat, nec mereatur, illud sequitur, vt cuicumque Medicum aut Iurisconsultum professo statim credatur, statim mortalium fata commendentur. Nec vllus quærit quid sciat, sed doctor est, illico vitæ nostræ, illico facultatum fit dominus, & quidem sine prouocatione. Atque vtinam intra facultates res staret, litesque modo ferrerentur, & causarum inexplicabilis series necteretur. Sed ex hoc corpore rerum capitalium quæsitores capiuntur, ad sistunt tribunali, de homine qui pars mundi est, & animantium numerum complet sententiam ferunt. Hæc non à me Oratorum licentia exaggerari illi sciunt, qui hæc vident, & alieno exemplo sibi metuunt. Vnde mali exempla fati, vnde calamitatum Ilias? ex inscitia, atque inertia, quod sine literarum fundamento scientijs propere ad moti sunt. Sed quid iuuat indulgere dolori, nec profuturis quęstibus diem ducere?

Quare ita ego sentio negotium Aeaco ac Rhadamanto Plutonicæ aule arbitris dandum, vt quid quid filij deliquerint, post vitam à parentibus expetatur, malique doctores, fautores inertiæ apud Inferos ab ijsdem discipulis vapulent, quos

quos nihil sapere magna mercede docuerunt. In Sigonij sententiam ab omnibus itum est.

LITERATORVM INFELICITAS. Prolusio IX.

DEcimus annus est & quod excurrit ex quo me Veneta maiestas in suo Athenæo Suadæ sacris præfectum iussit Musis ac posteritati vacare. Per id tempus nunquam ego destiti, & priuatis colloquijs & publicis adlocutionibus florẽtissimam iuventutem ad elegantiorum literarum cultum Græcæque ac Latinæ facundiæ studium adhortari. Sed quotannis præcipuè studiorum instauratione, cum futuris laboribus præludimus, & aliquid tanta frequentia, ac clarissimorum virorum concursu dignum meditamur, cur eloquentia bonæque literæ desertæ passim iacerent ad disquisitionem vocaui. Parentes accusaui præcipiti festinatione liberorum progressum corrumpentes. Præceptoribus veluti diem dixi, quod parentum ambitioni, ac propriæ inscitiæ velificentur, postremo in ipsos adolescentes Orationis acumen non semel distrinxi, quod in Academia ferias agant & dum parentes ad tolerandos sumptus rem deteriorem faciunt, illi quasi nummi paterna in arca rediuiui pullulent, noctem tumultu diem rixis, ac ludis ducant.

Ita nullus hoc anno declamationi locus relictus, tota accusatio exhausta est. An ergo veterem cantilenam repetam semperque eadem chorda oberrabo? Audite quid mihi in mentem venerit. Fert animus palinodiam canere, dicta retractare, nec vos de more ad politiorum literarum amorem accendere, sed quantum in me erit dehortari potius, & ab earum studio cultuque absterrere. Quoties enim mecum ipse repeto, quam infrugiferæ sint, sterilesque hæ literæ, quot incommoda ac ludibria sectatoribus suis afferant, quanto in

contemptu apud proceres versentur, si qua fides, dictorum & consiliorum omnium sera animum pœnitentia subit, pudetq; ac piget toties vobis earum literarum studium inculcasse, in quarum consecutione maximi labores exhauriendi, Bibliothecarum sepulchro insenescendum, legitimæ voluptates abdicandæ, abrumpenda vitæ blandimenta, vt demũ vna paupertas, vna miseriæ, vna contemptus confluant, earumque discipulos, ac doctores circumsistant.

Exhorrescat profecto necesse est, quicunque literatorum infelicitatem varios casus, supremasque necessitates reuoluet. Nec lingua modo, sed mens ipsa refugit, hæc Græcis cothurnis aptiora repetere. Non enim vnus aut alter forte quadam & fati malignitate, sed gregatim occurrũt, qui post consumptam literarum laboribus vitam, earumdem fructu ægrè ipsam vitam tolerarunt, & aut alienas fores obsidere, aut diuitibus adulari coacti sunt aut turpi ministerio alimenta expedire, aut omnium egeni in publica domo inter mendicabula indignantem animam proiicere; Et cum rabula, ac sillabarum auceps iurgiis, ac clamore ditescat: cum medicamentarius, cum artium ludicrarum doctores superbi per ambulent: cum sellularius aliquid quotidie lucello apponat, soli eruditi, nisi quos aut auita res, aut aliud artificium subleuat vna cum literis, & paupertate educantur, soli laudantur & frigent: tolluntur ad sidera, iacentque: comitati in publicum prodeunt, & ne servulum quidem domi, neque arcam, nec cimicem habent: pleno gymnasio excipiuntur, vacuas ædis incolunt: omnia cum ab illis petantur, nihil datur: libri eorum manibus omnium teruntur, suppellex digitum sustulit: meliorem existimationem habent, quam vestem. plures laudatores numerant, quam nummos: salutationibus pleni, inanes loculos referunt: verba dant, & accipiunt: digito monstrantur, nescio ob ingenium, an ob corporis illuviem: & cum bene laudati domum venerunt, sæpe incœnati cubitum petunt, credo vt summo mane facilius ad Musas salutandas expergiscantur.

Sed

Sed hæ maximæ nugæ sunt, præut quo pacto fortunæ liuor, Regumque inclementia atrocia in eruditos exempla semper edidit. Ab Homero principium Musæ. Is omnis sapientiæ, atque eruditionis parens, ingeniorum princeps, naturæ indulgentis miraculum, nescio maiori fatorum infamia, an vestro Pierides rubore, sine re, sine lare, ac tecto, omnis diuinæ, atque humanæ opis egentissimus & ad augendam superum inuidiam oculis captus, manum porrexit ad stipem, ac diuini poematis partes decantans ad ostia, ægre famem depulit: vt etiam in ipsa morte fortunæ ludos instrueret, nã quod iocosum piscatorum ænigma soluere nesciuisset, mœrore extinctum haud obscuri scriptores prodiderunt. Forte illi in littore cum mare turbatum ferias daret, aprico Sole, alij capturæ intenti, fœda indagine demersa capillis, ac sordentium tunicarum rugis animalcula quærentes, quæ reperire nollent, viso Homero per ludibrium vatum maximi tamquam de tripode sententiam explorant. Nodus Homero vindice dignus hic erat. Quos cœpimus non habemus, quos non cœpimus habemus. Sed mendico nostro facilius fuit mori, quam nexum expedire. Idque vnum ludibrio deerat, vt qui pediculorum agmina verminantium toto corpore pauerat translata veluti in animum Phtiriasi ab ijsdem conficeretur. Quid iam cetera persequar? Pindarum Lyricorum Deum in ephebi gremio expirasse: Euripidem vt ferunt à canibus laceratum: Pythagoram vna cum sectatoribus infelicibus flammis vstulatum: Platona inter epulas diuinum illum spiritum exhalasse: Aristotelem, quod Euripi naturam non caperet, se in eundem coniecisse: Demosthenem, veneno captiuitatem effugisse: Plautum in pistrino non hominis operas locasse, sed caballi: Lucretium amoris poculo in furorem actum: Tulliũ inimico ceruicem prebuisse: Ouidium tota barbarie obrutũ: Senecam & eius agnatum Lucanum purpuream animam toto corpore euomuisse: Plinij naturæ capax ingenium cineribus obrutum, & ne hîc omnes Libitinæ fastos excutiam, dicere

distinctè prætermittam, alios dira lue absumptos: quosdam veneno sublatos: hos aquis interceptos: illos penatum suorum ruina consepultos: istos ferrũ iugulo infecisse: illos igne funeratos: plerosque aut pædore carceris exanimatos, aut carnificis manu confectos: nonnullos seruili dextra, aut vxorum insidijs occubuisse: alios denique vt egestatem, vel contumelias exirent in se vertisse rabiem, & vel iacto in præceps corpore, vel transfosso pectore, aut aperto iugulo fatis satisfecisse. Sed ne antiqua nimis repetantur, quis nescit Nicolaum Francum elisis laqueo faucibus pependisse? Aonium Palearium, Iacobum Bonfadium, Hieronymum Sauonarolam publicè crematos? Vt ingentem eorum numerum transeam qui capta ab Hispanis duce Gallo Vrbe Roma, mille mortis generibus per teterrimos cruciatus expirarunt. Cum ingeniosa barbaries inaudita tormentorum genera excogitaret, vt immania tributa exigeret, ac defossi auri confessionem exprimeret. Cum proceres ipsi asellis conuersa facie impositi, sacrorum veste excultis militibus, cęno obliti sub furcas agerentur; At eruditorum seruientium turba validos tortores delassaret: & hi quidem admoto igne torrerentur: illi de putei troclea quassati, moxque ijsdem aquis demersi: magna pars adactis sub vngues festucis excarnificati: minutis vulneribus confecti: candenti ferro vellicati: feruenti adipe plumboque adusti: & quod ne veteres quidem Tyranni excogitarunt per testes, ac generationis membra suspensi, tãdemque vigilijs, algu, inedia exanimati. Vere barbari, vere stipites, qui ab eruditis aurum poscerent, quorum soror, ac comes paupertas semper fuit, magnaq; suppellex librorum cistula, putris grabbatus, & luctantes cum tineis chartæ, vestesque infelicitatis instrumenta. Quorum tam fæde morientium triste solatium fuisse existimo, quod viderent, ipsos Troiugenas, heros suos vel potius carnifices, ęrumnarum sorte sibi æquatos, auaritiæ ac crudelitatis pœnas, plusquam ipsi vellent, persoluere. Nolo in vniuersum conqueri non enim

præ-

præficæ operam locaui, quæ literatorum funere lessum faciat. Ingratam auribus vestris hanc næniam non dubito. Sed torquet me atque excruciat, vt nihil de his temporibus loquar, recens eorum memoria qui nondum expletum fatorũ furorem testati sunt. Nam Ludouicus Ariostus, Etruscus Homerus, quantum ab heris suis adeptus est, quibus ille ęternam nominis gloriam comparauerat? Malo ipsum interrogetis satyrasque vetustati pares perlegatis, quibus fortunæ suæ angustias, ac patrimonij tenuitatem non sine Dominorum inuidia facunde, ac salse miseratur. At Torquatus Tassus, Italus Virgilius, ab ijsdem tam illiberaliter exceptus est, vt propter hoc credatur vergente ætate mente euersus, qui sapientiæ morbus cum paulatim remitteret, vt præparcũ Principum ingenium vlcisceretur, diuinum opus, nescio an melius immutatum Aldobrandinis inscripsit, à quibus destinatos summo vati summos honores mors anteuertit. Porro Io: Baptista Marinus quantum poesi lucratus est? longo carcere fractus, tam propè à ferali pegmate, quam à veterum poetarum laude fuit. Nisi quod extremis annis propitium Gallicum Cœlum habuisse visus est; sed vnde vnctius caput non retulerit, vt demum in patria maiori laude, quam censu extingueretur.

Quis vetat in maxime libera terrarum parte libere loqui? Si rectè calculum ponamus procerum illiberalitas hæc tropica instituit. Fuit quidem tempus, cum nihil honestius nihil fructuosius fuit, quam vacare literis, ingenijque beneficio magnis capitibus innotescere. Cum orbis domini terrarumque rectores, vtrumque solem victorijs emensi, viros doctos expeditionum comites haberent, regijsque muneribus cultos propè principalis fortunæ fastigium adstituerent. Alexander enim hoc vno magni cognomẽ promeritus, inter spolia Darij Regis vnguentorum scrinio capto pretiosissimo, librorum Homeri custodiæ destinauit. Idem Thebarum direptione, Pindari domum intactam seruari mandauit; Ari-

ſtotelis præceptoris patriam condidit, tantæque rerum inquit Plinius claritati tam benignum teſtimonium miſcuit. Quod ſum additurus vix apud vos fidem inueniet. Apud Athenæum Laurentius vir Romanus de Tetrace aue loquẽs, ego autem inquit, exiſtimans virum doctiſſimum Ariſtotelem dignam hanc auem putaſſe de qua mentionem faceret, cum tractatum illum tot talentis æſtimatum adijſſem. Nam Stagiritem ipſum octingenta talenta ab Alexandro accepiſſe fama eſt, ob hiſtoriam animalium. Ergo Alexander vnum tractatum præceptoris ſui, quadringentis, & octoginta millibus florenorum æſtimauit.

Verè in Alexandri Magni comparatione noſtri Principes Reguli ſunt, & vt ait ille hominum mendicabula. Quis tamen nunc homini docto quadringentas libras donaret, quis centuſſem? Sola Veneta Reſpubl. vt conſeruatæ perpetuo libertatis vnicum poſt homines natos exemplum eſt, ſplendoreque ac magnificentia maximos Reges ſuperauit, ita liberalitate, ac largitione in literarum cultores Principes omnes, ac publicas poteſtates longo interuallo poſt ſe reliquit. Teſtis vnus Sanazarius cuius tetraſtichon quadringentis aureis penſauit. Ne hic inuidenda præmia ponam, quibus ſemper ſummos in omni ſcientiarum genere viros ex toto Orbe in hoc ſuum Athenæum euocauit. Ad veteres redeamus ignota ſeculo noſtro, vel potius irriſa exempla. Plinius auctor eſt duos medicos Theombrotum, & Eraſiſtratum alterum Ptolomæo, alterum Rege Attalo ſanato, vtrumque centum talentis donatum, ideſt ſexagenis millibus florenorum. Tranſeo Auguſtum & ſeculum illud literatis aureum, nam auro monumenta vatum pendebantur, cum non herbarum ſterileſcentium ſerta, coronaſque laureas, & oleaginas, ſed auro gemmiſque graues cordatiſſimus principum largiretur. Ad quam munificentiam tali caſu fortaſſe magis accenſus eſt. Ipſi à palatio deſcẽdenti epigramma porrigere Græculus ſolebat, idque cum ſæpe faceret Auguſtus aliud epigram-

gramma obtulit; & carmen carmine vltus est. At vates legere, mirari, vultu ac voce comprobare, tum demissa in pauperem fundum manu pauculos nummos principi donauit, adiecto, per tuam fortunam Auguste, si plus haberem plus darem. Delectatus ille vrbanitate non stulta, centum HS. numerari iussit idest bis mille quingentos florenos.

At nunc si quis exteris principibus non epigramma, sed magnum poema, sed vastæ molis librum inscribat, & porrigat, aliqui ne aspiciunt quidem, & vel in bibliothecam alendis blattis ablegant, vel ad sellas Patroclianas deportari iubent, bonum factum quod ipsos auctores in pistrinum, aut latomias non conijciunt. Quidam humaniores expansa hilariter fronte, atque ore renidenti laudant, sed laudant tantum. Vt ille qui Vrbis magistratum adeptus cum tubicines & æneatores, ad palatij fores diù lætitiæ causa cecinissent, & dispensator moneret, ipsis aliquid de more donandum, sordidus senex demisso per fenestram capite, cepit tumentibus buccis quasi tuba caneret perflare, seque par pari reddere adiecit, hoc est spiritum, pro spiritu, siue vt ipse loquebatur, flatum pro flatu. Sic & auari proceres pro libris in quibus tantum verba sunt, verba dant, laudes pro laudibus, flatum inferni gutturis pro flatu. Nec mirum magna pars quid sibi detur ignorant. Quare

Frange miser calamos, meditataque carmina dele
Qui facis in parua sublimia carmina cella.

Atqui Vespasianus auaritia infamis, reliqua Princeps optimus, primus e fisco Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena constituit, idest bis mille & quingentos florenos. Idem senex parcissimus, & ab lotio vectigal exigens, Saleio Basso poetæ D. HS. donauit idest duodecim millia, & quingentos florenos, quanti nunc literati omnes cum ipsa Academia redimantur.

Hanc veterum liberalitatem aliquot secuti Principes æmulati sunt, sed numero tot quot

Thebarum porta, aut diuitis ostia Nili.

Laurentius, Cosmusque Medicei, Leo X. Matthias Coruinus, Franciscus I. Gallorum Rex & ante omnes Veneta Respublica. Sed eorum qui eruditos mille modis vexarunt, & ad egestatem ac famem compulerunt iniri numerus non potest. Verum ne in immensum Oratio excurrat insigni exẽplo contentus ero. Vos crimine ab vno discite omnes. Maiorum nostrorum memoria sacrorum Rex fuit, reliqua fortasse ter sanctus piusque, verum literarum, ac literatorum osor ne dicam pestis, ac pernicies. Et quo magis subagreste liuidumque hominis ingenium innotesceret flos eruditorum ea tempestate fuit. Inter quos Platina, Pomponius *Lætus*, Callimachus, Pontanus, Sabellicus, Sannazarius eminebant. Hi ad propagandas bonas literas sodalitium Romæ instituerant, & quicumque in eum cætum adscribebatur veterum ingeniorum illustria nomina ad æmulandum decus assumebat. Ita Bartholomæus Saccus, siue ab hoc instituto, siue aliũde Platina est dictus, Iulius Sanseuerinus Pomponij Læti cognomen assumpsit, Filippus Geminianus Callimachi, Iacobus Pontanus Iouiani titulo gaudebat, M. Antonius Coccius Sabellici, Iacobus Sanazarius, Actij Sinceri cognomento nobilis fuit. Ea nominum nouitate populorum pastor offensus, quasi occultæ conspirationis tessera esset, Platinam, & Callimachum tam quam impios, ac maleficos tormentis excruciauit, Pomponium Lætum Venetijs ad dicendam caussam in Vrbem pertractum, nunquam tamen adigere potuit, vt falsa aut se indigna fateretur: sed in nullum atrocius quã in Platinam sæuijt. Nam cum initio regni Abbreuiatorum ordinem sustulisset, inter quos & Platina qui indè ad paupertatem redactus, cum sæpe questus, semperque inauditus, ac reiectus dolore amens, cum nescio quam Concilij mentionẽ iniecisset, crassis compedibus vinctus in turrim vẽtis ac tempestatibus peruiam hiberno tempore coniectus, quatuor mẽsium spatio eam calamitatem tulit, quod plusquam herus sa-

peret,

peret, donec Cardinalis Gonzaghæ accuratiſſimis precibus regeretur. Sed non ita multo poſt ob inanem ſuſpicionem iterum tormentis ad mortem fere laceratus eſt. Nam cum falſo rumore delatus fuiſſet Callimachus vmbraticus vir, inermis, & abdomine tardus aduerſus ſacrorum Regem conſpiraſſe, iamque multos aſſeclas habere,& ad Vrbem perdendam reſque immutandas feſtinare: iterum Platina in vincula coniectus eſt, tamquam conſpirationis ſocius, & mandata quæſtione Vicecancellario cuidam,in Adriani mole,primùm homo ſacris initiatus, & ſi quis alius vmquam optime de ſacrorum regimine meritus, omni veſte nudatus raptuſq; in ſublime demiſſo fune diu multumque quaſſatur. Quo tamquam ludicro ſpectaculo quæſitor torquem aureum Præfecti lictorum atrectans rogitat vnde illum habeat & an amicæ munuſculum ſit, multumque de amoribus ſuis confabulatus conuertitur ad pendentem Platinam, iubetque populares coniurationis edere, & quia forte Pomponius Venetijs ad Platinam ſcribens, ſanctum Patrem appellauerat ſubijcit ipſum ſacrorum dominum deſtinatum. Quibus ille conſtanter refutatis ſemiuiuus in lectum fertur, vbi fractis oſſibus, totoque pectore convulſo cum manum ori admouere non poſſet fame perijſſet, niſi qui eodem carcere attinebantur alimenta porrexiſſent. Iam ſummus ſacerdotum omnia vana ac falſa compererat, totque viros inſontes iniquè excruciatos intelligebat, ſed ne leuitatis aut ſæuitiæ incuſaretur,in eodem conſilio perſeuerauit: huncque & Pomponium ob nominis mutationem, quodque Platonem diuinum appellaſſet tamquam impios & nefarij dogmatis conuictos longo, ac diro carcere macerauit.

Quid nunc in Vrbe aut alibi fiat haud ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim ita res lubrica eſt. Putatis vos inter has principum ſordes, ac ſæuitiam vigere bonas literas, aut gradum aliquem obtinere poſſe? Sed priuati homines quoque optimatum ingenium æmulantur, remque eſſe regiam exiſtimãt

literas elegantiores contemnere. Ita somnia nunc iure videbuntur, & anicularum deliramenta, quæ summi scriptores prodiderunt. Viginti talentis vnam orationem ab Isocrate venditam vt auctor est Plinius, idest florenorum duodecim millibus. Idem tradit Gorgiam Leontinum hominum primũ auream statuam solidam Delphis in templo posuisse. Isocrates orationem vnam in Vrbe eruditorum plena tanti vendere potuit? Dî me perdant si quis nunc bene magnam orationem duodecim libris æstimarit, & fortasse non iniuria quia ne duodecim quidam assibus fortasse digna. Ita nulla vilior nunc quam literarum annona. Cuius rei argumentum domi capere possumus ne foris coniecturam quæramus. Nam cuicunque has literulas professo quotidie aliquid negotij etiam ab ignotis obijcitur. Hic præfationem postulat, ille epistolã nũcupatoriam: ille pro Doctoris insignibus gratiarum actionẽ, hic funebrem laudationem: elogia quotidie etiam conuitio extunduntur, nemo iam moritur vt non parata crux sit ad mortis carmen pangendum, est qui epistolæ amatoriæ argumentum petere audet, & alieno ingenio insanire. Instant typographi, bibliopolæ, pictores. Nemo caminum, aut culinam pingit, qui non emblemma, ac breue dictum postulet. Dij benè qui nos teneræ frontis fecerunt. Nulli negare scimus, aut possumus. Orant, morantur, flagitant & tantum nõ pro imperio agunt, vnum diem alterumve, quidam & horas præscribunt, quasi tam facile sit aliquid duraturum cudere quam pyrum volpes comest. Nec desunt qui censuram adhibeant, & quædam sibi placere, quædam tollenda indicẽt, alij de longitudine alij de breuitate queruntur. O miseros quibus hæc quotidie deuoranda sunt.

Hæc tamen tædia, has indignitates largientium liberalitas rependit. O seri studiorum! Aegyptij iudicem sine manibus formarunt ne quid posset accipere. Eruditus si centimanus esset nihil tangeret, ac ne videret quidem si oculeus totus. Omnes gratias agunt, & reducto bis terque pede

corpus inclinantes postquam adorationem peregerunt Domine aiunt. Tu quoque nobis impera. At Doctor, quid aliud ego imperem nisi vt habeatis bonam mentem? Non vnum tacite exprobrantem audio. Siccine musarum sacra prostituis, literasque auctionaris? Non te pudet sordium? Atqui non pudet Iuris oracula pro responsis pretio decidere, & laurum auro pendere: non pudet Aesculapijs filios pro salute pacisci: non pudet Astronomos mortalium fata licitari, & res quoque olim futuras ad mercatum vocare: pudebit oratorem quasi lex Cincia reducta sit ob orandum pręmium capere? Ipsi sacricolæ ne gratis quidem mortuis parentant, ac funebre carmen modulantur, qui breui elogio mortui memoriam extendit in æuum is præmio carebit? O seclum sordidum, ò iniqua ingenia, o literas steriles & infrugiferas.

Sed quorsum tendit tam inuidiosa Declamatio? Damnabimus ob hoc bonas literas? Næ illæ nimis proscriptæ, ac proturbatæ sunt, nedum nostro præiudicio opprimantur. Quid autem nos postea? ludum intercludemus, aliamque artem profitebimur? Ne Dii hoc sirint nobilissimi Iuuenes. Quid ergo? Ita has literas complectamur, vt cum Iuris prudentia cum medicina coniungamus. Hoc modo artibus, ac disciplinis vnicum hoc decus addemus: nostræ literæ scientias, atque artes a barbarie, atque irrisu, illæ amæniora studia ab inopia defendent.

DE STVDIORVM NECESSITATE.
Prolusio X.

GRæcis ad Troiam pugnantibus, Teucrisq; manum contra conferentibus, cum noua subinde prælia miscerentur, atq; hinc Achiui fugerent, premeret Troiana iuuentus, inde Phryges instante Achille vix se intra Pergama tu-

tos crederent, omnia denique sæuo Marte strepérent: populi Troiani seniores ob ætatem belli expertes in portis Scæis stetisse poetarum maximus tradit, a prælio quidem cessantes, verum concionatores bonos cicadis similes, quæ arbusculis insidentes dulce carmen modulantur. Id propemodum hodie mihi atque vniuerso professorum ordini amplissimo euenire video. Nam Veneta Rep. teterrimo ac funestissimo bello implicita, & Ottomanici Imperij extremo conatu per summum scelus ac perfidiam repentino incursu conflictata: cum hinc freti dominatrix Creta centum olim Vrbibus clara, solaque Tonantis natalium conscia, moti Orientis viribus appetita, totaque barbarie superfusa Thracij Tyranni manus, atque impetum eludat, Vrbsque Cydonia LXX. mortalium millibus obsessa exigua manu diram oppugnationem diù sustinuerit: hinc classes non sine maris gemitu, ac ventorum labore concurrant, atque inter tormentorum fulgetra, ac Cœlo volitantia collisarum nauium fragmina, quassas continua verberatione rates, furentem in vndis Vulcanum, & dehiscente pelago absorpta nauigia constrato cadaueribus mari de color cędibus Oceanus currat. Cumque maiora superbus Asiæ regnator vtrumque solem imperio emensus minitetur, cuncta belli apparatu perstrepant, noui delectus quotidie habeantur, omne nemus in classem cadat, Martisque sidus infausto lumine intestinis cladibus attritam Europam perterrefaciat: nos interim hic veluti Troiani populi seniores belli totius expertes, Oratores fortasse non boni, cicadis similes, si non λειριόεσσαν, at stridulam vocem fundimus, ac veluti alta pace pacis studia meditamur. Non truci classico excitamur in pugnam, non altos somnos buccina frangit, non tubæ ac tympana Oratorum vocibus obstrepunt, non ferrei præteruolitantes globi erumpentium flammarum immani fragore circum tonant, non cuniculi muros subruunt, non dira fames lenta tabe conficit, non vigiliæ lassata membra exhauriunt, non mortis imago

vn-

vndique obuersatur, nullum belli incommodum sentimus præter belli metum.

Deus O. M. & secundum Deum Respubl. maxima omniũ, atque optima, nobis hæc otia facit. Cuius beneficij magnitudo tanta est, vt humanum captum supergrediatur, nec verbis facile exprimi possit. Eadem enim Resp. quæ scientias olim, ac disciplinas tot barbarorum incursionibus oppressas, ac consepultas excitauit, atque instituto in hac Vrbe literarum emporio, per totum terrarum Orbem felicissime disseminauit, eadem nunc inter fortunæ sæuientis minas destituta, de salute, de imperij dignitate, de libertate dimicãs, inter prima curarum ponit, vt literæ non sartæ modo conseruentur, sed ne quid bellici furoris, qui more incendij cuncta corripuit, earum quietem, ac solitudinem inter turbet. Quis alius vnquam principatus, aut publica res, sæuiente Marte literas respexit, aut de earumdem incolumitate cogitauit quidem? Roma in ipsa pace philosophos, ac Rhetores eiecit: Lacedæmon disciplinas ne admisit quidem, sed tamquam prophanas, ac noxias absistere iussit: Athenæ ipsos oratores, rerumque scriptores armarunt, classibusque præfecerunt: nostra denique, atque auorum memoria in tota Europa ad primum tympani pulsum docentium voces conticuêre, & aperto Iani templo, clausa sunt Musarum sacraria, indictum literis iustitium: Gymnasia veluti in pestilentiâ deserta, & serpente gramine, ac findente marmora caprifico squalentia, vel militari licentiâ occupata, prophanata stabulis, ac præsepibus, sarcinis iumentisque constipata, alto sordentia sterquilinio; Clarissimi professores intra domos abditi, magna pars ære minuti, quod in militis sacculum rueretur. At hic inaudito exemplo, non modo doctoribus stipendia procedunt, sed magnis rei pecuniariæ angustijs, noui professores amplissimis honorarijs, veteres inuidiæ capacibus incrementis locupletantur: quodque alibi mortales ingruente bello vxores ac liberos & pretiosissima rerum, vel

mu-

munitissimis arcibus vel montium fastigijs, ac recessibus seponunt in tutum, Veneti Patres literarum depositum secundum libertatem pretiosissimum, hic veluti extra teli iactum collocarunt, vt his seruatis pignoribus æquiore animo qualemcumque fortunam perferrent.

O incredibilem Reip. mansuetudinem, sapientiam singularem, rem non sine nostro rubore percensendam. Ex regnatrice nobilitate nemo vnus est, qui hoc tempore quiescat. Amplissimi Patres semper Italiæ principes, omnibus domi, forisque honoribus, functi, senecta excusante laborum immunes, ingentibus curis ægri, continuis contentionibus corpus, animumque frangunt: nos insinuatis pectinatim manibus desidemus. Illi in specula libertatis terris omnibus eiectæ excubantes perpetes noctes, in Curia consultationibus de summa rerum exigunt: nos in lucem quiescimus, atque in studiorum vmbra pallemus. At fortior ætas, futurus senatus, libertatis spes altera, florentissima iuventus extra patrios lares apud horridas gentes parendo, atque imperando fidei, ac fortitudinis omnibus exemplum præit: pars intra obsessas barbaris Vrbes quotidie caput discrimini obijcit, vigilijs, fame, siti, algu conficitur, & quæcumque obsessis infanda obueniunt tolerat: pars nauigijs imposita, perfidiæ maris, ac ventorum impotentiæ obiecta, Veneto sanguine Oceanum imbuit: Nos mero diem frangimus, ac luculento igne hiemem fouemus. Omnes summi, infimi pecunias in rem bellicam conferunt, nos omnium immunes eximia Principis liberalitate prouocamur, & vt Homerico verbo omnia complectar cicadis similes sola voce iuvare rem possumus.

Nec dubito ex professorum cœtu fore quemquam, qui non toto pectore adlaboret, vt quem sibi Resp. locum dedit cum dignitate tueatur, & quam semel suscepit Spartham exornare pergat. Ita de nobis Resp. merita est, id virtus & anteacti labores de singulis pollicentur. Sed etiam, atque

etiam

etiam vereor ne iuventus nostra quemadmodum consueuit malit bellantes æmulari, quam pacis studijs modeste informari. Nobilissima iuventus ex toto Orbe collecta, magnarũ domorum incrementum, breui Gymnasia, Curias, Tribunalia repletura, in hoc otio literario nimis negotiosa, erumpentem spirituum generositatem ægre cohibet, atque ætatis feruore velut in procinctu gaudet tractare ferrum, & facili negotio, Panicisque terroribus ad arma consternatur.

Quis furor ò ciues quæ tanta licentia ferri?

Iurgia, tumultus, prouocationes, obsepta itinera, glandium procella verberatæ domus, tormentorum tonitru terrefacta Vrbs, oppugnationes, insidiæ, omnia in belli faciem composita. Nocturnæ excubiæ, militaris tessera, nisi quod in castris vigiliæ summo cum silentio peraguntur, nostri non vigilant modo, sed horrendo tumultu alios ingratis vigilare compellunt, & fortasse verentur, ne professores altius stertant, minusque mature expergiscantur, vt prælectiones suas antelucano meditentur. Quæso nunquam ne Patauij dormire licebit? nam vt æquo animo hanc adolescentiæ exultantis libertatem feramus, etiam postquam æstiuæ feriæ Gymnasia clauserunt, & iuventus studiosa ad patrios lares digressa est, siue nocturni prædones, & perfossores parietum, siue procax & lasciua erronum manus, dormientes inquietat, cogitque viros modestos, & pacis amantes, tamquam in obsidione insomnes noctes traducere, & absurdo more ferro, atque igne nocturnos insultus arcere.

Sed vt ad nos redeamus, Iuuenes optimi, non est hæc Veneti Senatus mens, qui nullis sumptibus parcit, vt eximios in omni facultatum genere viros vobis erudiendis præficiat, & quod vsquam egregium est ex toto Orbe arcessit, vt vos in dies doctiores, & Reip. aptiores videat. Vicena & amplius aureorum millia, quibus legiones alere potest ingeniorum vestrorum culturæ impendit, tot præterea immunitates, ac decora indulget, vt vos emolliat, & mitiores ad vitæ ciuilis

man-

mansuetudinem reddat. Non hoc est parentum vestrorum consilium, ac votum, quorum non pauci malunt a studijs natos abducere, quam vbi ad Academiam miserunt in perpetuo metu, ac sollicitudine eorum causa versari. Praeterea non omnes diuites esse possumus, & humanae opes iniqua fatorum lege dispensantur. Ita fit vt plerique parentes ad tolerandos in Academia filiorum sumptus omnia domi perpetiantur, & siue sterilescat annus, fundisque decoquat fides, siue laxent horrea prouentus, ex aequo premuntur. Quid hoc anno vilius vindemia fuit? Messis pretium vbique iacet, & postquam Coeli, solique indulgentia annui reditus minuuntur, praeposteris votis annonae caritas optatur. At belli necessitas noua vectigalia importat: noua portoria, scripturaeque, ac capitationes à fidissimis socijs, promptis in mitissimũ dominatum studijs, certatim expediuntur, quota pars restat ad alendam familiam, ad sustentandos liberos? Immune facinus sit nobilium domorum vulnera detegere: nolo credere quemquam esse, qui sibi lautiora alimenta inuideant, & iniqua mensura ventres suos castigent, vt nati opipare epulentur foris. Sed quam illi mox parentibus gratiam rependunt? Miseri parentes, nimisque creduli, putatis liberos in Academia literis vacare, militiae sacramentum dixerunt, & quidem sine stipendio, ex qua si incolumes domum reuertentur, egregios domi bellatores habebitis. Nemo peritius torquere hastam, nemo promptius sclopum displodere, animosius hostem inuadere, cautius in insidijs subsidere, generosius prouocare, fortius hostem repellere. Itaque quassanti capite parens pro doctore militem agnoscit, & fortasse gloriosum. Et siue legum aenigmata soluenda sint, Macedonis more gladio secat, ius omne in armis, siue sanandis aegris admoueatur, metuo ne Achillem superet, qui multas praeclaras animas Orco donauit.

Sed hoc malorum minimum est, quodque magno parentes emptum velint, vt saltem securi de liberorum incolumitate

tate

tate viuant. Verum fatorum acerbitate, sibi quot annis nobilem victimam deposcentium, & inconsulto adolescentum impetu nō raro euenit, vt aliquis infelici astro natus tamquā in acie cadat, ac veluti flos prætereūte infortunij aratro succisus languescat. At parens domi calamitatis ignarus spes suas fouet, & in longum quoque vota iacit, in vno capite sitas familiæ fortunas superis commendat: magnos in literis progressus sibi figurat, menses, mox & dies ad lauream anxie computat, nurum cum grandi dote destinat, & futuris quoque nepotibus sibi blanditur, hoc vno penates firmari posse sibi persuadet, plures minores liberi, tres, quatuor filiæ nubiles, illocabiles, sed breui laurea penates renidebunt, sospesque natus ad antiquum splendorem familiam reuocabit. Dij Deæque quam longè à destinatione sua errat.

Sed quis tàm firmo animo qui hæc infelicissimo parenti perscribere ausit? Rumor ipse auribus allabitur, natum nocturna discursatione ferrea glande traiectum, mane repertū humi iacentem, misere ac crudeliter ora manusque lacerum, cęno ac cruore respersum, nil iam superis debentem. O dira facies, miseranda horrida! Qui tunc sensus, quæ mens miserrimi senis, καὶ ἐαυ τον τιμορυμένου? Implet questibus Cœlū, viuacis senectæ spatia incusat, seque tandiu superstitem lamentatur. Et ò fili inquit, fili sic domum redis, sic ad parentem reuerteris? Hoc erat quod te domo, ac patria impuberem ablegarem, quod æqualibus seiungerem, quod mihi aspectum tuum interdicerem, vt numquam postea ad parentis visus redires? Ego te pacis studijs addixeram, tu crudelius, quam in bello occumbis. At saltem in prælio pro patria pro Rep. cecidisses, saltem non procul à parente, licuisset mihi supremos affatus captare, natantes oculos premere, fugientem animam excipere, funus prosequi, patriam glebam inijcere, & tristia extremi doloris solatia vsurpare. Iaces nunc aliena in terra, ne quid misero parenti de filio supersit. Nec

G   su

tu modo iaces, sed collapsam tecum domum eadem ruina inuoluis, spes omnes tumulo infers, deplorata familiæ vota intercipis, mihique mortem votum facis. Hæc ille superstes inuitus, & breui filium secuturus.

Reliqui parentes trepidant, & diri exempli imagine consternantur. Et miramur quotannis Auditorum numerum decrescere, ac propemodum ad solitudinem vergere? Parentum nullus adeo vilem liberorum vitam habet, vt velit eã gladiatorio ludo authorare, proinde vel alias Academias cogitant, vel si alio amandare vetantur, malunt domi rudes, atque hebetes habere, quam paucarum literarum pretio de vita natorum pacisci. Et tamen si fuit vnquam tempus, quo mittere liberos in Academiam parentes deberent, ipsique adolescentes omni virium contentione in literis versari, hoc illud esse profecto euincerem, nisi res ipsa etiam ab inuitis confessionem exprimeret. Nulla orbis pars, nullus terrarum angulus bello vacat: Europa tot iam annos ferro, atq; igne miscetur: pulcherrima terrarum Italia, inuidia Deûm, nouis cladibus lacerata, pars inter barbaras gentes raptatur, pars nondum expiatis vncta cruoribus incumbentem ab Oriente tempestatem per horrescit: vastatæ Vrbes, atque direptæ: veteres, ac dites familiæ ad egestatem redactæ, commodata stipi manus, aut seruili ministerio addicta, & ad euitandũ paupertatis opprobrium, opprobria claris domibus addita: recipiendis honestis ciuibus lassatæ hospitales domus, aut submittendis alimentis exhaustæ, & dubitamus adhuc an literis serio vacandum sit? Non de luxu, aut maioris fortunæ cultu agendum est, de alimentis disputandum, multumque, ac diu sudandum, vt malorum extremum famem penatibus excludamus. Necessitas iniecta manu cogit habere bonam mentem, eaque literarum præsidio nobis bona comparare, quæ sola è naufragio enatare, sola asportari, & à patriæ ardentis rogo efferri possint. Procul adhuc Thracius turbo intonat, & hactenus hostiles furores Resp. Vene-

ta

ta procul habuit, vtque teterrimam hanc pestem non ipsi modo, sed toti christiano Orbi labem, atque exitium minitantē arcere possit Deum veneror. Sed si fata volunt, & fatis potentius Numinis culpis nostri obirati decretum, vt Ottomanicos furores ne mare quidem diuidat, quæ vltro spes miseris, aut quæ ratio producendi spiritus, nisi literarum beneficio, quarum viatico instructi per diuersa terrarum vitam, & quæcumque sors incutit toleremus. Dij quidem omen prohibeant, sed si res improspere cadant quid agent diuites indocti obuio fortunæ errore bonorum præmijs ditati, quibus si exuantur, ne frugi quidem mancipijs adnumerandi? Quid fiet? Non fastus & maiorum tituli intèrcedent, quo minus agrum fodiant, aut humerorum operam locent, nisi delitijs fracti luxuque marcidi alienam opem quam petere, tam misere expectare cogantur.

Sæua ergo, & ineuitabilis necessitas, atque impendentiū malorum series inexplicabilis ad literarum perfugium ac solatium compellere nos debet. Quamquam præclaræ iuventuti iniuriam facere videar, quæ etiam si nihil cogeret, naturæ sponte, & insitis laudis igniculis ad decus exstimularetur. Vt interim commoda, atque emolumenta prætereamus, quæ pauci vituperant, nullus contemnit. In Academia enim rerum maximarum rudimenta ponuntur, & ab obscuris quādoque natalibus, atque initijs ingenia ad summa quæque emergunt. Siue enim sacra placent & sacrorum procuratio facilis hinc ad honorum fastigia transitus, purpuraque, & rerum humanarum supremum his primordijs inualuēre. Quot hisce studijs fecere sibi nobilitatem, familiæque ac nomini obsolescenti venerationem pepererunt? Hinc Regibus ac Principibus tamquam Ioui Consentes adsciscuntur, de quorum consilio, atque arbitratu manubiæ ac fulmina in mortales expediantur, quorum velut ex adyto, responsis humanum genus regatur. An non gloriæ stimuli penitus infigantur cogitanti post paucos annos Vrbium Rectoribus comes, ac so-

cius adstituar, vt pari suffragio de ciuium capitè ac fortunis deliberem, vt liceat dissentire non semel, & in alia omnia ire. Quid si consultantibus de bello, ac pace Principibus sentētiam roger, & veluti in senatu relationem ingredi iubear? Ille ego qui quondam priuatus & inglorius, nec magno censu, non multum de plebe caput exerebam, literarum beneficio in tribunal transilio, controuersias, litesque discepto & metuendus reis, præmium, ac pœnas, quæ sola Principum potestas dispenso. Et in ea facultate comparanda languore resoluar, nauseabundus fastidiam, aut militarem licentiā pacatis Musarum tectis obtrudam?

Cogitate nunc quot Venetum forum ad magnam nominis celebritatem, opesque immensas prouexerit, quotidieque producat. Vbi & si non magnæ, nec interiores literæ adsint, eloquentiæ vi, in liberos populos dominari licet, atque in ea Vrbe veluti Regnum obtinere, in qua tot Reges sunt, quot libertatem dominationi anteponunt. Ibi noscitari Principibus, conueniri, prensari, deduci, magnaque Imperij capita inter clientes numerari non vltima laus est.

Hæc si Iuvenes optimi contemnitis mihi credite non sapitis, eritque tempus cum sera subibit pœnitentia, tam languide, tamque oscitanter in studijs versatos esse. Erit tempus cum eorum qui id strenue egerunt fortunam, atque opes ægris oculis inspicietis, nec sine rubore, ac suspirijs tot bonos dies male collocatos flebitis. Sed feruet ætas, æstuat sanguis, ferrum tractare iuuat, dum vires, animusque vigent, pulchrumque mori succurrit in armis. Laudo impetum, ac generositatem. Hanc mentem, hosque spiritus in communem hostem christiani nominis vertite, illuc iras vltrices, ac furorem effundite. Petite inde decus, sanguinem patriæ ac Principi impēdite. Quod si tutius est in Gymnasio versari, & belli nuncios per seras noctes fabulis miscere, cunctis bello strepentibus fidam Musis pacem in hoc angulo præstate: & si in re seria, ac capitali ludere licet cuiusdam non illepidi patris fami-

familias consilio morem gerite. Is filium ingenio commotiorem missurus erat in Academiã, leniter ille refragabatur, & militiam præoptabat. Sed senex qui plus à literarum, quàm rei bellicæ studio emolumenti sperabat. Accingere inquit breui enim ad bellum iturus es: non quod in Academia bella gerantur, ne Dij quidem hoc sinant, sed quod ibi tamquã in ludo, ac campo militiæ, & quidem cruentæ rudimenta ponantur. Nam si ab tristis animi vitio delectaris sanguine, expecta tantisper dum Iurisprudentia te in virum transcribat, tunc erit quo explere sæuitiam ingenij, fusumque cruorem spectare possis. Nam postquam Tribunali institeris, non magis satellitio quam truci aspectu formidandus, statim illud. Illictor colliga manus, oculos obnubito, virgis cędito, infelici arbore suspendito. Nusquam tibi sontes deerunt, feralia pegmata cęsorum cruor inundabit, poteris quot voles homines tuis verbis, alienis manibus conficere, & quem sitis sanguine satiari. Si vero medica facultas arridet magis, macte virtute esto, non hostes modo, reosque, sed ipsos amicos, atque insontes tollere è medio poteris, nec impune solum sed etiam cum mercede. Immo hoc ipso præstabis, quod de ipsis Iudicibus, ac Quæsitoribus sententiam feres, vitæque ac necis mortalium arbitros maiori potestate in ordinem coges, & ad plures migrare compelles. Ita siue Astræam sequaris, siue Hygiam, non est quod bellum, non est quod prælia desideres. Sic ille in re capitali ludens, redituras in caput filij technas struebat.

Vos Iuuenes optimi, ac nobilissimi impendentis furialis belli cura ad pacis studia sero compellat, vel si placet, militum disciplinam æmulamini, campestres labores, excubias, duras hiemes, exercitas æstates, noctes sub dio vel sub pellibus actas, sitis, atque inediæ tolerantiam, in Tribunos, ac Centuriones obsequium, sacramenti religionem, & vt rem paucis complectar omnia belli, imitamini præter ipsum bellum. Postremo sic accipite, Principis nostri optimi, ac cle-

mentissimi grauissimas hoc tempore curas intestinis,ac plusquam ciuilibus discordijs intempestiue distrahi, ne dicam impie onerari.

PERICVLOSÆ VALETVDINIS, Atque ancipitis curationis narratio.

Prolusio XI.

TErtius decimus mensis est, ex quo cum valetudine, ne dicam cum morte colluctor. Medicorum præstantissimi, ijdemque pietate, atque humanitate eximij post consumptà artis experimenta, omnesque cruciatus exhaustos, quibus ægri in spem vitæ sæpe letho admouentur, illud demum sibi pro Imperio vel inuiti ad rogarunt, vt languens corpusculum carceri, ac pœne tenebris damnarent, quodque mirum magis est quam nouum etiam intra domum exilium irrogarent, nec tam aqua & igni, quam cibo, ac potu interdicerent, aquam, & ignem insuper comminati. Quippe non contenti famis supplicio torsisse, inflixerunt Ignis pœnam, vt intra hypocaustum lento vapore assarer, an potius fluentibus sudoris riuis elixarer. Sed quod omni tormentò atrocius est etiam literarum studium interdixere, per quod vnicum solatium vitæ, vitam ducimus, immo, & propter quod. Ac nescio quo iure, quaque pietate Aesculapius parentem Apollinem exturbarit, nouemque sorores exclus erit, quin etiam Bacchum proscripserit, quo vno poetarum mentes implentur, & doctorum pectora madent, vt scilicet ego mortalium infelicissimus, vtroq; Parnasi iugo tanquam prophanus submouerer.

Itaque quod nautici panis dimensum maligne daretur, quantum non famem propelleret, sed mortem: & interdicto mero, quod aquæ haustus, quæ in publico manat, ferisq; ac

ac pecudibus patet, prohiberetur: quod Indico ligno expressus turbidus liquor arescentes fauces, ac præ inedia araneantes acrius accenderet, non tam discruciabar, quam quod libros malorum leuamen contrectare vetarer, & cum Musis veterem rationem deducere, quæ tamquam ab immodesto amatore intempestiuè arcebantur.

In quo quidem non humaniter modo, sed sapienter ac prouide artis medicæ Principes egerunt, quod scilicet morbus, non vt insidiosus luctator pedes, sed caput inuaserat ipsum mentis domicilium, animi Regiam, cogitationum arcem, ac Capitolium, nec iam per interualla oppugnabat, longa ac pertinaci distillatione, acutissimis doloribus, qualia esse Inferorum supplicia crediderim, vigilijs, aut turbulentis insomnijs, immo vexatæ mentis languore, & vt ita dicam quadam sapientiæ tabe. Correptis etiam oculis, quos ebullientis sanguinis ardor insederat, tumentesque & rubore infectos pœnè in noctem cōdiderat, vt initio quidem Cyclops, mox vtroque laborans, ferè cum Homero quem tunc publice interpretabar paria fecerim.

In hunc modum quum nullo pacto studijs ac laboribus operam impendere possem, nunquam tamen me magis laborasse scio, atque ea penitus expleuisse, quæ à studiorum cultoribus exiguntur. Si enim qui se Musis addixerunt raro admodum domo pedem efferunt, neque per Vrbem diuagantur, ipse nouem menses non intra domum sed ferè intra cubiculum delitui, duobus ne Cœlum quidem aspexi. Vigilandum est: insomnem memini me non semel totas noctes lamentando condidisse. A cibo, ac potu temperandum: inedia enectus ne tristes quidem lymphas gustare potui. Sudandū: hoc vero sedens atque immotus confeci. Vt omnia vno verbo complectar, nihil agendo ad extremam lassitudinem deductus sum.

Quid cum intra Bibliothecam abditus, & cum libris veteribus amicis compositus, tamquam sacris parcere cogebar?

Tantali fabulam referens, atrociori supplicio, quanto animi sitis ardentior est. Ea tamen non Bibliotheca, sed sepulchrũ mihi videbatur, quum inter mortuos, cum quîs magnam vitæ partem exegeram, mortuo similis versarer, quodq; omni morte tristius est, ne cum mortuis quidem fabulari liceret.

Inter tot fortunæ minas destitutus non fame, non incendio, non diris potionibus, non sæuis cruciatibus, non cęcitate deterri potui, quin Pierides puellas deperirem, vestrique venerabilis conspectus recordatione marcentem animũ solabar, hac vna spe indignantem spiritum, & quâlibet exire paratum sustentans. Nunc Deûm prouidentia Benedicti Siluatici, & Georgij à Turre virtute viuo, spiroque, spiritusque, immo & vitæ meæ vnus fructus est, tot nobilissimis iuvenibus, & de me optime meritis referre gratiam adhuc posse. Et quamuis nondum plane confirmata valetudo vacillet adhuc, & cum valetudine spes quoque ipsa fluctuet, quidquid de me fata statuerint, in æternæ Reip. cultu in vestro obsequio vitam ponere votum est. Nunc ad institutum reuertor.

QVO PRETIO VIRI PRINCIPES LIteras ac literatos habuerint.

Prolusio XII.

EX quo longa & pertinax valetudo me in mortem fractũ pœnè ad extrema deduxit, remediaq; ipso morbo grauiora corpus sudatorijs exhaustum, & Infernis veluti caminis excoctum per mille cruciatus vexarunt, natiuo humore ferè consumpto, pumice aridior factus, raro oculis somnum vsurpare, crescentes noctes mœsta vigilantia exigere, & vel fessos artus toto grabato iactare, vel vagis ambulationibus morantes tenebras fallere, denique Achillis amicum lugentis

tis, noctem non semel pati, & modo pronus, modo supinus cubare in dextrum, aut in sinistrum latus verti, mortiq; proximus somnum mortis siue fratrem siue imaginem irritis votis expetere. Quo magis mirum est ante paucos dies insperanti mihi somnium oblatum longum, pertinax, multiforme, & quale obuersari ijs solet, qui largiori potu curas obruerũt.

Videbar enim mihi sine Mercurio, & sine Pegaso quidem per tot terrarum marisque tractus in Heliconis vertice sisti, atq; in ipsum Apollinis templum recta induci, vbi Musarum parens, siderumque, ac temporum moderator, non ex imo specu per tripodas, & cortinas loquaces, perque Pythiæ ministerium sortium ambages fundit, sed præsens responsa deliberantibus reddit. Itaque templum precantum vocibus perstrepebat. Nec pauci erant, qui vota precesque nuncupabant. Et sicut non eadem vox, idemque sonus precantium fuit, ita diuersa vota apertè concipiebantur. Et hic quidem taurum tibi pulcher Apollo vouebat, si ad eloquentiam peruenisset, ille si Philosophiæ fontem attigisset, hic si sapientię consultissimam viam calcasset. Erat qui medicæ artis imperiosissimæ vim ab Deo medico exposceret, & ne quid votis deesset, siderum peritiam, arcana fatorum, naturæque parentis regnum, atque abditam maiestatem plurimi postulabant.

Ad eas voces Apollo veluti obsurduisset sedebat cogitabundus, alienato ab sensibus animo tamquam lapideus staret, aut qualem eum poetæ prodiderunt, geminato natorum funere dolore amentem, aut amatæ inter manus euanescẽtis fuga attonitum. Interim Menippus, atque alij ex eadem sectâ, Cynica licentia obstrepebant precantibus, ingerebãt conuicia, & tantum non elatos baculos capitibus impingebant. Ipse Menippus truci atque elata voce. Quid malum, aiebat ignaua capita, otio, vitijsque marcida laborum ac vigiliarum præmia impudenter exposcitis? Quid templum mapalia facitis? Quid Phœbi aures minus audientes nequicquam

quam fatigatis? Quid à Deo petitis quod à vobis ipsis impetrare potestis? Putatis stolidi muliebribus supplicijs parari posse sapientiam? aut eam Cœlo in mentes ignauas illapsuram, vosque insinuatis pectinatim manibus repente doctos euasuros? Abière illa tempora, aut numquam fuère, quibus Ascræus senex per somnum poeta factus est, & à musis edoctus, aut quibus alter latinus senex plane delirans tantum non pauo factus est, & Musarum pullus. Vos omnem sapientiam perdidistis, nam postquam vino lustrisque demersi meliores annos prodegistis, ludoque ac somno tamquam peregrinantes traduxistis æuum, vna precula posse vos in Heliconis fastigium eniti putatis. Cui insaniæ curandæ non pauca hellebori iugera satis esse scio. At vestri proaui qui literarum gloria sibi æternum nomen parauerunt Herculeo labore, atque incredibili contentione in hac palestra desudarunt. Vos lenta sagina distenti, oculis somno marcentibus, aleæ, ac choreis innutriti, generationis dedecora inualidæ sperare sapientiam audetis? Quin tu Apollo pater arcum expedis, canesq; ac iumenta, & si quid his deterius est protinus conficis?

Omnibus vt non iniqua, ita acerba nimis, ac pœnè rabiosa Cynici declamatio visa est. Quare clamore omnium, ac minis è templo eiectus est. Non deerant tamen qui sedato vultu, ac miti Oratione per templum obambulantes ad virtutem, & laboris contemptum iuniores accenderent, exemplaque maiorum referrent, quibus sapientiæ, ac literarum decus solo vigiliarum, ac sudoris pretio stetissent. Inter quos fuisse memini senem aspectu venerando, fusa in pectus canitie, qui ad circumfusos ita ferme loquutus est. Impudens, atque inurbana canis illius oratio merito visa est, sed quoties veterum industriã durosque labores in literarum studijs mente reuoluo seculi huius languoris atque ignauiæ me tædet pigetque. Neque ignobilia capita percensere libet, eosque, quos improba pauperies impulit vt literas sectarentur,

sed

ſed viros Principes orbem terrarum imperio complexos, in ſumma fortuna pertinaciter, ac pœnè dixerim improbè ſtudijs addictos.

Alexander Macedo ille Ariſtotelis auditor, atque alumnus, qui plures victorias quàm annos numerauit, cuius immēſæ mentis capacitati vnus Orbis non ſuffecit, in tanta expeditionum, ac triumphorum mole non ſolum reſpexit literas & coluit; nec Homerum modo ingeniorum principem mortalium princeps lectitauit aſsidue, ac puluino ſubiecit, ſed noctes quieti ſubduxit, quando diem bella, ac victoriæ ſibi vindicabant, ac veluti aduerſus ſomnum quoque bellum gereret, prælijs atque itineribus fatigatus, ne feſſis membris ſopor ſubreperet ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, vt cum neruorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus (verba magni ſcriptoris ſunt) geſtaminis lapſi tinnitus quietem abrumperet. Dignus Hercule, cui non Chærilus ſed ipſe Homerus rerum geſtarum præco contingeret.

Nec magnitudine animi, nec rerum geſtarum gloria Alexandro inferior Cæſar Dictator, multis vero partibus ſuperior, ſicut Ciceroni eloquentiæ palmam dubiam reddidit, ita perpetuis aduerſus ferociſſimas gentes, mox contra ipſum gentium victorem populum bellis, non modo ſtudia non intermiſit, ſed in ipſo bellorum ardore libros confecit, vt qui eius res geſtas animo complectatur, vix fieri potuiſſe credat, vt aliquid vnquam legerit, ne dum ſcriptitarit, qui vero eius commentarios viderit ſibi facile perſuadeat, illum bellorum expertem nihil aliud tota vita quam literas tractaſſe. Sed magna facere, & ſcribere Cæſareum eſt.

Cæſaris fortaſſe filius, certe interfector Brutus, tanto diſcendi ardore tenebatur, vt ipſa nocte quæ Pharſalicam pugnam interceſsit, in qua de Orbis Imperio inter ſocerum, generumque diſceptatum eſt, quum ingens præterea æſtus eſſet, atque alij feſſos artus dura humo reclinarent, alij arma

ac

ac tela proximo certamini expedirent, plurimi vicinæ mortis horrore circumfunderentur, ille sine tabernaculo sine strato, metu vacuus, Polybij epitomen confecit. Idemque nocte altera, quæ antecessit Philippense prælium, in quo ille fatis victus est, & cum illo Romana libertas concidit, Platonis librum de immortalite animæ securus veluti per otium perlegit, nec futuri certaminis in quo de summa rerum actum est, nec irruentis spectri horrendo visu a solitis studijs deterritus est.

Iulianus Cæsar, si odium in religionem nostram dematur, quod in illo excusari non potest, nemini Imperatorum secũdus & cum paucissimis comparandus, feruente bello aduersus Germanos gentem inuictam, quum dies prælijs impenderet, noctes, teste grauissimo scriptore, ad officia diuidebat tripartita quietis, publicæ rei, & Musarum, Alexandro Magno fortius, nulla enim pila aut ænea concha quoties voluit vigilauit, & nocte dimidiata semper exurgens non è plumis, vel stragulis, sed ex tapete, & sysira ad procudendum ingenium vertebatur.

Hæc Cæsares Regesque factitarunt in altissimo rerum humanarum fastigio collocati, tot curis districti, tanta mole negotiorum pressi, vt necesse habuerint tempora, quæ literis impenderent suffurari, & diem regimini terrarum, noctis partem exiguam curando corpori, reliquum studijs addicere, sola eorum dulcedine allecti. Nos homunciones vmbratici, turba inops, & obscura, magna pars expediendis alimentis, & propulsandæ inopiæ literas sectati, non totas modo noctes brumales septem stragulis inuoluti, plumisque consepulti stertimus, sed integros dies deploranda, atque irreparabili iactura, nihil agendo, ne dicam male agendo, vel saltem aliud agendo prodigimus. Quid dies? totas lunas eadem socordia transmittimus, integros annos pari incuria, ac languore continuamus.

Non sum ego tam impudens, ac væcors, vt intempestiuo ma-

magisterio Principes, Regesque veluti in ordinem cogam, atque in scholas ablegem, iisque leges dicam, quorum nutu, atque arbitrio Orbis temperatur. Inuidiosa res est, & periculosa pædagogum Principum profiteri. Non solum principali maiestate, sed & mediocris fortunæ conditione inferius habetur studijs operam dare. Quanquam & aliqui hoc seculo reperiuntur, qui in summa licentia summaque fortuna amant bonam mentem: & si alibi terrarum, certe apud Venetos optimarum artium studia vigent florentque, nec alio in loco se Musæ ambitiosius circumspiciunt, quando non æternis modo libertatis auspicijs propagantur, sed in ipsum publicæ rei Augustale inductæ, ingens rebus ornamentum dant, atque accipiunt. Sed non id vbique fatum, & bene cum literis atque omni sapientia ageretur, si Principes, ac Dynastæ simpliciter studia aspernarentur. Sed aliqui etiam oderunt, & tamquam rem dominationi noxiam abominantur. Quos veluti pluvias ac tempestates, & reliqua anni incommoda perferre debemus.

Contra aliqui literarum rudes, quas ne à limine quidem salutarunt, docti tamen atque eruditi haberi credique volunt, & vt fortuna, atque opibus ita scientia cæteros præcellere. Qui sicut literis in speciem fauere videntur, ita viros doctos non rectis oculis aspiciunt, quasi sibi tacite inscitiam exprobrantes. Itaque cum ijs versari ambiguum anceps, & periculosæ plenum opus aleæ. Nam aut fœda seruitute ignauiæ assentandum est, aut intempestiua libertate Regum odia irritanda, quæ in longum iaci, & recondita post multũ promi Homerus vates dixit. Nam si inter priuatos qui velit ingenio cedere rarus est: quid cum Reges ac dominos vana doctrinæ persuasio inflauerit, putas eos plebeio homini sibique subiecto æquo animo cessuros?

Sed est aliquid quod ille aiebat in humanis consilijs, licetque inter abruptam contumaciam, & deforme obsequiũ pergere iter ambitione & periculis vacuum. Primum omniũ

sum-

summa ope nitendum est, vt cum ijs, quos nobis fortuna imposuit in eum modum nos geramus, quem Aristoteles Callistheni ad Alexandrum ituro præscripsit, vt rarissime & iucundissimè cum eo homine loqueretur, qui ius vitæ, ac necis in acie linguæ portaret. Aut nunquam aut raro sociandi sermones, ijque mollissimi, & ex veteri verbo sericæ texturæ simillimi. Quod si necesse sit de studijs, ac disciplinis differere, tale temperamentum adhibendum est, vt obsequi magis quam dissentire videamur.

Itaque impudenter ne dicam stultè fecisse videtur Philoxenus ille, qui Dionysio Tyranno Tragœdias recitante, quũ vultu gestuque sibi eas displicere ostendisset, iussu eius in latomias abductus est, vnde precibus amicorum eductus, quum alias idem recitando ingenij famam captaret, surrexit Philoxenus, interrogatusque quo iret, in latomias, inquit, quarum cruciatus inepta Oratione leuiores existimabat. Quid si eum recitator tragico sed non iniquo exemplo in crucem egisset? Procerum aures quoties eas adulatorum turba circumstetit, verum audire insuetæ ad liberiorem paulo vocem, ne dicam ad contumacem facile excandescunt.

Fuere quidem aliquando Principes, ac Tyranni, qui dissentientium, ac iurgantium immo dicam libertatem patienter ac ciuili animo tulerunt. Dionysius iunior cum Polyxeno Dialectico disputabat; Cumque ille parum vrbane illud repeteret, ego te conuico; Tu, inquit Tyrannus, verbis me conuincis, at ego te factis, nam relictis rebus tuis me, & mea sequeris. Ita Pomponius Marcellus, quem latini sermonis exactorem molestissimum Tranquillus appellat, quum in Oratione Tiberij Cæsaris verbum vt minus latinum reprehendisset, affirmante Atteio Capitone esse illud latinum, & si non esset Cæsaris auctoritate futurum. Certe iam inde inquit Marcellus, mentitur Capito, Tu enim Cæsar ciuitatem dare hominibus potes, verbis non potes. Idque illi impune fuit. At non impune tulit nostra memoria senex doctis-

ctissimus, & cum veteribus poetis comparandus, qui in carmine Principis sacrorum, Luculens, verbum vt barbarum adnotauit, cui ob hoc ea pœna dicta est, vt cum sua latinitate simul ac paupertate consenesceret.

Maxime memorabile est ciuilis animi exemplum in Antonino Pio, quo maior hominis vnius contumacia, ne dicam impudentia fuit. Pius viuo adhuc Adriano Smyrnam venit, vbi Polæmon sophista lautissimas, & omnium ornatissimas ædes incolebat, in quas cum ille abesset Cæsar diuertit. Polæmon intempesta nocte magno comitatu domũ redit, vbi cum ædes occupatas offendisset, magnis clamoribus, & inuidiosa vociferatione quiritare cæpit sibi vim fieri, ac proprijs ædibus excludi, coegitque Cæsarem media nocte in aliud hospitiũ immigrare. Hoc illi non impune modo fuit, sed ab Cæsarum optimo magnis honoribus, atque opibus ditatus est, qui satis habuit hospitis inurbanitatem molli ioco perstringere. Nam quum apud eum histrio quereretur, quod à Polæmone ludorum initio scena eiectus esset, interrogauit Antoninus quando nam id accidisset, respondente illo sub meridiem. At ego inquit, sub mediam noctem domo eiectus sum, neque ipsum accusaui. Prudentius Phauorinus, cui cum Adriano literatissimo Principum sæpè de literis disceptatio intercedebat. Nam aliquando reprehensus ab auditoribus, quòd illi cessisset super verbo, quod tamen latinum esset, salse respondit. Non putatis vos eum me esse doctiorem, qui xx. legionibus imperat? Is Hermaphroditus natus erat, vtriusque sexus compos, mox eunuchus factus in rebus amatorijs adeo callidus, vt adulterij accusatus sit a viro Consulari, & quum causam dixisset apud Adrianum absolutus est. Quare hæc tria de se vt maxime memoranda prædicabat. Quod Gallus Græcè loqueretur, quod Eunuchus adulterij causam egisset, quod cum Imperatore Adriano contenderet, & viueret. Intelligebat enim quam esset periculosum cum Principibus disputare, qui gladio controuersiam omnem decidere possunt.

Quid

Quid olim Cæsares, Regesque ac fortunæ augustioris nomina gentibus adorata in literarum studijs præstiterint, & quomodo se aduersus viros doctos gesserint satis dictum est. Placet nunc extremam orationem flectere, & ad nostræ sortis mortales descendere, vnumque aut alterum laboris, industriæ, & indefessæ contentionis exemplum grata recordatione reuocare. Archimedes victoris Marcelli Romanique exercitus terror, & resipiscentis aduersus Quirites fortunæ, idemque fati Siracusanos prementis mora, vt cetera mittam viri illius miracula, tanta animi contentione incubuisse studijs dicitur, vt veluti alienato a sensibus animo non cibum caperet, non reliquas naturæ necessitates respiceret, & ad curandum corpus, cibumque capiendum vi cogendus esset. Itaque cum hora balneorum instaret a domesticis per manus sublatus deferebatur ad lauacrum, totusque in contemplatione defixus, non modo quid fieret aduertebat, sed cum de more totum corpus oleo perfunderetur in vncto corpore figuras mathematicas digito delineabat. Hic nimirum ille est, qui captis tandem Syracusis meruit, vt iratus licet victor hominis diuina virtute captus ediceret, vt capiti ipsius parceretur. At hic dum animo & oculis in terram defixis formas describit in puluere, non strepitum captæ Vrbis, ac discurrentium, cunctaque ferro, ac flammis miscentium militum, non clamorem ciuium, non ruentium tectorum fragorem sensit, & militi qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio quis nam esset interrogabat, propter nimiam cupiditatem inuestigādi quod cupiebat, nomen suum indicare non potuit, sed protracto manibus puluere noli, inquit, hunc circulum destruere, ac proinde quasi negligens Imperij victoris ob truncatus sanguine suo artis suæ lineamenta confudit.

Plinij secundi incredibile studium summamque vigilantiā describit eius sororis filius Plinius Cæcilius. Nam quum plurima opera eius recensuisset, quæ omnia præter diuinam

illam

illam Naturæ Historiam pessimo publico perierunt, subijcit mirum esse tot volumina ab homine occupato absoluta; Sed mirum magis, cum aliquando causas actitauerit, decesserit anno sexto & quinquagesimo, medium tempus distentum, impeditumque egerit, quâ officijs maximis, qua principum amicitia. Lucubrare solitum hieme ab hora noctis septima, vel cum tardissime octaua, sæpe etiam sexta, & reliqua quæ ibi fuse persequitur. Ipse autem in præfatione operis maximi, fatetur se occupatum esse officijs, succisiuisque temporibus scribere solitum, idest nocturnis. Diem publicis Cæsarum negotiis impendere solitum, cum somno valetudinem computare, quod scilicet dum noctu scriberet, pluribus horis viueret, quod vita vigilia sit.

Satis superque exemplorum ex tota vetustate esset, nisi duo recentis memoriæ ingererent se se, ipsamque antiquitatem prouocarent. Budæum enim maximum Galliæ & literarum decus ferunt duodecim ferme horas quotidie studere solitum, die autem nuptiarum quatuor tantum horas literis impedisse. Viuit adhuc viuatq; diu bono publico Vir in omni literarum genere Eminentissimus, sed in sacrarum interpretatione sine æmulo natus, Gaspar Scioppius, nec Vrbem modo Antenoris, sed seculum illustrat, cuius incredibile studium, atque inauditam animi contentionem vix credunt, qui oculis vsurpant. Nam ab ineunte ætate ita totus literis affixus fuit, vt sexto decimo anno libros euulgarit, quos senes admirarentur, & licet Principum amicitia, magnisq; legationibus, atque officijs districtus fuerit, totos tamen dies, magnam noctium partem perpetuo literis impendit, iamque grandis natu nihil de contentione remittit, sed dies noctibus iungens, per decennium, atque eo amplius vix cubiculo ne dicam domo pedem extulit, totusque diuinarum literarum, plurimis editis, innumeris edendis operibus, non indefessi modo animi, ac corporis, sed veræ sapientiæ, ac felicitatis vnicum exemplar habetur. Quippe omnibus vitæ

blandimentis abruptis, nullius rei appetens, sibique iam mortuus, viuēs posteritati cuius negotium agit, quodq; mirum est inter tot labores, ac vigilias, viridi senecta fruens, vegetis membris sensibusque, memoria adeo vigente, vt quod ille de Iuliano aiebat integrum eius dolium hausisse videatur. Vere philosophus, vere beatus, quiq; solus exemplo suo satis esse possit ad incuriam seculi, atque ignauiam profligandam, ab ijs maxime apud quos degit, si quemadmodum vitiorum, ita virtutis, ac sedulitatis certamen esset.

Hic senex conticuit. Tum Apollo veluti veterno excitatus auream quatiens Cæsariem, quum interim mouerentur liminaque laurusque Dei, hæc pauca fatus est. Profunda super vos obliuio veniet, pauca ingenia caput exerent: bonæ literæ, ac latinæ orationis decus ad barbaros exulatū ibunt. Earum vicem difficiles nugæ, ac stultus labor ineptiarum, somniorumque interpretamenta occupabunt: donec Veneta maiestas maximo, & periculosissimo bello inaudita virtute defuncta, cultiores disciplinas cum ipsa pace reducat, latiumque Latio redonet. Extremam vocis partem concussi montis fragor, cortinæ mugitus, ac tonitrua excepêre, ego somno ac pœnè grabato excussus sum.

PRÆFATIO AD VIRGILII ÆNEIDA.

AVtumnales ferias, & literarum Saturnalia alij alijs oblectamentis fallunt. Mihi aucupium innoxius ludus & fida voluptas semper visum est: illud præcipuè, quo volaticum genus non accipitrum vnguibus laniatur, aut plumbea grandine percellitur, sed viscatis viminibus illigatum defertur ad manus. Insidens breuiori palo statuitur noctua ad funiculi motum insilire, ac resilire edocta. Vbi veluti in suggestu illa collocata est; grandibus illis, & ceruleis oculis

lis despectat seuere arua, corporisque motu graui, ac suspenso auiculas allectat in insidias. Vix hæc gentis suæ proditrix apparuit, fit concursus familiæ volitantis, & quæ passim auiculæ per frondea rura cantu exorientem auroram salutarant, præcipites misellæ accurrunt, turmatim circumfunduntur innocentes animulæ, magnum illud os trucesque oculos mirantur incautæ, stridulæ garriunt, turbam miscent, discurrũt fugitant, redeunt, donec viscatis insidijs tactæ crudeli aucupi in prædam concedant.

Fatum hoc auicularum est, quæ se sponte in insidias induunt, & ad spectaculum aduolant, quod fœdum & inauspicatum fugare eas deberet, & absterrere. Quid enim in noctua est, quod illas ad sui contemplationem rapere possit? An deest in volucrum genere quod sectentur, & officioso famulatu deducant. Illa Iouis satelles fulminumque ministra hoc officio caret. Alieni Solis hospes Psittacus humanas voces conatus, incomitatus incedit; Ipsa luscinia quoties parvulis faucibus diuinum melos funditat, & tot exquisita instrumentorum Musicorum tormenta, quæ ars hominũ excogitauit superat, inculta, & in honora surdis frondibus canit; Si naturæ fastus oculosus pauo processerit circa eum solitudo est, nec intextam auro purpuram, plumatumque Babylonicum mirantur, quæ ominosam auem, & inauspicatam circumsistunt.

Idem planè vobis euenisse hodierna die Auditores satis mirari non possum. Qui cum aut ad Aquilæ sublime ingeniũ & immixtum nubibus caput confluere possetis, aut lusciniæ alicuius diuinum eloquentiæ melos fundentis cantui interesse, vel ad pavum accedere superbientis naturæ pompam explicantem, aut humanis Psittaci modis aures admouere, ad me ipsum hoc est ad noctuam diuertistis. O nimiam vestram aut facilitatem, aut benignitatem. Absit enim vt credam quemadmodum auiculæ fortasse ad noctuam, sic vos ioci ludique causa auditorium intrasse. Quicquid sit Noctua

vos ad spectaculum trahit, non ille ego quidem, haud enim tanto honore dignus sum; Noctua Virgilius est, non feralis & inauspicata, sed Mineruæ sacra, ipsius sapiẽtiæ nota, Deæ clypeo semper circumlata. Quod si id displicet non Noctua sed Phęnix ingeniorum scriptorumque omnium est, quem circum sistitis, & plaudente choro comitamini. Sacer ales est, & immortalis, ad aram Solis festinantem mecum vna generosa iuventus subsequere; Ego illius mysta, atque Interpres arcana eius edisseram. Procul procul este prophani. Vos linguis animisque fauete. Neque tamen hic Musarum pompam aduocabo, vt hoc naturæ decus singulare, atque extremum Musarum conatum verbis exornem. Vt extra omnem ingeniorum aleam Virgilius est, ita omnem facundiam consumpsit; Qualis quantusque sit ex ipso vobis discere licet! Occurrunt in primo diuini operis verba illa.

LITERATORVM FVNVS.
Prolusio XIII.

QVod olim in Tragedijs fato functorum vmbræ ab Inferis euocatæ, non sine caueæ trepidantis terrore pronunciabant, id hodie mihi ius fasque sit vsurpare:

Adsum, atque aduenio ex Acherunte vix via, alta atq; arduã
Per cauernas saxis structas asperis pendentibus
Maximis, vbi rigida constant crassa caligo Inferum.

Nam cum ex diutino languore qui me patrios penates reuisentem deprehenderat, nondum plane recreatus his terris redditus, ingentibus præterea curis obrutus inuitus quidem, sed trahentibus fatis elapsa proxime æstate Venetias adpulissem vix cymba pedem extuleram, quum me dira febris inuasit, nec diu morata extremis vitæ metis moribundũ adstituit. Iacebam exigua in spe animam trahens, opinione omnium depositus, ac deploratus, & vt diri nuntij mortalium

lium liuore pronis auribus accipiuntur, hic mihi tamquam mortuo canebantur Inferiæ, fidissimi amicorum mærebant, quidam etiam non occulte lætabantur, ij præsertim qui augustum hunc locum præcipiti spe deuorauerant, quæque nõ obliqua malignitas est, me viuentium numero exemptum esse sponsione contendere parati erant: nec deerant qui se dum mortalitatis reliquiæ tumulo mandarentur inter fuisse prædicarent.

Itaque domi meæ tamquam patre familias peregre extincto, si non luctus, cuius tenera ætas eo miserabilior nondum capax erat, at orbitatis, ac consternationis plena erant omnia: rapiebatur res familiaris, quæ veluti caduca publicum spectabat, opesque pusillæ quantas sterilium literarum cultor minime auarus comparare potuit inter vicinos spargebantur, qui in funere meo nouendiales has cęnas cęnitabant, credo vt hac profusa largitione sanctius defuncti manes procurarentur. Seriæ, dolia, tamquam die natali relinebantur, vinoque si non pauimenta, at conuiuarum pectora natabant, inopisque familiæ extrema alimenta turpis vicinia ructabat. Atque in hunc modum vivus vidensque funditus perieram, isque non mihi sed bonis meis lessus, hæ neniæ, hæc mortualia fiebant.

Hic rerum domesticarum status erat, cum ego Venetijs cum morte luctarer, mihique ipsi superstes, nihilque minus cogitarem quam vt in ipso ætatis flore vitales auras linquerem, atque hinc incommunem locum commigrarem. Scilicet vi morbi oppressis viribus eius magnitudinem non sentiebã, nullusque medentium, aut amicorum mihi supremam horam denuntiare audebat, quasi non cum viro Stoicam professo, sed cum puero, aut muliercula res ageretur. Donec casu prorsus mirabili, & calamitatem meam intellexi, & me mortuum esse credidi.

Nam cum vigilantibus curis, æstuque præcordia vrente diu somnum oculis non vsurpassem, ambiguo Deorum bene-

ficio exiguum soporis gustum libaui, visusque est per fenestras manifesto lumine intrare Mercurius, capitique meo incumbens fati necessitatem exponere. Nam virga innuens supremum aduenisse diem aiebat, vtque cæterorum gregi immixtus me ad mortis limina sisterem imperabat. Ego tam tristi denunciatione perculsus, ipsaque morte frigidior vocem amiseram, nec quid facerem, aut dicerem sciebam. Mox collecto spiritu. O inquã Mercuri facunde nepos Atlantis, cuius ministerio vterque orbis peruius est, quo sequestro cœlorum arcana mortalibus communicantur, & Inferorum regna augescunt: quæ est ista Numinum inclementia, vt me nondum decurso vitæ stadio in rerum magnarum apparatu intercipiant, annosque meliores inuideant? Non sat erat me tot morbis corporisque cruciatibus, tot casibus iactatum, tot diri fati exemplis per quinquennium atque eo amplius torsisse, nisi etiam vitam velut in exilio intempestiue abrumperẽt? Non ego mortem tot curarum leuamen lethæaque obliuia deprecor, sed per ego dextram tuam fatorum ministram, per virgam qua lumina morte resignas, si religiosus eloquentiæ cultor fui, si artes tuas penitus adamaui, obtestor, ne me aliena in terra extingui patiaris, breuem moram concede, qua penates reuisam, vltimaque oscula inter amicos, atque affines diuidam; tum lubens ac volens mandatis fatorum obsequar.

Forte ad lecti fulcra servulus iacebat noctis colore tinctus, sed qui nigerrimo vultu fidem sinceram, candidosque mores tegeret. Is in culcita resupinus officiosis ronchis stertebat, tam profundo sopore demersus, vt incertum videretur vter morti vicinior esset. Et o inquam Mercuri, cur iste terræ pondus inutile viuit, & valet, docti viri non sine cruciatu vita exterminantur? Quid iste, non adeo vita indignus? Cur tot ignauæ animæ perennant, tot vilia capita fruges cõsumere nata, secli incommoda, atque opprobria, spatia vitæ inuidiosa exhauriunt, industrij, atque eruditi terris tantum osten-

ostenduntur? Præstat ergò otio se corrumpendum dedere, præstat vulgo misceri, præstat brutis animantibus similes ignotos sibi, ceteris ignoratos æuum exigere, quando non nisi eminentia papauerum capita superbæ morti demetere placet.

Resoluit intempestiuam declamationem Mercurius,atque ore subtristi pauca refert. Annum esse pestilentem, siderum aspectus maleficos, multa mortalium millia Orco deberi, Vrbes funeribus exhaustum iri, Inferni portitoris cymbam vectoribus non suffecturam; sed quod omnem acerbitatem exsuperet,dira sorte viros omnes doctos, & literarum nomine insignes neci destinatos,idque ira Numinum in res humanas, quæ nouas scelerum pœnas excogitassent, vt sublatis eruditis dira barbaries super funderetur, Orbemque misere vlcisceretur.

Quare ipsos sapientiæ proceres, summaque literarum capita Proserpinæ addicta, diro gregi compulisse, orbatas Academias, funesta Gymnasia, paucos admodum restare, qui breui in Acheruntis censu futuri essent. Proinde inquit & tu propere compone res tuas, vt te quam primum cum ceteris Infernis Iudicibus sistam. Cæpitque me præcedere. Mirum dictu, impellebar ipse occulta vi,quique affixum lectulo corpus ipsa morte graue vix versare poteram, artusq; deficiẽtes ægre moliri, reddito vigore non grabatum modo minime titubanti vestigio reliqueram, sed præcipiti cursu aera findentem Mercurium æquabam.

Nec longum iter emensi beatissima terrarum parte excipimur, hoc est ipsis elysijs, ac fortunatorum Insulis. Nulla vox est, quæ loci amænitatem exprimere possit. Perpetuum Ver renidebat, mite Cœlum,nullisque nubibus asperum, Sol ipse purius fulgere videbatur. Panditur interea elysiorum Regia, vbi Trium viri capitales fatalem vrnam versabant, cuiusque nomen educebatur illico mortem obibat. Erant ad latera Parcæ, & Quæsitorum arbitrio mille vitas momento recidebant.

Forte tunc non leuis disceptatio incesserat, quæ ipsos Iudices haberet ambiguos. Nam cum decreto fatorum Viri docti, atque eruditi letho destinati essent, non plane constabat, qui nam essent hi, quique hoc nomine digni censerentur. Cum enim literæ, ac sapientiæ cultus suas fraudes, suumque fucum habeant, & quidam docti sint, quidam videantur: cum non pauci literis tincti, atque ex librorum Indicibus periti, præterea plagiarij, atque alienorum scriniorum effractores, sicophantæ, solaque barba, ac supercilio philosophi, non pauci etiam quibus pro virtute audacia est, ad tam sublime nomen impudenter adspirarent, arduum opus atque anceps ipsis Triumviris videbatur excutere laruam, & viros eruditos deprehendere. Itaque placuit citari nomina eorum qui doctorum numero haberentur, tum noua prorsusq; inaudita Iudiciorum ratione, laudes eius, laboresque & merita in rem literariam accusator percensebat, contra accusabat patronus, vitiaque, & ignauiam exprobrabat, quo eius fortunas, ac vitam tueretur. Tum Iudices in suffragium ibant, & cuius eruditionem, ac vitam adprobauerant, letho donabant, qui inscitiæ, ac secordiæ arguebantur, nigrum theta effugiebant.

Et primo quidem productus est Io. Baptista Soncinus non Brixiæ modo Vrbis nobilissimæ, sed artis medicæ summum decus. Statimque doctrina eius varie expendebatur, arguebaturque. Laudator aiebat eum magno ingenio præditum breui eos in re medica progressus dedisse, vt iuvenis in hoc Gymnasio inter primos profiteretur, mox Pisas ad primam sedem inuidioso stipendio euocaretur, vt demum rediret huc, & Viro præstantissimo, honesta missione donato, succederet, ac Medicinæ culmen tueretur. Fuisse præterea in eo summam in explicando facilitatem, Iudicium rectum, dicendi copiam, atque elegantiam, ingenij dexteritatem, omnesque artes ciuiles, vsque ad inuidiam in eodem floruisse. Dicebatur contra, iuventam Academiæ vitio inter arma, &

no-

nocturnas discursationes transegisse, nullum præterea ingenij fœtum emisisse, vnde doctrinæ fructus ad posteros redũdaret. Sed Minos iuventæ liberioris licentiam magnis postea virtutibus, ac laboribus emendatam affirmabat, nec multum interesse, quod nihil librorum evulgasset, cum contra quo quis indoctior eo plura quotidie inscitiæ atque adrogantiæ monumenta effunderet. Huic cæteri assensêre. Itaque intra sextum & quadragesimum annum, ingenti vtriusque Academiæ luctu extinctus est.

Motâ dein vrnâ eductum est nomen Gaudentij Paganini in Gymnasio Pisano artem dicendi profitentis. Laudatus est non perfunctoriè. Virum esse magna doctrina, variaque lectione in omnibus fere disciplinis versatum: editis præterea non paucis operibus per celebrem, festiuis moribus, atque ingenio perfaceto, vt eius consuetudine magnus Princeps admodum caperetur. Addebatur, eum magnum literatorum fautorem esse obuia comitate, non tam domo, quam pectore peregrinis hominibus ingenue patente, exterosque qui Italiam inuiserent, aut hospitio exceptos, aut festis dapibus adhibitos. At Patronus præpostera defensione aiebat, hominem magis literis tinctum, quam imbutum; Id declarare pleraque eius scripta impetu magis, quam certa ratione edita non magna elegantia, artisque eius quam profiteretur modico cultu. Nihil in ingenio solidum, cum per artes, & disciplinas peregrinaretur, nulli penitus insistens, nec admodum ingenio aptus poeticam attigisset, præcipue Italicam, cum versus in hora sexcentos inuito Apolline effunderet. Suffragijs tamen Trium virorum inter doctos recensitus, fatali lege collegam, & amicum Soncinum non multo post secutus est.

Et quasi vni tantum Regioni fatorum vis incumberet, inductus est ex Vrbe Florentia Io. Baptista Donius magnifico cum elogio. Virum doctissimum esse, eruditione, studioque antiquitatis nemini secundum. Vnde arrepta occasione laudator

dator dotes eius breui, sed attenta Oratione perstrinxit. Hunc ab iuventa Romæ incredibili labore, ac contentione in eruendis vetustæ memoriæ reliquijs versatum, egregium opus ad eam illustrandam confecisse, quod nondum publicum factum esset, sed edita dissertatione de Pęnula viri docti famam omnium suffragio adeptum, auctumque decus pererudito de veteris Musicæ præstantia commentario. Et licet Patronus, iuvenem adhuc, nec ad summum euectum contenderet, non exactam eruditionem, multa præterea in eius scriptis à viris doctis desiderari, morti destinatur magno Reip. literariæ detrimento.

Post hæc ex diuersa terrarum parte, duo clarissima literarum lumina euocantur, Daniel Heinsius, & Gerardus Ioannes Vossius. His nullum doctiorem quisquam nouerat, aut sol viderat. Differebat laudator Heinsium magni illius Iosephi Scaligeri alumnum esse, quem politiorum literarum, & solidioris eruditionis Dictatorem perpetuum eruditorũ consensus dixerat. Nec minorem tanto educatore discipulum. Nam ab adolescentia Græcas, ac latinas Musas tam propitias habuisse, vt addita ad naturæ dotes industria veteres poetas iuvenis prouocaret, ac præcipuè in Elegijs Ouidiani carminis dulcedinem ingenijque vbertatem æmularetur. Ad seueriora deinde eodem auspice conuersum, pleno pectore de sapientiæ fonte gustasse, ad quam exornandam consumpsisse Rhetorum myrothecia, per faceto etiam Orationis lepore, atque acumine insignem. Mox Historiam, ciuilisque prudentiæ arcana Lugduni Batauorum, illa Martis ac musarum palestra magna doctorum, atque exteræ iuventutis frequentia professum, ab Veneta Rep. D. Marci insignibus virtutis ergo condecoratum. Tandem Græcis ac latinis scriptoribus illustratis, editisque in novum sacri fœderis instrumentum doctissimis commentarijs, summi viri famam merito consecutum esse.

Flexit deinde noxiam laudationem ad Gerardum Vossiũ,

quem

quem omni præconio longe maiorem pronunciauit, testes aduocans Institutionum oratoriarum libros, qui ipsi ad famam aditum aperuêre ingenti plausu exceptos, etiam ab ipsis literarum proceribus Isaaco Casaubono, & Iosepho Scaligero. Hic enim cum eas perlegisset ingenue professus est se ab ea lectione doctiorem euasisse, nec è veteribus ipsis quem quam extare qui in eo argumento Vossio palmam preriperet. Casauboni vero hoc de Vossio fuisse Iudicium, nihil eius Rhetoricis esse perfectius; nihil nitidius, singularem eruditionem, lectionem multiplicem, rectum Iudicium vbique elucere. Sanè Criticæ vim minime vulgarem in notis ad fragmenta veterum Tragicorum, præcipue in duplici Commentario de Græcis ac Latinis Historicis vsque ad miraculum vigere. Porro nihil exactius latinæ linguæ commentariis, nihil libro de Veterum Idololatria, item Grammaticis, ac poeticis exercitationibus eruditius extare. Hæc magna licet, vero tamen minora omnibus visa sunt, ita vt accusator obmutesceret, nec quidquam hiscere auderet, vt laudis obtrectatione tantis viris suffragaretur. Quare eodem pœne tempore geminum Belgij, ac literarum sidus extinctum est.

Posthæc ex Vrbe rerum domina alterum par haudquaquã priore deterius inductum est, Famianus Strada, & Tarquinius Gallutius nobilissimæ, & nunquam satis laudatæ Societatis facile principes. Nec multum laudatori laborandum fuit, vt ostenderet Famianum insigni laude in Rhetorum officinis ætatem exegisse, ac per tot annos Romanæ iuuentæ moderatorem, tum eloquentiæ præceptis, tum latinæ Orationis maiestate veterum Oratorum gloriam reuocasse. Nam Prolusiones eius, & doctrinæ varietate, & latini sermonis candore notabiles quotidie doctorum manibus teri. Historiam autem Belgicam grande opus eximia prudentia, rerumque maximarum consilijs & dominationum arcanis refertum, eadem styli felicitate tanti scriptoris ingenio par,

pre-

præcipuam ipsi commendationem peperisse.

Ex altera parte Tarquinium Gallutium puræ, ac minimè fucatæ latinitatis & ad Tullianum nitorem proxime assurgentis vnicum fortasse hac tempestate exemplum esse. Eius orationes omnibus doctrinæ, atque eloquentiæ luminibus distinctas, eximio verborum cultu, sententiarum pondere, atque eleganti perspicuitate instructas, vt disertissimus Romuli nepotum merito appellari posset. Sed & carmina eiusdem pari suauitate ac nitore contexta, vt quod rarum, ac pœne inusitatum sit, tam soluta, quam pedibus adstricta Oratione, Romanæ eloquentiæ principatum obtineret. Vt interim omitterentur doctissimi Commentarij in Ethicam conscripti, solidioris doctrinæ egregia monumenta.

His etiam quid reponeret accusator non habuit, nisi quod in Famiani historia multa excidisse contendebat, quæ ad latinitatis obrussam exigi nequaquam possent. Pleraque ambitiose perscripta, scholam olere, nimiamque ac pœnè putidam diligentiam; multa poetice exaggerata, non paucos denique lapsus, quos ille aliàs in veteribus scriptoribus arguisset. Sed leuia ista admodum visa, nec deformes in pulchro corpore næui. Itaque hic cum compare Gallutio rebus humanis excedere iussus est.

His peractis grande vulnus Academiæ nostræ inflictum est, educto Io: Veslingij nomine, quod semper acerbum, semper honoratum eadem Academia habebit. Nec se continuit laudator, sed truci, ac sanguinanti eloquentiæ veluti frenos laxauit. Hunc prima iuuenta ex Germania tot nobilium animarum altrice, Italiam, capiendo ingenij cultu petijsse, atque in hoc Florentissimo Gymnasio laboribus, atque industria æquales omnes antecessisse, non grauioribus modo disciplinis impense addictum, sed Græcorum ac latinorum scriptorum assidua lectione animum mitigasse. Mox Venetijs, laureæ medicæ insignibus decoratum, sponte in Aegyptum vsque concessisse, vt ea peregrinatione discen-

scen-

ſcendi in primis auidum, & capax ingenium expleret. Ibi animum tot naturæ miraculis ſedulo intendiſſe, nec tam inſanas Pyramidum ſubſtructiones, quam fęcundam Nili eluuiem miratum, herbarum, ac ſtirpium medicam vim diligentiſſimè ſcrutatum eſſe. Inde Hieroſolyma per obſeſſa barbaris itinera, non ſine vitę periculo adiiſſe, locaque Chriſti ſeruatoris natalibus, ac morte ſacrata perluſtraſſe, vt ad multiplicem linguarum cognitionem, etiam Arabicam adderet, ipſiuſque Opobalſami naturam, ac vires propius inſpectaret.

His bonis ſuccinctum huc redijſſe, ſtatimque ab Veneto Senatu eximiæ virtutis æſtimatore acerrimo, Chirurgice, atque Anatomice præfectum, totum Gymnaſium in ſe conuertiſſe, non tam ſecandi peritia nemini prædeceſſorum inferiorem, quam Orationis cultu, atq; omni eruditionis amęnitate cum pauciſſimis comparandum. Ita maximos ad eum audiendum concurſus, factos, quum profligata barbarie, omnique ineptiarum ſqualore deterſo, eo dulcius auribus blandiretur, quo triſtius ſpectaculum eſſet, & carnificinæ proximum. Gręcam eruditionem diſputationibus ſine oſtentatione inſperſam, veterum poetarum dicta veluti emblemmata Orationi addita. Quanta diligentia minutiſſimas corporis partes, humanaque exta ſalubri haruſpicinâ inſpecta, ipſoſque oculos fugientia fibrarum lineamenta curioſa felicitate deprehenſa, atque aſpectui ſubiecta; Nec multo poſt eundèm in amæna vireta inductum, florum, atque herbarum culturæ præpoſitum eſſe, naturæ laſciuientis pompam, terræque omniparentis fœcunditatem, pari ingenij, atque orationis vbertate ad corporum tutelam ſalutiſque miniſteriū prouide conuertiſſe. Vix dici poſſe quot ille labores ac vigilias exhauriret. Cum ſummo mane luceque adhuc dubia quotidie profiteretur, herbarumque aromatum, ac metallorum vires pleno Gymnaſio exponeret. Saturnalibus vero optimis dierum, cum reliqui ferias ducerēt, acuratiſſima cadauerum

ſectio-

ſectione, atque inſpectione, viuorum ſaluti conſuleret, & poſtquam æſtiui calores ludum artauerant, ſalubrem naturæ florẽtis aſpectum, florida, atque amæna diſſertatione ſtudioſæ iuuentuti communicaret. Quibus autem notam, aut expertam non fuiſſe ipſius medendi peritiam, atque pietatem fere ſingularem, qua vacuo ſordibus animo ſine vlla mercede egenos magnam Vrbis partem curaret?

Plura laudator dicturus erat niſi fluentem Orationem Iudices ad clepſydram caſtigaſſent, qui ne audito quidem accuſatore, inexpiabili Vrbis Gymnaſij ac literarum clade, tantum decus terris inuiderunt.

Hinc veluti tot clarorum virorum nece irritato furore, ipſam demum ſapientiam excindere cogitarunt, die dicta Gaſpari Scioppio, qui tot ſublatis ſolus irruentem barbariẽ profligare poſſe videbatur. Cumque eum virum ſine controuerſia longe doctiſſimum eſſe conſtaret, vix vllæ laudatoris partes eſſe videbantur, ne quid tamen de funeſti iudicij more deperiret, iuſſus eſt ſumma rerum faſtigia perſequi, ipſiuſque modo laudationis capita indicare, non enim ſuffectura dies ad tanti viri laudes ſequendas videbatur. Vnum igitur illud exemplum doctrinæ, atq; indefeſſæ in ſtudijs literarum contentionis ætati noſtræ affulſiſſe prædicabat. Nam adoleſcentem ac pœne puerum id ingenij atque eruditionis ſpecimen dediſſe, vt vix tribus luſtris expletis non vnum opus publici iuris faceret, quod exactæ ætatis iudicium, totiuſque antiquitatis ſolidam cognitionem præſeferret. Neque tamen vt vmbratici ſolent in ſcholarum ergaſtulis conſenuiſſe, ſed in Aulæ ſplendore, in oculis omnium, maximis negotijs adhibitum viuidum, paremque animum oſtentaſſe. Et ne tot bonis ſola Germania frueretur, cum in Italiam veniſſet, Principum ſtudijs, fauore omnium, ac gratulatione certatim exceptum eſſe. Præcipuè Ferdinandi Mantuæ Ducis, magni ingeniorum æſtimatoris, non intimæ modo familiaritatis ſacris adhibitum, ſed inſigni liberalitate auctum. Poſt hæc duorum

Pon-

Pontificum flagrantissima gratia floruisse, vt Gregorij XV. antequam illud fastigium teneret, cõtubernio frueretur. Vrbano VIII. Principum literatissimo in delitijs esset, ad vtrumque ab eodem Mantuæ Duce, & ab Ferdinando Imperatore partim officij causa, partim de grauissimis Reip. christianæ negotijs legatus. Vbi in humani generis conuentu, in publica literatorum luce ab eruditis omnibus submissos tanquam Dictatori ingenij ac doctrinæ fasces, ipsumque pro quodam eruditionis miraculo cultum. Donec inanium pertæsus, in se ipsum recederet & partim Mediolani, partim in hac Vrbe victuris ęternum libris bona fide posteritatis negotium transigeret. Eos libros in ore famæ, in commendatione omnium versari. Quumque per omnes fere disciplinas capax ingeniũ circumtulerit, duo tamen in ipso sine exemplo satis exprimi, nedum laudari posse, iudicij vim in aliorum scriptis æstimandis, & ad latinæ orationis Censuram exigendis miram, atq; exactam, tantam vero sacrarum literarum peritiam, quantam fortasse nullus ad hanc diem, quantamque nemo credat, qui illam auribus non vsurparit. Vt quod olim de Esdra dictum est, deperditos linguæ sanctæ Codices solus reparare potuerit. Scilicet vsque ad extremam senectam nuntio rebus humanis remisso, noctu diuque in sacrarum literarum commentatione incredibili labore versatum, vt ipsum adeuntibus per plures horas vno veluti spiritu infinita sacræ paginæ loca, inusitata memoriæ felicitate stupentibus atque attonitis repræsentaret, atque ex ipsis diuinæ sapientiæ penetralibus arcana etiam doctissimis ignorata exprimeret. Nimirum cum rarò alias prodire in publicum soleret, extremis temporibus quatuordecim annos domo, ac ferme angusto cubiculo clausum, diebus noctes iungentem, lucubrare perpetuo solitũ cumque à doctis inuiseretur, ne vnquam à literis abscederet varijs, ac festiuis de re literaria sermonibus, profundæ eruditionis fructus vberrimos communicare consueuisse, huncque ipsi ludum, hoc otium, hoc laborum leuamen semper fuis-

fuisse. Nec mirum si ætate exacta plures libros à se confectos quam annos numeraret, eiusque opera vel magnam Bibliothecam instruere possent, ipse viua ac perambulans Bibliotheca merito appellaretur.

Quis credat? Ausus est accusator contradicere, atque ex obliquo tanti viri famam infuscare. Nam cum quę de eius ingenio, doctrina, immensisque in re literaria laboribus infitiari non posset quæ essent totius Orbis testimonio comprobata, vertit accusationem, nimiamque eius ingenij asperitatem, iudiciumque subausterum, omnibusque infestum arguebat. Nam ne ipsis quidem Regibus supremisque potestatibus vnquam pepercisse, cum nimia, ac pœnè Cynica detrahendi libidine omnes ordines non solum multo sale defricaret, sed in omnem verborum etiam prætextatorum amaritudinem effusus, ipsa literarum capita viros que superum cultu reuerendos totis voluminibus concideret, asperisque facetijs iocum ac ludibrium faceret. Ita multorum in se odia concitasse, vt amaras ipse quoque historias audire cogeretur, bellisque plusquam ciuilibus Musarum pacem inquietaret. His Minos inter fatus est. In hoc satis excusari Scioppiū non posse, quod Stoicam quam profitebatur moderationem transgressus, & doctis & sacratis viris bellum indixisset, librosq; omnes succo lolliginis inspersisset, satis tamen constare, & lacessitum sæpe fuisse, & contemptu, cuius generosa mens impatiens est irritatum, maledictorum licentiam pari acerbitate retudisse, aliqua etiam præferuido viri ingenio malisque atque ignauis implacabili imputanda esse, cum totius vitę innocentia morumque integritate satis obiecta crimina refutasset. Sanè nullum maius virtutis eius, ac doctrinæ testimonium, quam aduersariorum inuidiam fuisse, qua necquicquam fremente, doctissimi, ac sapientissimi famam orbis consensu adeptum esse. Sed tantarum laudum triste pretium magnus senex tulit, maturo ipsis, omnibusque quicumque literas colunt, acerbissimo funere sublatus.

Iam-

Iamque tam cruentæ cognitionis, siue potius carnificinæ finis adesse videbatur. Cum ipse in Aulæ angulo destitutus, & proximæ mortis horrore perfusus, & tot amicorum interitu vitæ pertæsus, quid me fieret expectabam, nam vt inter doctos recenserer, ne timere quidem audebam, & qua causa me illuc Mercurius duxisset ignorabam. Cum truci aspectu, ac superbissima voce in me conuersus Inferni fisci patronus inuidiosam laudationem orditur. Hunc inquit Iudices satis vixisse prædico, non quidem tot alijs qui vestro suffragio ceciderunt accensendum, sed de re literaria non omnino male meritum. Nam per sexdecim annos in Patauino Gymnasio celebri exteræ iuventutis concursu vtramque linguam non sine laude professus, Rhetoris partes aut implet, aut imponit auditoribus & Orator esse videtur. Non exiguam illi commendationem peperit de re Vestiaria commentarius, in quo non pauca etiam doctis ignorata ad id argumentum illustrandum protulit. Nunc alia publici iuris facere meditatur, Electorum libros, notasque Philologicas in C. Plinij historiam, nam Prolusiones & epistolæ sub prælo sunt famamque viri docti, aut habet, aut meretur. Hæc ille in caput meũ casura sæuo mendatio comminiscebatur. Cum accusator renidens, & victoriæ certus. Hunc inquit Iudices facile euincam, nec doctum esse, nec dignum qui hoc titulo vita spolietur. Iuuenis adhuc est, magnaque minatur potius, quam perficit. Præterea valetudinarius, totque annorum morbis fractus etiam si maxime velit veræ laudis metam attingere non potest, nec solidam eruditionis famam promereri. Quandiu a publico docendi munere cessare aduersa valetudine cogitur, librisque tamquam à re noxia & perniciosa abstinere? An pro vno aut altero libello doctum censebitis, nominisq; huius honorem largiemini? Vita illi opus est, quæ pœna non sit, vt incepta perficiat, ne cum ipso nomen quoque intercidat. In hoc saltem superfit, vt literatorum funere præficæ officio fungatur, & alios laudare, se ipsum non possit. Annuê-

re Inferni quæsitores, albumque calculum adiecerunt. Sic insperato, inscitiæ atque ignauię opinione mortem euasi, satiusque esse existimaui, cum mei similibus ævum producere, quam cum doctis Acherusia templa frequentare. Ita præ lætitia discusso sopore vitæ, moxque huic vrbi redditus, ingruente iterum fortunæ sæuientis scelere, odisse fatorum beneficium cæpi; meque sæua miseratione non morti ereptum, sed longis cruciatibus reseruatum credidi.

INVICTA VENETORVM VIRTVS.
Prolusio XIV.

AVspicatissima rerum gerendarum primordia esse, quæ à Dijs immortalibus caperentur, proxima quæ à principibus, qui Deorum vicem terrarum imperio moderantur, sapientum consensu comprobatum est. Ita post legitima vota, solemnesque precationes Deorum, vt studiorum instauratione rem literariam fortunent, atque augeant, professoribus bonam mentem inspirent, ac nobilissimam pubem ex orbe toto huc ad ingenii cultum properantem Diuino instinctu ad magna quæque ac Reipublicæ salutaria impellant, ipsorum studiorum auspicia ab eius vrbis, Imperiique laudibus rite ducenda videntur, cuius incolumitate Christiana res, Italiæ libertas, ipsa demum literarum salus continetur. Et ingrati profectò essemus, atque omnis humani sensus expertes, si diuinam Venetæ Reip. in tot aduersis constantiam, ac fortitudinem, animum cuicunque fortunæ parem, quodque posteritas omnis admirabitur, nisi quæ non credet, furiali hoc bello, quod tot annis aduersus hostem immanissimum, cuique maior orbis terrarum pars seruit, omni humano auxilio destituta gerit, non victam, non fractam, sed redditis toties cladibus, fugata non semel hostili classe, captis munitissimis arcibus, ipsis Hellesponti faucibus obsessis, victrici

simi-

similem, certè ex aduersis rebus semper admirabiliorem silentio transmitteremus. Ingens sane piaculum, magnus literarum rubor, oratoriæ facultatis flagitium, si in tanta rerum gestarum copia, ac splendore obmutesceret: intempestivum, atque absurdum studiorum exordium, si ab aridis disputationibus ducatur, vagisque, ac lentis fabulis studiosæ iuventutis aures obstruantur. Desinere artem satius est, ac benedicendi officinam claudere, linguam dentium septo cohibere, nisi rectè loquendi facultas omnis, omnes eloquētiæ nerui, totaque facundiæ vis intendatur, vt ab eius Reip. laudibus studiorum auspicia ponamus, quæ vt quondam literas, ac disciplinas Italiæ restituit, ita nunc tristissimo, ac difficillimo bello implicita, non eas modo respicit, sed inter præcipuas concussi imperij curas earumdem incolumitatem ponit.

Magna libertatis parens, ac tutela, Virgo tot grauida imperiis, tot fæcunda triumphis, tot ingentium animarum procreatrix, tot heroum altrix, immensis superbissimi Regis viribus appetita, non indicto ante bello, sed violatis per summum nefas fœderibus, repentina inuasione penè obruta, inter tot fortunæ minas destituta, literas nostras sereno lumine respicere potes, & strepente circumquaque funesto bello nouas scientijs ac disciplinis leges scribis, nouo authoramēto professores prolicis, ac veluti alto otio musarum sacra disponis: literæ nostræ ipso studiorum limine aliud argumentum, aut meditabuntur, aut ambitiosè conquirent, quam quo ingentia tua decora, incredibilis virtus, ac constantia, incomparabilis fortitudo grata commemoratione posteris repræsententur? Et quamuis tantarum rerum fulgore præstricti cum oculis animi caligent, ac trepident, quamuis facinorum magnitudine, atque exemplorum vbertate ingenia, & calami non fatigentur modo, sed fatiscant, omnisque eloquentia arida sit, ac ieiuna, audendum tamen est, ipsaque Veneta mansuetudine vires suppeditante, inde incipiendum

est, in quo desinere artes omnes, sed præcipue oratoriam beneficiorum commemoratione conuenit, atque ibi studiorum primordia faustissima ponenda sunt, vbi sacrosancta libertas, quique inde pendet literarum cultus nunquam est exitum habiturus.

Neque tamen hic antiqua gentis decora, non tam claris scriptoribus memorata, quam constanti seculorum præconio decantata repetere animus est. Vrbis ipsius ex imo Oceano in cælum eductæ miracula, non Phœbea, aut Neptuni, sed Diuina manu mœnitæ, iactisque in profundum molibus in instabili elemento firmatæ, scandentes ex æquore arces, tecta cælo minantia, mœnia, ac propugnacula fluitantia, quolibet aggere solidiora, & siue ea Dij posuerunt veneranda, siue homines omnem admirationem supergressa. Sedem scilicet ac sacrarium libertatis vnicum, quæ Romano culmine deuoluta, terrisque omnibus expulsa, sanctius Capitolium insedit, ac per duodecim, eòque amplius secula, non intacta modo, atque illibata aduersus orbis seruientis insidias stetit, sed magnitudine exempli fortissimas, ac ferocissimas gentes seruitium exuere docuit. Libertatis ipsius columem, ac tutelam sapientissimum concilium, Italicæ salutis, ac Christianæ religionis excubias, ciuilis prudentiæ oraculum, literarum, ac sapientiæ delubrum. Libertatis magisterio formatos mores, emendaturos humanum genus, si quando seruitio infectas mentes fortunæ suæ pœniteat, parendi atque imperandi vices, regni, ac seruitutis nescias, animas nulli nisi Deo, ac patriæ addictas, & pulcherrimam imperij formam, legibus obtemperare.

Hæc omnia non tam Annalibus quam mortalium animis ad æternitatem impressa verbis inuertere nihil attinet, nec progressus origini pares percensere: mare toties non tam classibus quam victorijs peragratum: toties Piratas aut cæsos, aut catenis suis redditos: populos immanitate barbaros non semel deuictos, Hunnos, Saracenos, Turcas Christiani

no-

nominis hostes sempiternos. Bellum sacrum asserẽdo Christi Domini natali solo ducentarum nauium classe peractum: tot vrbes atque Insulas barbaro dominatu exemptas. Pontificiam Maiestatem Vrbe sacrisque extorrem aduersus impios conatus defensam, ac fastigio suo redditam. Bizantium Orientis Regiam fausto omine non semel captam. Et vt propiora tangamus, Actiolinum Tyrannorum immanissimum, monstrum perfidiâ atque immanitate conflatum, vrbis huius nobilissimæ pestem, ac perniciem, inaudita humani sanguinis rabie Italiam ferro, ac flammis miscentem, tot fœde interemptorum ciuium inferijs mactatum: minores tyrannos carptim Italiam lacerantes, vrbibus quibus incubabant, detractos. Toties aduersus Lygures, & Pisanos de maris, aduersus Insubres de continentis imperio certatum. Gallorũ exercitum florentissimum, ipsius Regis maximi ductu, capta Neapoli Italiæ seruitium minitantem, excedere finibus, atq; Italiam liberare coactum. Quodque vix fidem inuenit, Gallis, Hispanis, Germania totâ, magna Italiæ parte aduersus tantum decus conspirantibus, ipso sacrorum Rege belli incentore, ex Cœli armamentario fulmina expediente, tantos coniurati orbis conatus Turcico imperio euertendo pares, non intrepide modo exceptos, sed hac eadem in vrbe generosissimè propulsatos, & quod laudum omnium complementum est, ipsum Christiani nominis hostem, humani generis metum, ac pœnam, toties victum, toties repressum, toties Europæ ceruicibus depulsum; postrema ad Echinadas victoria, si fata Numenque noxis nostris iratum permisisset, penitus profligatum.

Hæc neque dicere, neque ingenij culpa deterere placet. Illud vnum iure profiteri possumus, hoc maximo, ac funestissimo bello, quod per sexennium trahitur, Venetam Remp. nunquam maiora virtutis, ac constantiæ experimenta dedisse, resque gestas auorum, seque ipsam quodammodo superasse. Longa herclè & ambitiosa, licet non intempestiua com-

paratio esset, si cum magnitudine Romana rem Venetam componere consilium foret. Non quidem nascentis imperij cunabula memorando, & luctatam cum finitimis de producendo vrbis pomerio populi Romani infantiam, sed adultam potentiam, bellaque Pyrrhi & Hanibalis, Persemque, & Antiochum, orbemque sub legibus missum. Neque tamen ita mirum esse debet Imperium, vt tunc scriptores loquebantur secundum Deos maximum, sociorum Latini nominis, totque exterarum gentium auxilijs fultum aduersus singulas gentes, ac populos carptim, & per partes dimicantem præualuisse, visumque esse orbem totum subegisse: & deuicto Pyrrho, Pœnum Italiæ, ac fere Capitolio hærentem post quatuordecim annos, cum victis similes essent, qui vicissent profligatum: tum versa in Macedonem arma: post Antiochum magis suo luxu quam Romana vi superatum, siue fatis, siue profunda imperij cupidine alia ex alijs bella serentibus. Quamquam orbem totum, qua mare, qua terræ, qua sydus currit vtrumque, Romanis aquilis peragratum, Poetarum ludum fucumque scriptorum fuisse, declarant Germania tentata magis quam victa, nec vnquam satis docti ferre iugum Hispani, Parthorumque Imperium Romanæ magnitudini tam viribus par, quam cladibus funestum. Satis tamen illud constat nunquam euenisse, vt vno eodemque tempore, gentes omnes, ac populos infesta signa inferentes excitumque sedibus suis orbem exceperit, domueritque. Nam vt Fidenas, ac Veios, Etruscos, & Samnium omittam, excursiones verius, quàm prælia, aut bella, per fidem vestram quota pars Orbis Pyrrhum, aut Annibalem secuta est? Obscurus Macedoniæ angulus, atque assueta latrocinijs Numidarum manus penè suprema Romano Nomini fuit. Nam Germaniam Europæ partem toties triumphatam, nunquam victam dicebamus: Hispaniam suis viribus attritam plus cladis intulisse quam acceperat non ignoramus.

Veneta Resp. Italiæ terræ sicut summum decus, ita por-

tio haud magna, pro Iouis patria olim centum Vrbibus incli-ta, sextum iam annum aduersus Asiæ, atque Africæ, magnæ-que partis Europæ regnatorem bellum gerit; Et quamuis perfidia plusquam Turcica improuiso incursu oppressa, & post longam obsidionem a LX. hominum millibus expugnata Cydonia, excelso inuictoque animo omni infortunio maior non hostilem modo impetum retudit, sed ornatissima classe instructa, ruptorem fœderum vltro lacessere instituit, totoque Aegeo arma circumferens, aut direptis, aut tributo mulctatis insulis, ipsa Ottomannici Imperij vitalia tentare aggressa, Hellesponti exitu hostilem classem intercludere, ipsique Bizantio minitari ausa terroris confessionem memorando exemplo à barbaris extorsit.

Veneta inquam res viribus modica, animo ingens, non sustinet modo tot annis sed vltro oppugnat, atque obsidet hostem, quod olim Xerxes, Neptuno compedes, Cœlo tenebras minitantem: hostem inquam illum, qui plures prouincias, ac Regna, quam Venetus oppida numerat: in cuius ditione Sol oritur, & cadit: qui tot Imperia concussit, euertit, ac velut vno spiritu difflauit: cuius vno & altero exercitu deleto noua militum, ac pene dixerim noua legionum examina succrescunt, terrasque populatura, siccatura fluvios constratura Oceanum, pedis pulsu velut ab Inferis erumpũt: cuius ærarium Orbis spolijs, ac rapinis quotidie suppletur: militaris disciplina Orbis Imperio par, certe, non sine rubore laudare hostem cogimur, mille Christianorum cladibus dirisque exemplis sancita est; cui scilicet militant viles ac deuotæ letho animæ, quia nihil vltra mortem reformidant: tam proiecta seruiendi patientia, vt se beatos putent quibus cõcessum est Imperatorij equi pedibus sese proculcandos atque obterendos præbere, tanta pereundi dulcedo, vt se sponte iugulandos offerant, quo cadauerum iniectu traiecturo flumina Regi pontem sternant, eodem genere materię sæpe aggeres extollant, sępe hostiles fossas repleant, nus-

quam libertatis vestigium aut vmbra, vni addicta mancipia, idemque pro domino mortis contemptus, quem reliquæ gentes, imo & feræ animantes libertati impendunt. Cum eo hoste ex æquo Resp. dimicat, vincique posse non semel ostendit, cuius barbaro dominatu pressa, omnis barbariæ olim victrix Græcia, Europæ oculus alter, libertatis quondam ac sapientiæ asylum, nunc rerum humanarum spectaculum, ac ludibrium est. Cum eo denique hoste Venetus contendit, cui domitus Oriens fasces submisit: Romanæ Aquilæ toties procubuere: immenso terrarum tractu Germania non semel attonsa, magnisque Vrbibus mulctata, pacem, vel non æquas inducias petere, aut mercari coacta est: Cuius classibus constratus Oceanus decolor Christianorum sanguine fluxit: cuius ergastula, ac latomias tot captiuorum nobilissimorum millia repleuerunt, atque inde deprompta, catenis onerata, illuvie obsita, fame, sitiq; & algu enecta, partim addicta triremibus, partim vertendo telluris dorso pro iumentis adhibita, seruili flagro ad necem cæsa, atque ad explendos crudeles oculos inauditis cruciatibus confecta, malorum omnium extremum esse vitam sub tali domino senserunt: cuius furore non externa modo regna, Oceanoque, ac montium iugis discretæ gentes, sed parentum memoria, nobilissima Italiæ pars ferro, ac flammis vastata est: stupris, ac cædibus altaria Deum commaculata.

Quæ quidem reputantibus non horror modo totum corpus concutit, séd tacita indignatio animum percellit, mox & in questus erumpit. Cum hac furia commissam Remp. nullo, aut quam exiguo Christianorum Principum auxilio fultam, publico hosti exponi, ac prodi, tanquam non communis causa ageretur, neque cum Veneta Christiana res periclitaretur. Proh Deum atque hominum fidem siccinè fatali incuria, atque intestinis discordijs publicum bonum euerti, in tanto sociorum discrimine omnes desidere, fatale incendium proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè spe-

spectari, quasi non eadem sors omnes maneat quæ quondã Vlissem Cyclopis antro deprehensum, vt postremus omniũ voraretur. Non enim novus repente hostis exortus est; Nam ex quo Christianam rem exscindere animo destinauit iras, ac furorem in Venetos vertit, quorum incolumitate ea niteretur. Per ducentos annos variâ fortunâ cum eo pugnauimus, sed tunc ad commune incendium extinguendum concurrebatur ab omnibus. Vbi hostilis metus increpuerat ad classicum sacrum Christiani Principes accingebantur, dataque religionis tessera ad hoc propugnaculum tuendum conuolabatur. Non enim ignorabant si (quod Deus omen auertat) illud prorutum esset, si hæc Arx Christiani nominis concidisset, illico actum de Italia, actum de Vrbe, actum de Aris, & focis, perniciem ac pestem Latio, totique Europæ impendere. Ita prudenter ac pie sacrorum parens ac moderator sanctius ærarium in hæc discrimina seruatum, tanquam si hostis in Ianiculo esset, aut Adriani arcem opugnaret profundere, pecunia, milite, sacrorum procuratione, in dictis ad Deorum puluinaria supplicationibus, & reliquis cælestis iræ placamentis communem causam iuvare. Cæsar huic pesti conterminus pugnacissima gente exercitum augere. Duo maximi Reges inter se contendere, vter maiori subsidio laborantibus socijs adesset, præcipuè Iberus totis regni viribus in Venetorum discrimine Christianam rem tueri. Certè victoriæ ad Echynadas, qua Ottomanicæ res obtritæ, & si per delicta nostra licuisset excisæ fuissent, penes Hispanum, ac Venetum Dij gloriam esse voluerunt.

Nunc nescio quo fato, iraque Numinum in res nostras, aut desident, torpentque Christianorum animi manusque, aut in se rabiem ac furorem verterunt, dumque mutuis cladibus Europa atteritur, suisque se ipsa viribus conficit, res interim Barbaro peragitur: & quidam ærarij inopiam, eo rerum articulo causantur, quo spoliare Deos, sacramque suppellectilem distrahere, dicatas templis manubias, altarium ornamenta

quam libertatis vestigium aut vmbra, vni addicta mancipia, idemque pro domino mortis contemptus, quem reliquæ gentes, imo & feræ animantes libertati impendunt. Cum eo hoste ex æquo Resp. dimicat, vincique posse non semel ostendit, cuius barbaro dominatu pressa, omnis barbariæ olim victrix Græcia, Europæ oculus alter, libertatis quondam ac sapientiæ asylum, nunc rerum humanarum spectaculum, ac ludibrium est. Cum eo denique hoste Venetus contendit, cui domitus Oriens fasces submisit: Romanæ Aquilæ toties procubuere: immenso terrarum tractu Germania non semel attonsa, magnisque Vrbibus mulctata, pacem, vel non æquas inducias petere, aut mercari coacta est: Cuius classibus constratus Oceanus decolor Christianorum sanguine fluxit: cuius ergastula, ac latomias tot captiuorum nobilissimorum millia repleuerunt, atque inde deprompta, catenis onerata, illuvie obsita, fame, sitiq; & algu enecta, partim addicta triremibus, partim vertendo telluris dorso pro iumentis adhibita, seruili flagro ad necem cæsa, atque ad explendos crudeles oculos inauditis cruciatibus confecta, malorum omnium extremum esse vitam sub tali domino senserunt: cuius furore non externa modo regna, Oceanoque, ac montium iugis discretæ gentes, sed parentum memoria, nobilissima Italiæ pars ferro, ac flammis vastata est: stupris, ac cædibus altaria Deum commaculata.

Quæ quidem reputantibus non horror modo totum corpus concutit, sed tacita indignatio animum percellit, mox & in questus erumpit. Cum hac furia commissam Remp. nullo, aut quam exiguo Christianorum Principum auxilio fultam, publico hosti exponi, ac prodi, tanquam non communis causa ageretur, neque cum Veneta Christiana res periclitaretur. Proh Deum atque hominum fidem siccinè fatali incuria, atque intestinis discordijs publicum bonum euerti, in tanto sociorum discrimine omnes desidere, fatale incendium proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè spe-

spectari, quasi non eadem sors omnes maneat quæ quondã Vlissem Cyclopis antro deprehensum, vt postremus omniũ voraretur. Non enim novus repente hostis exortus est; Nam ex quo Christianam rem exscindere animo destinauit iras, ac furorem in Venetos vertit, quorum incolumitate ea niteretur. Per ducentos annos variâ fortunâ cum eo pugnauimus, sed tunc ad commune incendium extinguendum concurrebatur ab omnibus. Vbi hostilis metus increpuerat ad classicum sacrum Christiani Principes accingebantur, dataque religionis tessera ad hoc propugnaculum tuendum conuolabatur. Non enim ignorabant si (quod Deus omen auertat) illud prorutum esset, si hæc Arx Christiani nominis concidisset, illico actum de Italia, actum de Vrbe, actum de Aris, & focis, perniciem ac pestem Latio, totique Europæ impendere. Ita prudenter ac pie sacrorum parens ac moderator sanctius ærarium in hæc discrimina seruatum, tanquam si hostis in Ianiculo esset, aut Adriani arcem opugnaret profundere, pecunia, milite, sacrorum procuratione, in dictis ad Deorum puluinaria supplicationibus, & reliquis cælestis iræ placamentis communem causam iuvare. Cæsar huic pesti conterminus pugnacissima gente exercitum augere. Duo maximi Reges inter se contendere, vter maiori subsidio laborantibus socijs adesset, præcipuè Iberus totis regni viribus in Venetorum discrimine Christianam rem tueri. Certè victoriæ ad Echynadas, qua Ottomanicæ res obtritæ, & si per delicta nostra licuisset excisæ fuissent, penes Hispanum, ac Venetum Dij gloriam esse voluerunt.

Nunc nescio quo fato, iraque Numinum in res nostras, aut desident, torpentque Christianorum animi manusque, aut in se rabiem ac furorem verterunt, dumque mutuis cladibus Europa atteritur, suisque se ipsa viribus conficit, res interim Barbaro peragitur: & quidam ærarij inopiam, eo rerum articulo causantur, quo spoliare Deos, sacramque supellectilem distrahere, dicatas templis manubias, altarium orna-

menta

quam libertatis vestigium aut vmbra, vni addicta mancipia; idemque pro domino mortis contemptus, quem reliquæ gentes, imo & feræ animantes libertati impendunt. Cum eo hoste ex æquo Resp. dimicat, vincique posse non semel ostendit, cuius barbaro dominatu pressa, omnis barbariæ olim victrix Græcia, Europæ oculus alter, libertatis quondam ac sapientiæ asylum, nunc rerum humanarum spectaculum, ac ludibrium est. Cum eo denique hoste Venetus contendit, cui domitus Oriens fasces submisit: Romanæ Aquilæ toties procubuere: immenso terrarum tractu Germania non semel attonsa, magnisque Vrbibus mulctata, pacem, vel non æquas inducias petere, aut mercari coacta est: Cuius classibus constratus Oceanus decolor Christianorum sanguine fluxit: cuius ergastula, ac latomias tot captiuorum nobilissimorum millia repleuerunt, atque inde deprompta, catenis onerata, illuvie obsita, fame, sitiq; & algu enecta, partim addicta triremibus, partim vertendo telluris dorso pro iumentis adhibita, seruili flagro ad necem cæsa, atque ad explendos crudeles oculos inauditis cruciatibus confecta, malorum omnium extremum esse vitam sub tali domino sensêrunt: cuius furore non externa modo regna, Oceanoque, ac montium iugis discretæ gentes, sed parentum memoria, nobilissima Italiæ pars ferro, ac flammis vastata est: stupris, ac cædibus altaria Deum commaculata.

Quæ quidem reputantibus non horror modo totum corpus concutit, sed tacita indignatio animum percellit, mox & in questus erumpit. Cum hac furia commissam Remp. nullo, aut quam exiguo Christianorum Principum auxilio fultam, publico hosti exponi, ac prodi, tanquam non communis causa ageretur, neque cum Veneta Christiana res periclitaretur. Proh Deum atque hominum fidem siccinè fatali incuria, atque intestinis discordijs publicum bonum euerti, in tanto sociorum discrimine omnes desidere, fatale incendium proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè

spe-

spectari, quasi non eadem sors omnes maneat quæ quondã Vlissem Cyclopis antro deprehensum, vt postremus omniũ voraretur. Non enim novus repente hostis exortus est; Nam ex quo Christianam rem exscindere animo destinauit iras, ac furorem in Venetos vertit, quorum incolumitate ea niteretur. Per ducentos annos variâ fortunâ cum eo pugnauimus, sed tunc ad commune incendium extinguendum concurrebatur ab omnibus. Vbi hostilis metus increpuerat ad classicum sacrum Christiani Principes accingebantur, dataque religionis tessera ad hoc propugnaculum tuendum conuolabatur. Non enim ignorabant si (quod Deus omen auertat) illud prorutum esset, si hæc Arx Christiani nominis concidisset, illico actum de Italia, actum de Vrbe, actum de Aris, & focis, perniciem ac pestem Latio, totique Europæ impendere. Ita prudenter ac pie sacrorum parens ac moderator sanctius ærarium in hæc discrimina seruatum, tanquam si hostis in Ianiculo esset, aut Adriani arcem opugnaret profundere, pecunia, milite, sacrorum procuratione, in dictis ad Deorum puluinaria supplicationibus, & reliquis cælestis iræ placamentis communem causam iuvare. Cæsar huic pesti conterminus pugnacissima gente exercitum augere. Duo maximi Reges inter se contendere, vter maiori subsidio laborantibus socijs adesset, præcipuè Iberus totis regni viribus in Venetorum discrimine Christianam rem tueri. Certè victoriæ ad Echynadas, qua Ottomanicæ res obtritæ, & si per delicta nostra licuisset excisæ fuissent, penes Hispanum, ac Venetum Dij gloriam esse voluerunt.

Nunc nescio quo fato, iraque Numinum in res nostras, aut desident, torpentque Christianorum animi manusque, aut in se rabiem ac furorem verterunt, dumque mutuis cladibus Europa atteritur, suisque se ipsa viribus conficit, res interim Barbaro peragitur: & quidam ærarij inopiam, eo rerum articulo causantur, quo spoliare Deos, sacramque suppellectilem distrahere, dicatas templis manubias, altarium ornamenta

quam libertatis vestigium aut vmbra, vni addicta mancipia, idemque pro domino mortis contemptus, quem reliquæ gentes, imo & feræ animantes libertati impendunt. Cum eo hoste ex æquo Resp. dimicat, vincique posse non semel ostendit, cuius barbaro dominatu pressa, omnis barbariæ olim victrix Græcia, Europæ oculus alter, libertatis quondam ac sapientiæ asylum, nunc rerum humanarum spectaculum, ac ludibrium est. Cum eo denique hoste Venetus contendit, cui domitus Oriens fasces submisit: Romanæ Aquilæ toties procubuere: immenso terrarum tractu Germania non semel attonsa, magnisque Vrbibus mulctata, pacem, vel non æquas inducias petere, aut mercari coacta est: Cuius classibus constratus Oceanus decolor Christianorum sanguine fluxit: cuius ergastula, ac latomias tot captiuorum nobilissimorum millia repleuerunt, atque inde deprompta, catenis onerata, illuvie obsita, fame, sitiq; & algu enecta, partim addicta triremibus, partim vertendo telluris dorso pro iumentis adhibita, seruili flagro ad necem cæsa, atque ad explendos crudeles oculos inauditis cruciatibus confecta, malorum omnium extremum esse vitam sub tali domino senserunt: cuius furore non externa modo regna, Oceanoque, ac montium iugis discretæ gentes, sed parentum memoria, nobilissima Italiæ pars ferro, ac flammis vastata est: stupris, ac cædibus altaria Deum commaculata.

Quæ quidem reputantibus non horror modo totum corpus concutit, sed tacita indignatio animum percellit, mox & in questus erumpit. Cum hac furia commissam Remp. nullo, aut quam exiguo Christianorum Principum auxilio fultam, publico hosti exponi, ac prodi, tanquam non communis causa ageretur, neque cum Veneta Christiana res periclitaretur. Proh Deum atque hominum fidem siccinè fatali incuria, atque intestinis discordijs publicum bonum euerti, in tanto sociorum discrimine omnes desidere, fatale incendium, proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè

spe-

spectari, quasi non eadem sors omnes maneat quæ quondã Vlissem Cyclopis antro deprehensum, vt postremus omniũ voraretur. Non enim novus repente hostis exortus est; Nam ex quo Christianam rem exscindere animo destinauit iras, ac furorem in Venetos vertit, quorum incolumitate ea niteretur. Per ducentos annos variâ fortunâ cum eo pugnauimus, sed tunc ad commune incendium extinguendum concurrebatur ab omnibus. Vbi hostilis metus increpuerat ad classicum sacrum Christiani Principes accingebantur, dataque religionis tessera ad hoc propugnaculum tuendum conuolabatur. Non enim ignorabant si (quod Deus omen auertat) illud prorutum esset, si hæc Arx Christiani nominis concidisset, illico actum de Italia, actum de Vrbe, actum de Aris, & focis, perniciem ac pestem Latio, totique Europæ impendere. Ita prudenter ac pie sacrorum parens ac moderator sanctius ærarium in hæc discrimina seruatum, tanquam si hostis in Ianiculo esset, aut Adriani arcem opugnaret profundere, pecunia, milite, sacrorum procuratione, in dictis ad Deorum puluinaria supplicationibus, & reliquis cælestis iræ placamentis communem causam iuvare. Cæsar huic pesti conterminus pugnacissima gente exercitum augere. Duo maximi Reges inter se contendere, vter maiori subsidio laborantibus socijs adesset, præcipuè Iberus totis regni viribus in Venetorum discrimine Christianam rem tueri. Certè victoriæ ad Echynadas, qua Ottomanicæ res obtritæ, & si per delicta nostra licuisset excisæ fuissent, penes Hispanum, ac Venetum Dij gloriam esse voluerunt.

Nunc nescio quo fato, iraque Numinum in res nostras, aut desident, torpentque Christianorum animi manusque, aut in se rabiem ac furorem verterunt, dumque mutuis cladibus Europa atteritur, suisque se ipsa viribus conficit, res interim Barbaro peragitur: & quidam ærarij inopiam, eo rerum articulo causantur, quo spoliare Deos, sacramque suppellectilem distrahere, dicatas templis manubias, altarium ornamenta

paratio esset, si cum magnitudine Romana rem Venetam componere consilium foret. Non quidem nascentis imperij cunabula memorando, & luctatam cum finitimis de producendo vrbis pomerio populi Romani infantiam, sed adultam potentiam, bellaque Pyrrhi & Hanibalis, Persemque, & Antiochum, orbemque sub legibus missum. Neque tamen ita mirum esse debet Imperium, vt tunc scriptores loquebantur secundum Deos maximum, sociorum Latini nominis, totque exterarum gentium auxilijs fultum aduersus singulas gentes, ac populos carptim, & per partes dimicantem præualuisse, visumque esse orbem totum subegisse: & deuicto Pyrrho, Pœnum Italiæ, ac fere Capitolio hærentem post quatuordecim annos, cum victis similes essent, qui vicissent profligatum: tum versa in Macedonem arma: post Antiochum magis suo luxu quam Romana vi superatum, siue fatis, siue profunda imperij cupidine alia ex alijs bella serentibus. Quamquam orbem totum, qua mare, qua terræ, qua sydus currit vtrumque, Romanis aquilis peragratum, Poetarum ludum fucumque scriptorum fuisse, declarant Germania tentata magis quam victa, nec vnquam satis docti ferre iugum Hispani, Parthorumque Imperium Romanæ magnitudini tam viribus par, quam cladibus funestum. Satis tamen illud constat nunquam euenisse, vt vno eodemque tempore, gentes omnes, ac populos infesta signa inferentes excitumque sedibus suis orbem exceperit, domueritque. Nam vt Fidenas, ac Veios, Etruscos, & Samnium omittam, excursiones verius, quàm prælia, aut bella; per fidem vestram quota pars Orbis Pyrrhum, aut Annibalem secuta est? Obscurus Macedoniæ angulus, atque assueta latrocinijs Numidarum manus penè suprema Romano Nomini fuit. Nam Germaniam Europæ partem toties triumphatam, nunquam victam dicebamus: Hispaniam suis viribus attritam plus cladis intulisse quam acceperat non ignoramus.

Veneta Resp. Italiæ terræ sicut summum decus, ita por-

tio haud magna, pro Iouis patria olim centum Vrbibus inclita, sextum iam annum aduersus Asiæ, atque Africæ, magnæque partis Europæ regnatorem bellum gerit; Et quamuis perfidia plusquam Turcica improuiso incursu oppressa, & post longam obsidionem a LX. hominum millibus expugnata Cydonia, excelso inuictoque animo omni infortunio maior non hostilem modo impetum retudit, sed ornatissima classe instructa, ruptorem fœderum vltro lacessere instituit, totoque Aegeo arma circumferens, aut direptis, aut tributo mulctatis insulis, ipsa Ottomannici Imperij vitalia tentare aggressa, Hellesponti exitu hostilem classem intercludere, ipsique Bizantio minitari ausa terroris confessionem memorando exemplo à barbaris extorsit.

Veneta inquam res viribus modica, animo ingens, non sustinet modo tot annis sed vltro oppugnat, atque obsidet hostem, quod olim Xerxes, Neptuno compedes, Cœlo tenebras minitantem: hostem inquam illum, qui plures prouincias, ac Regna, quam Venetus oppida numerat: in cuius ditione Sol oritur, & cadit: qui tot Imperia concussit, euertit, ac velut vno spiritu difflauit: cuius vno & altero exercitu deleto noua militum, ac pene dixerim noua legionum examina succrescunt, terrasque populatura, siccatura fluuios constratura Oceanum, pedis pulsu velut ab Inferis erumpũt: cuius ærarium Orbis spolijs, ac rapinis quotidie suppletur: militaris disciplina Orbis Imperio par, certe, non sine rubore laudare hostem cogimur, mille Christianorum cladibus dirisque exemplis sancita est; cui scilicet militant viles ac deuotæ letho animæ, quia nihil vltra mortem reformidant: tam proiecta seruiendi patientia, vt se beatos putent quibus cõcessum est Imperatorij equi pedibus sese proculcandos atque obterendos præbere, tanta pereundi dulcedo, vt se sponte iugulandos offerant, quo cadauerum iniectu traiecturo flumina Regi pontem sternant, eodem genere materię sæpe aggeres extollant, sepe hostiles fossas repleant, nus-

quam libertatis vestigium aut vmbra, vni addicta mancipia; idemque pro domino mortis contemptus, quem reliquæ gentes, imo & feræ animantes libertati impendunt. Cum eo hoste ex æquo Resp. dimicat, vincique posse non semel ostendit, cuius barbaro dominatu pressa, omnis barbariæ olim victrix Græcia, Europæ oculus alter, libertatis quondam ac sapientiæ asylum, nunc rerum humanarum spectaculum, ac ludibrium est. Cum eo denique hoste Venetus contendit, cui domitus Oriens fasces submisit: Romanæ Aquilæ toties procubuere: immenso terrarum tractu Germania non semel attonsa, magnisque Vrbibus mulctata, pacem, vel non æquas inducias petere, aut mercari coacta est: Cuius classibus constratus Oceanus decolor Christianorum sanguine fluxit: cuius ergastula, ac latomias tot captiuorum nobilissimorum millia repleuerunt, atque inde deprompta, catenis onerata, illuvie obsita, fame, sitiq; & algu enecta, partim addicta triremibus, partim vertendo telluris dorso pro iumentis adhibita, seruili flagro ad necem cæsa, atque ad explendos crudeles oculos inauditis cruciatibus confecta, malorum omnium extremum esse vitam sub tali domino senserunt: cuius furore non externa modo regna, Oceanoque, ac montium iugis discretæ gentes, sed parentum memoria, nobilissima Italiæ pars ferro, ac flammis vastata est: stupris, ac cædibus altaria Deum commaculata.

Quæ quidem reputantibus non horror modo totum corpus concutit, sed tacita indignatio animum percellit, mox & in questus erumpit. Cum hac furia commissam Remp. nullo, aut quam exiguo Christianorum Principum auxilio fultam, publico hosti exponi, ac prodi, tanquam non communis causa ageretur, neque cum Veneta Christiana res periclitaretur. Proh Deum atque hominum fidem siccinè fatali incuria, atque intestinis discordijs publicum bonum euerti, in tanto sociorum discrimine omnes desidere, fatale incendium proxima quæque correpturum negligi, vicini fatum otiosè

spe-

spectari, quasi non eadem sors omnes maneat quæ quondã Vlissem Cyclopis antro deprehensum, vt postremus omniũ voraretur. Non enim novus repente hostis exortus est; Nam ex quo Christianam rem exscindere animo destinauit iras, ac furorem in Venetos vertit, quorum incolumitate ea niteretur. Per ducentos annos variâ fortunâ cum eo pugnauimus, sed tunc ad commune incendium extinguendum concurrebatur ab omnibus. Vbi hostilis metus increpuerat ad classicum sacrum Christiani Principes accingebantur, dataque religionis tessera ad hoc propugnaculum tuendum conuolabatur. Non enim ignorabant si (quod Deus omen auertat) illud prorutum esset, si hæc Arx Christiani nominis concidisset, illico actum de Italia, actum de Vrbe, actum de Aris, & focis, perniciem ac pestem Latio, totique Europæ impendere. Ita prudenter ac pie sacrorum parens ac moderator sanctius ærarium in hæc discrimina seruatum, tanquam si hostis in Ianiculo esset, aut Adriani arcem opugnaret profundere, pecunia, milite, sacrorum procuratione, in dictis ad Deorum puluinaria supplicationibus, & reliquis cælestis iræ placamentis communem causam iuvare. Cæsar huic pesti conterminus pugnacissima gente exercitum augere. Duo maximi Reges inter se contendere, vter maiori subsidio laborantibus socijs adesset, præcipuè Iberus totis regni viribus in Venetorum discrimine Christianam rem tueri. Certè victoriæ ad Echynadas, qua Ottomanicæ res obtritæ, & si per delicta nostra licuisset excisæ fuissent, penes Hispanum, ac Venetum Dij gloriam esse voluerunt.

Nunc nescio quo fato, iraque Numinum in res nostras, aut desident, torpentque Christianorum animi manusque, aut in se rabiem ac furorem verterunt, dumque mutuis cladibus Europa atteritur, suisque se ipsa viribus conficit, res interim Barbaro peragitur: & quidam ærarij inopiam, eo rerum articulo causantur, quo spoliare Deos, sacramque suppellectilem distrahere, dicatas templis manubias, altarium orna-

menta

menta in belli vsum conuertere non egregium modo sed pium quoque facinus sit. Alijs priuata bella, & bellorum impensæ obtenui sunt, quasi maior hostis iugulo non hæreat, qui victores, ac victos facilius obteret. Absit enim vt credamus non deesse, quibus tanta Reip. calamitas non ingrata acciderit, quodque mens horret atque abominatur occultis machinationibus, atque horrenda fraude hoc Venetis infortunium conflatum ab ijs, qui si nihil aliud eorundem sacrorum participes sunt, Venetaque ope, seruati non semel, & ab extremo rerum discrimine reuocati.

Sed quid iuvat querelis indulgere, festumque diem, ipsas studiorum Kalendas, quo etiam ominosis verbis temperare mos est, tristium commemoratione fœdare? Cum præstet faustis ominibus Cęleste Numen venerari, cuius vnius ope Veneta res stetit hactenus, stabitque inuicta, vel quod idem Numen prohibeat funere suo reliquas quoque gentes inuoluet. Sola enim diuina ope duratum ad hanc diem, vel impius fatebitur, quotiescumque reputauerit vnde suppetere vires potuerint sexennij laboribus, vnde expediri pecuniæ, vnde tot classium, tot exercituum voracissimi sumptus expleri, vnde milites ipsi conscribi, tot nouis subinde delectibus, totque exercituum strage exhausta Europa, atque humano genere per prælia & acies propemodum extincto. Quadringenties quadragies quinquies centena aureorum millia, siue vt vulgari verbo vtar quinque & quadraginta milliones impensos constat, quam summam ægrè Reges illi confecerint, quorum Regna auriferis amnibus rigantur. Neque tamē aucto immodice tributo, diraque subinde nouorum vectigalium necessitate vexatis populis, sed ipsa nobilitate aurum matronale, mundum muliebrem, mensarum argentum, socijs pro mitissimo Imperio pecunias certatim conferentibus.

Tantum auri, tantum sanguinis hactenus profusum. Nec mirum si animus hæc voluens rerum magnitudine fatiscit, ac torpet attonitus, nec satis verba eluctatur. Et adhuc velut in

ipso

ipso belli vestibulo hæremus: nondum acies & prælia exegimus; ex altera parte totum Orientem sedibus suis excitum, & ab Orbe extremo superfusam barbariem, stratum classibus æquor: ex ista exiguam, sed fidam fortemque manum oppositu corporum sacra Deosque tutantem. Nondum priuata facinora, mortesque ducum pro patria obitas memorauimus. Duos Legatos viros fortissimos pugnantes interemptos, Classis Imperatorem nocturna procella obrutum, reliquos duces, ac proceres veluti vicaria morte patriæ fatum redimentes.

Prima victima Deo ac patriæ cecidit Andreas Cornelius Cretensis Regni cum summo Imperio præfectus eo tempore, quo Turcica arma Regno ipsi superfusa sunt, vir magnitudine animi fideque cum paucis comparandus. Qui ad tantam tempestatem nequaquam submisso animo, quamquam ad subitos casus longa pacis incuria non satis omnia parata essent, auxilia per tantum terrarum ac maris accersenda, infidi natiua leuitate popularium animi, atque inde annonæ caritas, inde exiguus militum numerus angeret, impauidus, atque indefessus nihil intentatum reliquit ne Cydonia hostium potiretur, Catharino filio Imperatoriæ indolis adolescente per hostium tela marisque sæuitiam ad obsessos penetrare iusso: & postquam exigua illa manus (quis credat?) quingenti ferme præsidiarij à LX. mortalium millibus per duos menses oppugnata, vt plura in ipsa fossa hostium vexilla quam milites in Vrbe numerarentur, fatis concessit, ille Vrbem vnde Regno nomen validissimis munitionibus magnisque operibus prope inexpugnabilem reddidit: tandem capta Rhitymna, cum forte incenso tormentarij pulueris cado nostri veriti admotum cuniculo ignem in fugam præcipites conuersi essent, Imperator precibus ac minis fugientes sistens, atque obuerso in hostem vultu in pugnam retrahens, grandioris tubi pila traiectus, læto ac renidenti similis, atque aduersum vulnus ostentans, spiritum quem patriæ sacrauerat, Deo reddidit, ac san-

ſanguine ſuo iter ad Cœlum non militibus modo ſed magnis ducibus ſanxit.

Nec enim multo poſt Thomas Maurocenus eodem lethi genere ad ſuperos receſſit, memorando facinore, & cui fortaſſe ſimile ventoſa antiquitas non habeat. Erat hic onerariarum præfectus, ex eo nauium genere, quæ nullo remigio ſed ſolis velis aguntur, verum conſtratæ, & tabulatis exſtructæ, & maioribus tormentis armatæ fluitantium caſtellorum inſtar habentur. Hic igitur omnibus Imperatorijs virtutibus, ſed præcipue morum ſanctitate ad exemplum inſignis, prorſuſque antiquis ducibus par, comperto viſam eſſe claſſem Turcicam ſeptem & quadraginta nauium longarum, licet triremium auxilio deſtitutus in hoſtem iri iubet, quem in ipſo portu opprimere deſtinauerat. Ita cum noctu vt falleret, anchoræ ſublatæ eſſent, ac pugnandi ardore longe à reliqua claſſe prætoria vecta eſſet, repente vis venti poſuit, atque appetente die in eam à ceteris deſtitutam tota Turcica claſſis impetum facit. Legatus nihil perterritus dat pugnæ ſignum, cumque diu hoſtiles naues fulminantium tormentorum procella ſubmotæ fuiſſent, poſt longum certamen prætoriam inuadunt, magna militum manus in ipſam inſilit, atrox prælium conſeritur. Legatus voce, manuque milites accendens, monentes amicos vt ſe prælio ſubduceret, toruè aſpiciens teſtatus adeſſe diem votis expetitum quo ſe Chriſto ac patriæ deuoueret, hortatus eoſdem, vt Venetæ virtutis memores pugnarent, neque inulti caderent, erumpit inde in hoſtes, minaceſq; oculos circumferens, alios aſpectu perterret, ſternit alios, alios ſcandentes proturbat, tandem ſuo atque hoſtili ſanguine madens inter confertiſſimos pugnãs extinguitur. Hæc in conſpectu claſſis agebantur, quæ ſicut triſte ſpectaculum oculis fruebatur, ita ferre opem vento deſtituta non poterat. Et iam ducenti prætoriani onerariam inſcenderant, reſque non longe ab extremo aberat, nam præterquam quod multi pugnantes ceciderant, fortiſſimi

ducis

ducis mors reliquorum animos infregerat, cum repente audito tormentorum tonitru tanquam è Cęlo ad fuit cum tribus rostratis maioribus Io. Baptista Grimanus, totius classis Imperator, qui hostium nauibus partim demersis, partim incendio vastatis, prætoriam recepit, Turcasque qui inscenderant, veluti in triumphum abduxit, nisi triumphum, legati mors funestasset.

Verum ad Ioannis Baptistæ Grimani nomen sicut procumbere stylum veneratione conuenit, ita & subsistere tantisper ad contemplanda rerum humanarum ludibria. Hic enim per omnes militiæ honores ab adolescentia euectus, & veluti in ipso mari educatus, si quis alius rei maritimæ peritissimus, animi altius exaggerati magnitudine, igneaque ingenij vi in omnia intentus, reparata nauali disciplina primus hoc bello Turcas vinci posse docuit, non vna hostili classe partim intra portum obsessa, partim disiecta, ac toto æquore lacerata, interfecto classis præfecto, duobus alijs purpuratis in captiuitatem abductis, Aegæi insulis tributum pendere coactis, dum ipsi Bizantio imminet, atque Hellesponti exitũ intercludere parat, fœda, atque horribili nocturna tempestate quassatis disiectisque nauibus, irato pelago quod toties victor calcauerat, totiesque hostili cruore infecerat, obrutus, mortem antiquis ducibus formidatam intrepide peregit, nihil interesse ratus quo quis lethi genere patriæ satisfaceret.

Si mihi destinatum foret Cretense bellum memoriæ posterorum prodere, post tristia Imperatorum fata, reliquorum ducum prospera curatius exequerer, præcipuè Leonardi Foscoli & Iacobi Ripæ memorabiles victorias Orbi Christiano salutares. Sed studiorum auspicijs semihoræ spatio proludimus, non Annales condimus. Decora ingenia olim memorabunt, Foscoli ductu atque auspicijs magnam Illyrij ac Lyburniæ partem subactam, ferocissimos populos libertatis admonitos à Turcica tyrannide ad Veneta stipendia perductos,

ctos, non vnam Vrbem situ ac munitione insuperabilem, præcipue Clissam inaccessæ rupi impositam, prætorianorum præsidio, atque omni opere munitissimam, multorum mensium obsidioni suffecturam, exigua manu eadem penè die expugnatam, tanto per conterminas gentes Veneti nominis terrore, vt purpuratorum nullus magnis exercitibus venire in conspectum ausus fuerit, & fortuna quæ alibi prospera aduersis miscuit, hîc nunquam dubitasse visa sit. In ijsdem Annalibus posteritas leget ab Iacobo Ripa onerariarum Præfecto classem Turcicam septuaginta duabus nauibus longis, decem maioribus rostratis, vndecim onerarijs, denis militũ millibus instructam Italiæ exitium minitantem, Hellesponto egressam intra Fochiarum portum conclusam, solis vndeuiginti onerarijs obsessam, mox ferro ac flammis vastatam, producto vsque in mediam noctem certamine VII. millibus hostium interfectis, reliquis per vicinos montes dispersis, vetante eodem incendio quod classem corruperat, ne tota penitus deleretur.

Recens etiam minoris Mocenici egregium facinus suam laudem habebit, qui patrui Imperatoris Legatus D. Theodori arcem prima Turcici belli rudimenta, hostilis classis receptaculum, ipso situ ac validissimo præsidio firmatam incredibili celeritate ac fortibus ausis expugnauit, & ad ipsam Cydoniam recuperandam viam aperuit.

Sed iam Oratio longius precuecta est, & nos eius Vrbis laudes exequendo delassamur, quæ de humano genere benemerendo nunquam est defatigata. Retro vela danda sunt ita tamen vt vnde incepit eodem tantarum rerum contemplatio desinat, scilicet fortia facere ac pati Venetum esse. Quod vel vnus Ioannis Superantij casus satis posteritati testabitur. Qui toto hoc calamitosissimo tempore in aula Turcica legatus, dum tantum bellum profunda simulatione coqueretur, & postquam erupit, inuictæ virtutis, nulloque infortunio fractæ egregium specimen dedit. Nam primo do-

mi

mi militari custodia septus, indignisque modis violato iure gentium vexatus, mox efferato tot cladibus Tyranno, inaudita barbarie duci in carcerem iussus, inditis collo catenis tã quam fera, ac peregrina bellua, ita tractus est, vt cum pedes equitis cursum æquare non posset per cœnum atque aspera viarum raptaretur, vir aspectu ac festinata canitie venerabilis, nunquam tamen diro carceris pædore, mortisque crudelissimæ imagine perpetuo obuersante deformata maiestate, eadem animi vultusq; constantia, perfidiam increpans Deosque scelerum testes, mox & vltores inuocans. Quis talia fando temperet à lachrimis? Hæc siccis oculis spectare barbari, nedum peragere potuerunt? Et diutius tanto dedecori Christiani Principes indormient? Nulla indignitas ferreũ soporem excutiet? Nos miseros, qui de fortunis, de capite, de libertate in horas propemodum dimicamus. Infelices has literas, quæ eodem nauigio cum libertate ac Religione impositæ fluctuant, & naufragio proximæ sunt. Quid ergo reliquum est aliud, quam vt vota faciamus, vnamque diuinam opem omni humana destituti imploremus, ac Deum Optim. Max. veneremur, vti tandem placatus populum suum sanguine sacratissimo redemptum respiciat, Venetamque Remp. Religionis ac libertatis columen in vestigio suo sistat, si non Christianum nomen, si non humanum genus penitus auersatur. Dixi.

Amplissimo ac Sapientissimo Viro
CASSIANO A PVTEO ABBATI ET EQVITI
Octauius Ferrarius Felicitatem.

Magnum vulnus genti vestræ per omne æuum clarissimæ, magnum literis, ac disciplinis, Francisci Putei interitu inlatũ est: hæ præsidium, illa decus sublatum mærent. Magnus bonis viris luctus obiectus; & nisi tu superesses, propè desperatio. Flagrans

vbique viri desiderium, multaque extinctæ virtutis commendatio per eam Vrbem, in qua densatis clarorum virorum funeribus, raræ inferijs laudationes adhibentur. Nam cum magnæ animæ quotidie oriantur, nullus fere sine laude denascitur, ipsaque laus ommittitur, quia publica. Ita muto funere compositus est, de quo omnis posteritas loquetur. Ipse quoque curis æger, orbitatis metu attonitus diu vocem amisi. Postquam luctus detumuit, inanis næniæ munera, ac tumuli superuacuos honores ad virtutum contemplationem transtuli, & in celeberrimo Orbis loco, Orbis totius iuventuti studia æmulanti, studiorum auspicijs ingentis animi imaginem veluti pro Rostris proposui, quam tenere, & exprimere moribus contenderent: & condito hoc eloquentiæ fulmine, sacrum Puteal erexi. Illud vero inscripsi tibi Cassiane præstantissime, non modo quod gentis eius, quæ tantum bonum terris edidit, princeps es, studijsque sapientiæ huius æwi clarissimus, sed quod solus lenire desiderium tam chari capitis potes, qui literarum tutela semper illi par, & effusa in doctos viros benignitate prope geminus fuisti. Magnum vtique seculi virtutibus non ita propitij solatium, atque ornamentum, duos ex eadem gente, eodem tempore, alterum Romæ alterum Venetijs, errantes Musas Musarumque cultores à fortunæ furore, atque ab inopia defendere: vtrumque exterarum quoque gentium studijs, ac veneratione celebrari, quarum pars magna duarum maximarum Vrbium visendarum studio Italiam peteret, Vrbes ipsas inuiseret propter vos duos. Nunc si ita loqui licet, alter Italiæ oculus erutus est. Quæ res nos omnes sollicitos habet, atque anxios, ne fortuna iterum in Virtutem peccet; quæ tamen nunquam inuidiæ nostræ par futura est, quod summi honores iuventæ tuæ destinati, serius expectatione obtigerint. Nisi perperam fortunæ crimen vocatur, quæ singularis animi tui in altitudinem sapientiæ conditi moderatio est. Sed de te, & de tuo hoc perpetuo de studijs, ac viris doctis bene merendi studio alias ex instituto. Interim mærentem animum ad firmitudinem reuoca, & in Francisci laudatione virtutes tuas cognosce, atque in gentilis encomio fruere fama tui. Sic tu raro tuos, te tui lugeant serò. Vale.

Patauij III. Idus Nouembris MDCLI.

DE

DE LAVDIBVS FRANCISCI PVTEI APVD Venetos Causarum Patroni. Prolusio XV.

VEreor ne absurdè, atque intempestiuè facere videar, si studiorum primordio, ipsisque anni literarij Kalendis, quibus cum solemni superûm precatione fauere linguis, hoc est bona verba fundere, votaque nuncupare mos est, funebrem laudationem tamquam Næniam exordiar, ac lætissima Musarum auspicia feralium attrectatione funestem. Sed cum Vir ille nobis dicendus veniat, qui Veneti Fori princeps, ac patronorum disertissimus ætate nostra habitus est, præterea laudandarum artium, atque omnis disciplinæ fautor, ac propagator generosissimus, cuius domus calamitosæ virtutis, ac profugarum literarum asylum, eruditorum Prytanæum, ac publieum Musarum hospitium celebrata est, non præter rem, tempusque ac locum facturus videor, si iuventutis flori ex terris omnibus delibato, si optimarum artium candidatis, & reliquis literarum cultoribus optimi Oratoris, nec tam causarum, quam literarum patroni simulacrum ad imitandū proponam. Puto ego vos de quo simus hodie dicturi intelligere, tristique imagine totam hanc scenam animo figurare, scilicet Francisci Putei, qui nuper literas, terrasque destituit, memoriæ parentaturos, quodque raro admodum vsurpatur, laudaturos mortuum. Facilius enim reperietis, qui viuos, ac videntes inuidiosis laudibus obruant, ac seruili ingenio nihil non de se credenti ignauiæ per Musarum dedecus gratificentur, quam qui fato functorum memoriam, vbi nullum obsequij pretium est, in longum extendat. Quamqnam mortuos etiam laudari desijsse, postquam laudanda facere desierimus, non est nostrorum temporum querela; quibus sæpe qui pessime vixit laudatur maxime, contra ij, qui rectè factis memoriam apud posteros meruerunt, nisi præ-

postera viuentium ambitio alieno funere inclarescere cupiat, silentur illacrimabiles. Est tamen adhuc, vt ait ille, curæ hominibus fides & officium; nec desunt hoc seculo qui defunctorum quoque amicos agant.

Ceterum præteritis annis hoc eodem in loco literarum auspicijs studiorum amœnitates captandæ, ac veluti bellaria delicatis mentibus conquirenda fuere, eaque esca concinnanda quam essent appetituri adolescentuli studiorum primordio nauseantes. Itaque per amæna Parnassi vireta, nemusue Elysium spatiati sumus, perque ambages, ac tormenta fabularum, Deorumque colloquia futuris laboribus prolusimus. Nunc alia nobis via insistenda est, tristis illa quidem, & desiderio tam chari capitis anxia, sed quæ nos ad eximiæ virtutis, seculi sordes atque ignauiam supergressæ, imitationem, memoria consiliorum & operum rectè perducat. Quanquam neque oratio nostra tota lugubris futura est, sed læta tristibus miscens, iucunda specie mœrentes animos excitabit, eloquentiæ illius commemoratione, cuius iucundissimum melos Senatum, forumque Venetum tot annos demulsit: ingentium opum eloquentia partarum, quantascumque capere possit priuata fortuna: liberalitatis quam explere vix queat regia: potentiæ ac gratiæ fructus vberrimi, & reliqua quorum recordatio adolescentum animos acrius accendat, quam verborum volubilitas & sententiarum strepitus inanis.

Duos ego homines Venetijs, in maximo præstantissimorum virorum prouentu vidi, omnique cultu, ac veneratione mihi propitiare contendi, siue occulto quodam genio, astrorumque consensu, siue virtutis miraculo, & ab illis amari, aut optaui, aut merui, Dominicum Molinum, & Franciscum Puteum, nascendi sorte, vitæque instituto, ipsa etiam ætate dispares, eloquentia, & literarum patrocinio prope geminos. Ille summo loco, summaque virtute, atque amplissima dignitate Aeternæ Reip. procuratione, tamque va-

sti

sti Imperij excubijs, in altissima specula pari animi ardore in libertatis custodiam, & literarum tutelam intentus, postquam consilijs, atque operibus Orbem fatigasset, ab clarissimis omnium gentium ingenijs, vni Molino fœtus suos nuncupantibus, tantum non adoratus est. Hic honestis quidem, sed priuatis natalibus, modica re familiari, à secundo ciuiū ordine alia via famam ingressus, breui forensis eloquentiæ principatum, immensas opes, florentissimam gratiam adeptus, magis illi similis, quam par, non tam clientibus quam literis aduocationem commodans, virtutis, ac fortunæ præmijs prodesse doctis, non tantum voluit, quam potuit, & quanto dignitate inferior, tanto illum effuso fouendis ingenijs patrimonio munificentia superauit. Sed grandem Molini animum, atque exaggeratas altius virtutes, totumque illud literarium Regnum, postquam ad superos recessit, iusto opere complexus sum, cui lucem hactenus altiores causæ inuiderunt: hodie alterius decora paucis delibare in exemplum constitui, clare professus, eum à me in nullius inuidiam prædicari, sicut omnem assentationis suspicionem auertet, quod fato functus laudatur ab eo, cuius libertatem sæpius, quam obsequium viuens expertus est.

Francisci Putei Iacobus parens Laude Pompeia vetere, & illustri Insubrium Colonia loco nobili editus est, gente vetustissima, quæ nunc per Italiam sparsa, Romæ, Mediolani, apud Pedemontanos, atque alibi magnis opibus, magnaque dignitate, ac clientelis efflorescit. Attrito bellis patrimonio, quæ per tot annos Insubriam miserè deuastarunt, Venetias se contulit, quodque ibi non indecorum habetur, amplam negotiationem nummariam instituit. Illic Franciscum ex honestissima matrona suscepit, captusque indole pueri non vulgari, erudiendum literis impensius curauit. Vir enim antiqui moris, & ab omni sordido lucro abhorrens, remque fraude, ac periurijs augere insuetus, videbat non magnas sibi opes sperandas, qui nunquam men-

tiri sustinuisset: itaque filio nobilius artificium prospexit. Vix enim ephebis egressum in Academiam Ticinensem ablegauit, Aesculapii sacris addictum, vt honestiore negotiatione familiæ opes compararet. Ibi ille neque à seculi, neque ab Academiæ more deflectens, ætate frui, rixis, & nocturnis discursationibus virilitatem auspicari, æstuque iuventæ, sed magis exemplo abreptus, tempus studiis dicatum, inter arma, atque amores diuidere. Verum vt erat ingenio ad omnia capacissimo, tempus ludicris voluptatibus vacuum, tanta cura audiendis medicis impendit, vt breui non obscuros progressus ediderit, iamque adolescens, ac pene puer artis eius lauream prensabat; cui si tota vita impendatur, longis experimentis non suffecturam, artis eiusdem parens pronunciauit. Cum repente muti, atque inglorii artificii pertæsus, fatis ad maiora vocantibus, quodque partibus,& factione discrimem capitis inter furentes adiret, præterea natura profusus, cum parentis liberalitatem, qui eum inter æquales honestissime alebat, exhauriens sumptus toti anno destinatos altero mense prodigeret, nouasque subinde pecunias flagitans domesticos obtunderet, in hanc Vrbem, atque, Academiam reuocatur, vt sub parentis oculis, si non modestius, at parcius viueret. Hic ille medicis vale dicens, ad Iurisprudentiam respexit, magis non aduersante patre, quam approbante, qui tot sumptibus fessus, atque inconstantia offensus, damnare studia incipiebat, & ad Kalendarium, sortesque, & nummorum fœturam filium reuocabat. At ille diuerso instituto, propitium nihilominus Mercurium habiturus erat, aliâque viâ visurus Puteal, & forum.

Interim nouæ Academiæ auctoratus locum magis mutauerat, quam mores, & cum nefas esse duceret non cum ceteris lasciuire, & lasciuiæ ferociam miscere, procaxque & ferro oneratus, nocturno strepitu Vrbem, diurno scholas impleret, nouoque Cupidine æstuans, etiam aleæ non nihil animi causa indulgeret, nihilominus acri imprimis, promptaque

natura,

natura, ac memoria supra fidem tenacissima, tantum biennio in Iuris scientia, ac politioribus literis profecit, ac si solita quinquennij curricula, nihil aliud agens emensus esset. Iam tum ille de proximo Venetum forum suspirabat, vt pro aridis disputationibus, tricisque, ac cauillis, solidam, ac virilem eloquentiam in maximis causis, in illo Imperij ac gloriæ domicilio bona fide exereret. Itaque laurea approperatur, in cuius experimento, vicisse omnes visus est, qui multos annos in eo studio contriuerant, quod humeris sæpius, quam capite parari creditur, moxque Venetias aduolat, sumptaque veste virili, pandentibus viam fatis, in forum deducitur, non illud modo, sed Italiam, sed exteras gentes nominis sui gloria repleturus.

Multa quidem Venetijs Romanæ maiestatis imitamenta miramur, sed nullum illustrius in oculos incurrit, quam Forum tergemini Quiritium, vna sede æmulum. Non dico insanas molium substructiones, marmoraque, & aurum parietibus illitum, fornices abscondens, postibus radians, non auro decertantia nobilium artificum ingenia, non sedem humani generis, si in vnum coeat capacem, sed Iudiciorum numerum, ac formam, sed tot penè Tribunalia, quot causæ, ac controuersiæ humanam vitam exercent. Vt non minus miraculum hoc exteris credatur, quam iactis in profundum molibus Vrbs pelago innatans, vndarum Regnum, Neptunus pedester, & continentis nauita, quam mare domibus peruium, domibus ipsis extremum orbem admouens. In hoc Foro Astræa Virgo, Virginis alterius comes, & soror, tot Oraculis responsa reddit, quot iudices sedent, breuique & compendiaria via secantur hic lites, quæ alibi feruntur in longum. Ipsa inquam Astræa, nõ de antri recessu sortes edit, non sub cortina murmurat, non per Pythiam profatur, sed ipsa coram deliberantibus respondet. Non Assyriorum ritu demersa tenebris maiestas, cubiculorum serie, ac longo superbiæ spectaculo supplices submouet, & per lentas inter-

pretum moras spes torquet, vota discruciat: sed principale fastigium de proximo adoratur, sed Patrum ora serena contueri ad satietatem, votaque coram numerare, sociare curas, miscere sermones populo quotidie licet. Ipsa Collegij adyta sanctissima, ipsum Imperij penetrale, ipsum libertatis, quæ nusquam & vbique est, Consistorium, vilissimo cuique patent, nullusque inde supplex, solum scelus, ac maculosum nefas arcetur. Ipsa Regibus vetustior nobilitas, quæ priuatis negotijs intenta, plebeio amictu turbæ immixta, sine vllo stipatore, ac ne servulo quidem Vrbem pererrat, ac publicum suum vt domos incolit: quoties Tribunal Ius reddit ura inscendit, non Prætorianorum custodia stipatur, non satellitio horret, non clamosa lictoris virga vallatur, sed patente porta, magisque pectore, salua maiestate communicatur vulgo. Vtque facilius adeatur, non in Curia modo, vastisque basilicis, sed in ipsis porticibus, in scalarum aditu, alloquio vacat: nec solio sublimis, ac subducta cancellis, truci supercilio precantes despectat, sed sede paulo humo subuecta, exiguo ligneo septo, interdum nullo, rarò vestis insignibus, semper virtute, ac maiestate discriminatur à populo, totosque dies, ac bonam noctium partem consulentibus sufficit. Nec sufficit modo, sed cum plures causæ, eæque longissimæ apud singula Tribunalia peragantur, & quatuor ferme patroni super eadem re audiantur, incredibile memoratu est, quanta tolerantia æternos clamores, irasque, & iurgia disceptantium, remque eandem sæpe ad rauim ingerentium, præcipue æstiuis caloribus fluente panno inclusa, ac sudore madens, interdum orationis ineptijs delassata, perduret, ac perferat.

Ipsa Iudiciorum ratio sicut libertatem, ita libertatis instrumentum eloquentiam sustentat, ac fouet. Postquam enim res Romana vnius seruitio pressa est, ars quoque dicendi in ordinem redacta, illaque liberarum Vrbium regnatrix, ac populorum arbitra eloquentia, successu temporis pragmaticis, ac Leguleijs cedere Regnum coacta est, diu-

que

que profuga, atque Orbis exul, fugientis libertatis comes, in hoc terrarum recessu, licet Latij iure spoliata antiquæ dignitatis fugitiuam memorim tuetur. Cum apud reliquas ferè gentes, quæ regnantur, Iudicia non orando, causasque agendo, sed tacitis libellis, tabulisque, & discrepantium opinionum congerie, sed inexplicabili auctorum nomenclatura, sed grandi codice, ac centesima pagina peragantur: & pro oratoribus actores, pro causidicis scribæ, pro aduocatis notarij irrepserint, ac pro viuida, & generosa eloquentia, inertes chartæ, multaque barbarie inculcatæ, Iudicum oculos, animumque fatigent. Magnum vtique seruitutis argumentum, ne supplicum quidem vocibus aures commodari, non humanis affectibus perrumpi, mortalium necessitatibus non interesse, non miscere sermones, sed surda prece verberari, Iusque, dum scripto redditur, soluere.

Heic vt omnium vita, ac sententia, ita Oratio maxime libera, præsensque est, vtque populus bona fide Iudicijs intersit, non alius à vernaculo Oratorum sermo, non diuersa magistratuum lingua, vt ipsi Romani natiuam exteræ prætulere, heic etiam optimo consilio, ne quantum Latino eloquio maiestati accederet, tantum deperiret libertati. Ita nec multis literis, nec profunda doctrina, atque ambitiosa eruditione opus semper est, cum ipsi plerumque Iudices (licet inter eos plurimi sint literis omnibus, ac disciplinis vsque in miraculum exculti) magna tamen pars Imperij ratione, ac regnandi artibus imbuti, literas nostras contemnant magis, quam nesciant, & consulere sapienter, quam argute disceptare malint. Scilicet optime constituta Rep. paucæ leges, non multæ legum interpretationes, & res antea iudicatæ. Par etiam ferme patronorum simplicitas, omnia in æquo, nec altior auditoribus orator; quanquam inter eos quoque non pauci numerentur, exquisita doctrina, & eloquentiæ gloria antiquis oratoribus nihil decessuri. Ceterum tot Iudicibus, tantaque orantium turba, vt facilius quando-

que ſit Aduocatum, quam clientem inuenire, totam iudiciorum cauſarumque formam, atque ordinem admirabilem difficile eſt cogitatione aſſequi, ne dicam oratione percenſere. Neque id inſtituti noſtri ratio patitur, & ſummi viri ante nos cuncta accuratè perſequuti ſunt.

In hunc ergo locum, nam inde oratio noſtra defluxerat, deductus eſt Franciſcus Puteus, forenſia ſtipendia auſpicaturus. Qui iuvenis licet, & obſcurus, non tamen aliorum more minoribus Tribunalibus adrependo, tenuiorum clientium patrocinio, paulatim in cognitionem venire, ſed repente inclareſcere, & principibus patronis adnumerari cæpit. Neminem ego mortalium noui, qui plus naturæ ſuæ deberet, vt quod de poetis dicitur, hic orator natus ſit. Tanta ingenij celeritas, dexteritaſque inerat, tam profunda memoria, tanta vrbanitas, ac facetiarum lepos, & reliqua fortuita quidem, ſed oratori neceſſaria: laterum firmitas quanta totos dies declamanti ſufficeret: vox tam ſtrenua, & canora, vt à remotis quoque tribunalibus, & alienæ cauſæ ſpectatoribus audiretur ſimul, & in aliorum contumeliam laudaretur: tanta oris dignitas, rectaque corporis proceritas, antequam eam articulorum ægritudo diſtorqueret: tantus denique actionis decor, vt non multis poſt tirocinium annis nulla maior cauſa ſine illo ageretur, & cum quater, ac quinquies in die peroraret, ſemper vegetus, ac recens, & expoſceretur certatim, & audiretur auidiſſime, & expectationem quotidie anteiret. Neque tamen, quod mirum eſt, ille longas noctes commentando, actiſque peruolutandis eximebat, quod illi faciunt, qui naturam nouercam ſortiti ſunt, ſed magno occupationum æſtu, tempus illi ſupererat, quod inter amicos ſuauiſſime poneret, & interdum plus vini, quam olei conſumebat.

Quare cum ingens viri gloria æmulorum oculos vreret, quo clientes abducerent, ita dictitabant, nunquam eum, aut raro litis commentaria perlegere, ſed felici temeritate, lingua

gua facili, & expedita, fabulisque, ac facetijs Iudicibus imponere. Miseros homines, & ipsa malignitate ieiunos, qui vix decem diebus se causæ accingerent, grandiaque minati, cum è schola cantilenam attulissent, vagis clamoribus, atque orationis macie, dicendi initio tanquam caballus in cliuo deficerent. Si eloquentiæ effectus auditorum approbatio est, nemo nostri facundiam æquauerit, qui à tabulis imparatus, neque nocte inter libellos exacta, plures palmas quam dies, ne dicam horas numerabat, & extemporanea illa felicitate, abundanti doctrina, & incredibili varietate, ac copia, adeo se causæ peritum ostendebat, quasi in eius meditatione mensem impendisset. Percurrebat ille quidem acta, & litis commentarios, sed tanta velocitate, inania quæque, ac superuacua transmittens, vt in vertendis paginis ludere videretur, vixque manũ oculi sequerentur: cum interim profunda mente, ac prodigiosa memoria causam coqueret, & ad dicẽdum surgens, tanquam alienato à sensibus animo, quod de Vlysse Homerus prodit, effusa verborum procella; & glomeratis sententijs, non aduersarios modo, sed Iudices rei miraculo obstupefaceret. Memini ipse cum breui itinere domo in forum cymba vectaremur, quod hospitum officio districtus minus nocte commentari potuisset, magnos libellorum fasces è sacculo depromsisse, atque incredibili celeritate peruolutasse omnes, capitibusque in summarium graphide relatis, non compotem modo causæ factum, sed cuncta suffragia tulisse. Quod sum dicturus vix fidem inueniret, nisi tot superessent, qui illud oculis vsurparunt. Interdum eueniebat, ne dicam sæpe, vt tum causam noscere inciperet, cum aduersarius ageret, eiusque orationis capita, atque argumenta notis exciperet, ac veluti post longam meditationem breui, & acuto responso, totum illum apparatum, ac noctium vigilias disturbaret.

Sed in quo paucos pares, neminem superiorem habuit, liberales ioci fuere, promptique sales, & innoxia vrbanitas,

qui-

quibus solis dicerem, quod de oratorum principe traditum est, illum sæpe causam obtinuisse, nisi Venetorum Iudicum sanctitas id credere prohiberet, Natura, quæ totum hoc sibi negotium vindicat, egregie factus ad hanc rem, & poetarum lectione instructus, tanto acuminum lepore, tanta dictorum dulcedine animos alliciebat, vt mirabiles ad eum audiẽdum quotidie concursus fierent, nec forensis modo concio, & tunicatus populus dicenti circumfunderetur, sed præter exteros, etiam matronæ honestissimæ, & ipse sexus publico abstinens, tenere se domi nesciret, sed Saturnalium licentia personatus adsisteret, nec tacito plausu, atque erumpente gaudio, Theatro concionem anteponeret. Quantum causæ heic siue naturæ lætioris impetus, siue dicendi artificium prodesset, ne aduersarij quidem dissimulare potuerunt, cum non sine rubore, atque indignatione, non semel grauissima rationum momenta leui ioco, atque inexpectato acumine eludi, totque labores, ac contentiones veluti diflari viderent. Adnotatum ab ijs est, quibus ista contendere otium fuit, tanto Iudicum fauore audiri solitum, vt quoties ad dicendum procederet, etiam antequam fari inciperet, seuera Iudicum ora, fronsque constricta repente in lætitiam flecteretur, & benigno risu solueretur vel inuita. Sic occulta fauoris anticipatione, ante beneuolos Iudices reddiderat, quam alloqueretur, quod quantum dicturo proficeret facile intelligit, qui non ignorat, libenter nos illis credere, quos amamus. Ita post longissimas causarum disceptationes, diemque æstiuam altercatione absumtam, languentibus cunctis, nec tam æstu, quam tædio anhelantibus, quoties noster ad dicendum ingrederetur, veluti si lenior aura æstuantibus adflasset, illico respirabant, atque absterso moræ tædio, ad audiendum alacres renouabantur.

Hæc Oratori nostro, Adolescentes optimi, immensam gloriam, magnasque opes, & si in auarum incidissent etiam inuidiosas circundederunt. Nemo peregrinam puppim ad

hæc

hæc litora vertebat, crebro orbis ad pulsu ad locorum miracula, atque amœnitatem, qui non illico ad Puteum audiendum accederet, immo aliqui propter ipsum huc iter suscipiebant. Nec plebeij modo, atque obscuri hospites, sed Principes, sed magna purpurati Senatus capita, sed Cæsaris, Regumque Legati, inter Vrbis visenda Puteum numerabant. Qui licet indissimulationem sui compositi priuato cultu concioni interessent, latere tamen non poterant, vt enim ille ingenium in numerato habebat, semper aliquid ex tempore inserebat, quo se tantum honorem agnoscere fateretur.

Opes autem tantas congessit, quantas vel auidus improbe optasset: quantas tot annorum effusa benignitas, ne dicam profusio, ægre conficere potuit. Quid autem dico congessit? Spectauit tantum, non possedit, cum eadem laude qua parauerat, in Vrbis splendorem, in voluptates honestas, in amicorum subsidium profunderentur. Profecto si Rex ille natus esset, sicuti Regium animum illi natura indulserat, breui Regias opes absumsisset, non quidem insano luxu, vt plerique bona sua haurientium, sed erudita liberalitate.

Aedes amplissimas Regio penè paratu instruxerat: ingens mensis argentum, auro, & purpura cuncta renidebāt, pictarum tabularum pretium auri, & purpuræ fulgorem obscurabat. Dolebant oculi ijs, qui illuc parum amico animo intrabant. Neque tamen id ostentandis per vanitatem opibus, sed hospitibus excipiendis, qui ex orbe toto in hoc munificentiæ diuersorium, in hanc benignitatis officinam confluebant. Præcipue viri docti, quos antiquissimum virtutis patrimonium paupertas comitaretur, laceri, ac pannosi, benigne suscepti, exquisitis dapibus, auratis conopæis, conchyliatis stragulis, vix fortunam suam agnoscebant: quotidie per vrbem domestica cymba vectabantur, demum indiscessu noua veste, nummisque in viaticum donati, reuecti

cti ad suos referebant, multa se quidem Venetiis prodigia vidisse, nullum Francisco Puteo maius, & publice oculos, priuatim etiam cupiditatem explesse. Eos, quos nunquam viderat, modo literarum nomine censerentur, etiam in remotissimis partibus degentes vltro literis ad familiaritatis iura prouocabat, nec verbis modo, quorum vilis annona heic est, demerebat, sed iis ad sacerdotia, ad publice docendi munus valida apud Gymnasii Curatores commẽdatione suffragabatur, atque inuidiosis stipendiorum incrementis ditandos curabat. Et vt erat artis eius, qua præcellebat in aliis eximius admirator, Concionatorum veluti delectum habebat, in eius manu sacri suggestus erant, quemcumque ille produxerat, præter maxima emolumenta, Vrbis concursu frequentabatur. Tam proiecta in hoc genus hominum benignitate, vt quosdam siue immerito, siue aliqua culpa sacrarum familiarum emansores, tamdiu sustentaret, donec, aut reconciliarentur, aut in alium cœtum ipso adnitente transcriberentur.

Ceterum non priuatos modo excipere tecto gaudebat, sed ipsis Principibus, Principumque legatis loca lautia præbebat, omnique cultu, ac liberalitate animosissime lacessebat. Recens adhuc memoria esset, nisi nouis munificentiæ exemplis obscuraretur viri nobilissimi ab Hispaniarum Infante ad Remp. legati, quem conuiuio, quasi cum publica liberalitate certaret, excepit, in quo post illatum mensis quidquid terra, marique vel cum periculo paratur, sola bellaria quadringentis aureis stetisse satis constat. Nec multo post alterum qui sese Regis Abyssinorum cognatum ferebat, neque viri facies discrepabat, vbi diu sustentasset, ab opulentis amicis, ac mercatoribus magnam pecuniæ summam, in symbolam contraxit, & discessuro obtulit, quam ille hoc vno se Regio sanguine ortum testatus, generose repudiauit. Quos ad hospitium pellicere non poterat, pretiosissimis xenijs cumulabat. Vt alias nationes omittam, Insubriæ

subriæ

subriæ proceres appello, qui quotannis ad desponsati maris solemnia, magna frequentia confluunt, an aliquis vnquam eorum indonatus abierit? Cum non pauci, aut morbo, alioue casu deprehensi, aut patria extorres, heic veluti apud suos mollissime procurarentur. Nec profusus modo muneribus, sed ingeniosus quoque erat. Vasa murrhina, & crystallina, vestes auro picturatas, sacchari scitamenta in mille figuras effigiata, semper nobile aliquod, atque eruditum argumentum habebant, semper muneri verbis pretium addebatur.

Quanto ipse largiendo promtior, tanto durior cum amicos in iudicio tueretur aduersus munera habebatur. Vir Gallicæ nobilitatis princeps, in Veneto exercitu externi equitatus ductor, eius patrocinio in causa grauissima feliciter vsus, nunquam impetrare potuit, vt aliquid ab se eo nomine acciperet. Mittit duas pateras argenteas magni ponderis, iubetque ipsi ita dici, munus illud ab Domina venire, non esse viri nobilis illustrium matronarum dona repudiare. Accipit ille, moxque duos breuioris formæ rotatos sclopos, mirabili artificio Brixiæ confectos deferri iubet, munerique adscribit: Patronorum auaritiæ argentum, militari virtuti ferrum deberi. Alter olim sacrorum in hac Vrbe Antistes, vir & ipse notæ liberalitatis, qua pene patriam rem confregit, eius aduocatione in pluribus caulis defensus, in magno rubore erat, quod amicum clausum, atque obseptum aduersus suam generositatem videbat. Hoc consilium expugnandæ eius constantiæ inijt. Christi seruatoris de cruce pendentis argenteam imaginem, non tam magnitudine, quam opere vermiculato, sigillisque anagliphis visendam, cupressina theca inclusam mittit, adijcitque credere se, virum expertæ pietatis, Seruatoris effigien, salutis instrumentum vltro suscepturum: Suscepit ille eo animo, quo se nunquam beneficijs à quoquam superari passus est. Nec multo post lineam vestem sacrificantium ex tenuissima carbaso acu pictam, institisque, ac fimbrijs Belgicis artificiose

ela-

elaboratam ferendam curat, his mandatis: eam vxoris manibus confectam, munus ne recusaret, sed respiceret à qua, & in quam rem mitteretur. Citius ego narrando ista, quam ille largiendo defatigarer. Magnus Reipub. Cancellarius & ipse non vnum nomen apud eum dispungere sæpe frustra tentauerat. Cum domo abesset, mittit grandia dona, quæ ibi relinquerentur. Venit domum, ipsumque munus, erat pollubrum argenteum cum catino, intra cistam pistacijs obruit, cistamque remittit, adiecta cistæ schedula, in qua erat scriptum: Osculum vi illatum, si despueretur, nemini probro esse debere.

Transire heic cogor, ne luxui patrocinari videar, cœnas eius non tantum Venetijs decantatas; præcipue epulum solemne anniuersarium, quo dierum saturnalium liberrimo (Iouialem, & Adipalem gulæ proceres vocant) principes fori patronos, & cum his forensium operarum turbam excipiebat, vt quorum aures oratione, palatum quoque lautissimis epulis deleniret. Nec tamen deerant, vt ferme inter æquales obtrectatio viget, qui totum illum apparatum obliquè spectarent, & occulto liuore conuiuij magistrum adspergerent; arriderent simul, famamque, & epulas arroderent, quæque alia sunt togatorum etiam extra forum latrocinia. Certe non semel deferente conuiua sumptuarijs legibus interrogatus est. In hoc censuram fortasse meritus, quod non contentus sola ferinâ, atque exotica alite, quasi cicurum missus plebeium saperent, lances distendere, & peregrina odoramenta epulis infundere, solis ostreis, ac tuberibus epulas interpolantibus, quæ nunc vulgares delitiæ habentur; Cum die, qua esus carnium Ecclesiæ legibus interdictus est conuiuium parasset, neque summates viros adhibuisset, quasi opibus, ac naturæ ipsi illuderet, in medio mari, inter squammosum pecus, solo fluuiatili pisce pretiosissimo per citatos equos, ac celerem lembum aducto mensas onerauit, cum interim nullum vinum maris expers poneretur,

tur, Creticoque, ac Cyprio conuiuæ inundarentur. Reliquis diebus frugalior erat, nisi quod nunquam, aut raro solus cœnitare consueuerat, tumque se diem perdidisse credebat, cum nulli amicorum condixisset. Nullus memoria nostra plures vmbras aluit. Neque tamen hinc eum aliquis nepotem, ac gurgitem arbitretur. Præter insitum natura mortales demerendi studium, hoc vno leuamento infinitum forensium rerum laborem mulcebat: & cum totos dies agēdo delassaretur, domumque regressus frangeretur crebro consultore, Catonis exemplo publicas curas mero laxabat, & dulcissimis fabulis inter pocula soluebatur.

Sed nullum hominum genus æque eius liberalitatis fructus expertum est, ac cantores, citharœdi, lyristæ, symphoniaci, aulœdi, & quicunque aurium voluptati lenocinantur. In hos effusissimus consumsisse munificentiam, seque ipsum superasse visus est. Natura enim huic studio addictus, non contentus in Templis, ac Theatris eos audire, artis peritissimos magnis congiariis domum conuocabat, vbi modo assa voce, modo adhibitis fidibus, atque omni Musicorum tormētorum genere, modo alternantibus choris, quale cœlestium orbium melos esse creditur, iucundissima modulatio aures, atque animos rapiebat. Ac ne solus tanto bono frueretur, populum talium auidum admittebat. Ita laxissima aula vndantis plebis agmine arctata, vix aditus patebat Vrbis proceribus, exterisque principibus, qui trina Theatra diuino concentu personātia, huic veluti Syrenum concordiæ donabant. Et quamuis horum hominum, qui vocem vendunt, auida ingenia, ac morosa esse soleant, ipsorum cupiditati explendæ sufficiebat, non eorum modo qui cantu lætam Vrbem faciunt, sed exterorum quoque, quorū eximii vel lucri causa huc conuolabant, vel ab ipso ex vltima Sarmatia, à Cæsaris, Regumque comitatu insanis sumptibus arcessebantur. Hos domo exceptos non quæsitissimis modo dapibus, quarū auida gens est, atque omni ganeæ paratu saginabat, sed nouo cultu, au-

reis-

reisque torquibus donabat, quosdam cum tota familia plures menses opipare aluit, non paucis equestrem dignitatem à Principe impetrauit.

Sed vnde illi tot opes, ac sumtus, quales Regiam gazam, ac principale ærarium facile exhaurirent? Vnius eloquentiæ, laborisque forensis fructus fuere, excessuri vtique priuatum modum, nisi ex transuerso fortuna incurrisset, atque in pœnam vitæ lautioris, membris captum, per tot annos lecto affixisset. Quo tempore ille podagræ torturam, pedesque carnifices, atque indignissimos cruciatus constantissime tulit, & licet clientes parcius porrigerent, quasi ipsos chiragra occupasset, diu tamen de assueta liberalitate remisit nihil. Quod argumento est immensum quid, atque incredibile causarum pretio meruisse; quod scilicet per sexdecim annorum ferias, ac veluti iustitium, non domesticis modo sumtibus, sed effusæ munificentiæ satis esse posset. Constat eum, & nos aduersaria inspeximus, cum ætate, ac valetudine floreret, quinque annorum spatio sexaginta aureorum millia comparasse: vt si quis reliquæ ætatis summam, ineat facile intelligat, & illum sexagies H S. siue centum & quinquaginta millia, sicut facūdiæ accepta, ita generositati expensa tulisse. Ceterum decrescente quotidie quæstu, nec satis vnquam castigato luxu, non longe aberat, vt parcus, & frugi vel ingratiis esset. Cum mors interuenit, ac fortunæ pudorem absoluit, ne eum pauperem videret, qui magnam mortalium partem locupletauerat. Sic ille, veluti cum fatis computasset, donandi modum iisdem, ac vitæ terminis circumscripsit, quique benignitatem non in testamentum distulerat, sed viuens veluti cuncta legauerat, pene non inuenit heredem, peneque periit antequam moreretur: immo supremum hunc actum sola liberalitate clausit. Nam cum nihil liberorum genuisset, quod illi de tot annorum munificentia supererat, inter carissimos moriens diuisit, vereque vsurpare potuit vetus illud, nihil sibi reliquum fecisse quod vltra largiretur, nisi quis cœlum

di-

diuidere vellet, aut cœnum.

Et nunc ille felix tot annorum cruciatibus absolutus, atque ea demum cura leuatus, nihil sibi superesse quod donaret, subleuatis tot egentium millibus, æternæ vitæ compos, inauditæ liberalitatis præmia refert: & si quis extinctis harum rerum sensus est, fortasse non indignatur ab charissimo quondam rudi, & incondita voce laudes suas componi. At nos inuiti superstites immature ereptum querimur, & inconsolabiliter deploramus. Luget Venetum forum, quod quasi Theatrum illius ingenij fuit, eius iucundissima voce spoliatum, atque orbatum: mœrent clientium agmina tanto patrocinio destituta: squalent Tribunalia, parietes ipsi tristari videntur: docti viri, atque omne genus artifices in eius funere animam agunt. Me omnium infelicissimum, quem ille tot beneficijs obruerat, vt victurus, ac moriturus essem ingratus, nisi pro benefactis exiguum hoc verborum officium persoluerem. Sed si quid literulæ nostræ possunt, viuet diu Francisci Putei nomen, & vltimas quoque gentes adibit, tumque memorabitur, cum stultorum diuitum sepulchra, altaque Regum trophæa vltima dies obtriuerit. Sed fallimur, & nos amabilis ludit insania. Non diu durabunt hæ literæ, & cum tot scriptorum ineptijs Paduam morientur ad ipsam. At nos tamquam victuras scripsimus, & voto saltem, amico, & hospiti immortalitatem largiti sumus. Dixi.

CAROLO CARDINALI BARBERINO VRBIS Præfecto Principi Iuventutis Octauius Ferrarius Felicitatem.

PVrpuratorum Eminentissime. Hoc vnum Patauij laudibus, ac felicitati deerat, vt Tu eam studiorum sedem optares, sicut olim iuvenis alter fortunæ tuæ, Orbis Imperio destinatus, regnante

auunculo, Apolloniam pratulerat. Vt Vrbs hac Roma tua cognata, atque æmula, hac etiam parte nequaquam illi concederet, & natales tuos iactanti institutionem opponeret, vt illic magnus nascereris, hic fieres. Tu quidem ab ipso ortu in hoc decus rapiebare: in Regia quam sacrorum, tam ingeniorum editus: cum non gentilitiæ modo Apes eloquentiæ præsagia cunabulis circumfunderentur: sed hinc te magnus patruus idem mortalium, ac poetarum summus excitaret: inde stimulos adderet patruus alter, cui Imperij onus incumbebat, illo quidem haud inferior, sed cohibente vires & ingenium pudore, ita in altitudinem sapientiæ conditus, vt tamen nunquam eum ab institutis studijs deflexerit cura terrarum.

Sed postquam Pontificum maximus Cælo additus est, fortuna tantisper hæsitauit; domusque vestra aulæ lubrico, & Regnorum aduersis conflictata est, vt clarior exsurgeret. Interim Tu magnæ spem alteram Romæ secutus in Galliam, genti ingeniorum feracissimæ indolem diu, mox huic Vrbi etiam virtutem adprobasti. Sed præceps id, ac fugitiuum gaudium fuit, quando superi hoc bonum nobis modò ostenderunt, vt eius desiderium acrius accenderent: Tuque in transcursu has terras beasti, veluti inusitatus cæli fulgor, qui quo momento emicat, oculos mortalium præstringit, & conditur. Breui tamen mora longi temporis fidem explesti, non obscuris indicijs qualis tunc esses, & quantus mox futurus. Votis populorum, atque vrbium, quas adisti gratulationibus par; neque vltra: idem comis, ac placidus, & solo adspectu fortunam tuam circumferens. Sed vitæ interioris, ac Musarum secreto venerabilior, cetera profusus, solius temporis parcus, & diem officijs, ac magnæ fortunæ meditamentis ducens, noctes tibi vendicans totas, & cum somno valetudinem computans. Raro in publicum egressu, quoties prodires cingentibus latera optimo quoque, ac doctissimo prouincialium, fatentibus omnibus, non attulisse Te in Academiam sapientiæ rudimenta, sed altius literis imbutum, neque in ostentationem.

Verum maior erat felicitas nostra, quam vt eam capere possemus. Desiderium tui ferre diutius Roma non poterat: haud æquo tolerans animo, Præfectum abesse, quem olim solum discedentibus Latinarum

causa

causa cunctis magistratibus retinere consueuerat, hocque fortunæ depositum municipali secessu delitescere querebatur. Annuit votis omnium Romanus pater, ac mundi rector. Purpura approperatur, iam quater non totis tricenalibus, cum sacrorum Imperio in vnam domum inuecta. Eaque serior destinatione uisa est. Sed quod titulis omnibus præfulget, sequestro atque obside, coalitæ procerum mentes, mixtus sanguis, sed magis animi, spes noua, ac sacro tædæ fœdere Orbis pax sancita.

Itaque discessu tuo hac Vrbs ingemuit, acrius Academia, quæ non tam fortunam tuam iactabat, quam exemplum. Non leui tamen solatio, quod si vel vna die hæc mœnia dignatus esses, facturus eras locum,

quem cuncta reuisant
Secula, quem veniens hospes Romanus adoret.

Sors tamen vltima mea est, quem id temporis matris interitu funesta domus, in patriam auocauerat. Itaque quod tibi præsenti deferre obsequium non potui, huic scripto delegare ausus sum, & tibi Patauium, Athenas tuas, castos penates, breue Musarum diuersorium offerre, gratiore vtique cultu, postquam vestra domus Venetæ maiestati innexa est, Apesque vt sic dicam Adriaco Leoni fauos immulsere. Simul non vnius Vrbis, sed tot populorum, qui heic studia æmulantur, in vnum vota coniungere, vt literas alio fugientes sistas, ac sub Imperij tutelam recipias: ingenia producas, ac foueas, quibus vnis vos Principes obliuioni exempti posteris noscitamini. Idque per memoriam Vrbani, per Francisci genium oratus: vt dum patruo rerum summam Orbis vouet, Te in iuventa, non Vrbis modo, sed morum, sed literarum PRAEFECTVM veneretur. Vale.

Patauij Nonis Decembribus MDCLIII.

ATHENÆ ITALICÆ.
Prolusio XVI.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem,
Aut Ephesum, bimarisue Corinthi
Mænia: vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus vnum opus est intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Vndique decerptæ frondi præponere oliuam.

Has funebres laudationes, ac verè nænias licet appellare: quando maximis ac potentissimis vrbibus suprema dies incubuit, vt funditus interirent, & aut senio ac magnitudine sua victæ in se ruerent, vastisq; ruderibus obrutæ rerum humanarum spectaculum præberent: aut hostili aratro deletæ, altisque cineribus consepultæ, saxa etiam lapidesque mori testarentur. Et aliarum quidem velut alta cadauera ingenti situ prioris fortunæ minas spirantia, in inuidiam iniuria temporum reliquit: multarum ne vestigià quidem supersunt, in loco vbi fuere quæruntur, ipsæ periere ruinæ. Ita ex tot vrbibus, quas sibi celebrandas sublimia vatum ora in certamen sumpsere, nullam, aut conditores superi, aut arma extremo orbi admota, consitus frugibus, cultuque mitigatus orbis, aut iura gentibus reddita, ingeniorum artisue miracula, aut demum Deorum natales, ac sepulchra, vindicare ab interitu potuerunt. Vt inauspicatus, atque irritus labor videatur, tantarum vrbium sepulchris assidere, in Græcia Græciam quærere, mediisque Athenis, nihil Athenarum reperire, inuidiam superis, eodem tumulo obrutis literis, ac disciplinis lessum facere.

Præstat igitur anni literarij redeuntis auspicijs conuersa Numina, atque illatas Hesperiæ cum Phrygijs penatibus Atticas

ticas oleas: geminæ originis Palladium his sedibus conditum: coalitam ex victis ac victoribus vrbem: Græcos Troianis immixtos: translata Mineruæ sacraria: redditum ingenijs cultum: ingenia vrbi communicata percensere, vtque omnia vno verbo complectar, renatas his mœnibus, florentesque Italiæ Athenas meritissimo plausu nec tacita veneratione complecti. Neque tamen dicendi initio multum mihi laborandum video in vrbis huius natalibus altiùs exequendis, nec præfanda vetustatis venia, concesso etiam magnis scriptoribus iure, vt miscendo falsa veris splendide mentiẽtes, primordia vrbium augustiora reddant. Non Tros, ac Dardanus, Ilusque, & Assaracus, & cognata sideribus origo, totusque Iupiter in partem generis adscitus: non Samothracũ initia, & alibi nusquam magni Dij, non muniendæ vrbis opifices superi, mortalium amplexus procantes Deæ, rapti Reges, aut redditi: non domus Divum Ilion, decennij laboribus par: non tractum in partes cœlum, & numinum bella ciuilia: non quicquid demum Græci vates in hostibus laudare coacti sunt.

Sit vnum interim antiquitatis argumentum, Romana origine vetustiorem esse hanc gentem, sicut conditoris sanctitate præstat. Antenor enim nequaquam mediis elapsus Achiuis, sed vltro ab hostibus cum tota domo seruatus, ac dimissus vetusto iure hospitij, iustitiæque ac fidei miraculo, cum solus inter furentes Lacænæ raptum, atque inconcessos hymenæos detestatus esset, eiusque reddendæ, vel cum periculo, non semel auctor fuisset, & ne violatis legatis ius gẽtium læderetur obstitisset. Hic ergo vel ipsa teste Aeneadũ non casta parente, multo ante hanc vrbem statuerat, sedesque Teucrorum locauerat, quam alter Troianæ gentis ductor, magis propitios vates in gratiam Cæsarum nactus, cũ vndis ac fato luctaretur, Danaumque, ac sæuæ tempestatis reliquias per omnia maria vectans, fracta classe nudus & exspes, ira Numinum longe Latio arceretur. Iam stabant hæc

mœnia, iam mœnia populus impleuerat, cum Hesperium solum, & futura Roma dumetis obsita squaleret, arxque Tarpeia siluis tegeretur: septem colles, iura gentibus daturos, consitos mapalibus, insessos gregibus, nudum Capitolij saxum, nunc aurea tecta, peregrinus Albula, olim Oceano nõ decessurus, tacitus atque inhonorus influeret. Heic Troia resurgebat, cum pius Aeneas, magnus orbis exul, pauperis Euandri limina fatigabat,

passimque armenta videbat
Romanoque foro, & latis mugire carinis.

Alta pace compositus quiescebat Antenor, & nondum lupæ nutricis lacte Martis mœnia creuerant, aut fraterno sanguine maduerant: nondum scelerum asylum & aduena colluvies: nondum rapta connubia, & finitimorum iniuria productum pomærium. Ergo & pius magis Antenor, & Diis acceptior, quorum neminem tam longa expeditione iratum sensit, & fauentes omnes in condenda vrbe expertus est. Vrbs ipsa altera longe vetustior, quæ cæteris vrbibus caput extulit.

Sed hæc omnia donare parati sumus. Non enim multum de vetustate originis sollicita vrbs esse debet, quæ recenti laude, nouisque gloriæ incrementis quotidie famam sibi conficit. Vetus memoria senium est, nisi egregiis factis renouetur. Maiorum laus res aliena existimatur: & sicut hominum, ita vrbium nobilitas virtus est sola. Antiquissimam esse hanc vrbem, in non magno pretio ponimus: validissimam olim fuisse, & nunc Venetæ potentiæ partem esse, non maximam laudem ducimus: sed ingentium animarum, atque illustrium ingeniorum feracissimam, disciplinarumque omniũm veluti Templum semper fuisse, hocque vno, quod eius laudum cõplementum est, reliquas vrbes anteire contendimus. Itaque quo liberales magis videamur, vrbis ipsius pulcherrimę situm, qui solus exercere ingenium, atque orationis spatiũ explere posset, sicut aduenarum mentes atque oculos dul-

cis-

cissima imagine percellit, leuiter transmittemus.

Vt diuino consilio Antenor condendæ vrbi locum delegerit, cœlo non indigenis modo, sed exteris omnibus saluberrimo, diffusa latè planitie, nisi quantum eam modici colles, & viridantium tumulorum supercilia clementer attollunt: quæ purissimi solis radios excipiens, vbere glebæ fruges omnis generis non in vitæ modò vsum, sed in delitias effundit. Vrbem nec mari proximam, ne externarum classium periculis, ac prædonum incursu exposita esset, aut transmarinis moribus inficeretur: neque ita pelago submotam, vt subuectionum, atque euectionum commodo priuaretur. Duobus magnis fluminibus septam, an coronatam: quorum altero, qua Medoaci ripas Veneta prætoria educta cœlo prætexunt, & mille substructionum formis, artificumque ingenijs vna sub vndis imagine ludunt, veluti perpetuo suburbio cognatæ vrbi iungitur, qua vrbe nullam pulchriorem, aut sanctiorem sol videt: altero mediterraneis vrbibus miscetur, opesque importat, aut excipit. Quid natiuæ nobilitatis Euganeos colles, vatibus decantatos, memorem, iugaq; olea ac pampinis redimita, Bacchi sacra, dulce nectar, & laudatiores proximæ vrbis confinio vindemias? Quid naturæ æstuantis miracula, tepentes Aponi fontes, Baiarum æmulos, medicatos latices, & calentibus venis semper salutares humano generi vndarum scaturigines, ingenuas balneas, æstuantia sine igne solia, fumiferos campos, nec semper crudam Virginem, innatas calentibus stagnis virentes herbas, & rerum vilissimam partem lutum, salutis pretio æstimatum? Adiectum Apono Geryonis oraculum, & salubribus proximas fatidicas lymphas, ac mundi clade firmatam Patauini Auguris fidem? Hæc & alia præterire cogimur, sicut quæ de vrbis magnitudine, ac viribus magnis scriptoribus prodita sunt: qui eam Transpadanæ regionis vrbium præstantissimã appellant, in qua sola per Italiam quingenti equestris ordinis censi sint, cum minimus equitum census quadringenta

essent, id est decem aureorum millia. Præterea quod vix fidem hac solitudine inuenit, centum & viginti mortalium millia in bellum antiquitus mittere solitam: quam exercitus summam ægre duo maximi Reges hodie confecerint. Quæ vt magna sunt, solaque Patauium maximis vrbibus æquare aut anteferre possunt: ita non multum animum meum morantur, nec cupidas aures vestras diutius detinere debent. Huc potiùs quisque vestrum intendat, & ad seria virtutisque opus conuertatur, facile intellecturus hæc leuia esse, si cum ijs, quæ deinceps dicturus sum, componantur. Vnum enim mihi consilium est, non longo sermone ostendere, magnorū virorum, scriptorumque prouentu, sparsisque per orbem artibus, ac disciplinis, studiorum merito nullam vrbem, si veteres Athenas demamus, quæ huc commigrarunt, nec ipsam orbis Dominam descendere in certamen cum hac nostra, aut debere, aut posse.

Nam si literarum proceres, & victura æternum nomina citemus ad censum, plures vrbes ne dicam prouincias reperiemus, quæ ne vnum quidem scriptorem in hoc immortalitatis album referre possint, paucas admodum quæ vno aut altero censeantur. Romani maximus auctor eloquij Roma procul editus est: Diuinum Maronis ingenium vrbs in vicino terris commodauit: Horatium Venusia Quiritibus dedit: Crispum Sabini vindicant: Ingeniorum compendium Ouidium Peligni iactant: e Comicorum Principibus alter ne Italus quidem est, alter in Vmbria natus: eadem tellus Propertij ingenio tumefacta superbit: Catullum, & Plinium, duo literarum miracula Verona ostentat. Novum Comum altero Plinio se circumspicit, de altero Veronæ controuersiam mouet; & vt extra Italiam Italiæ decora quæramus, duos Senecas, vnicumque Lucanum facunda loquitur Corduba: Martialem Bilbilis Romano nomini inserit: Neapolim Italicus nobilitat: Aquinum Iuvenale, Volaterræ Persio celebrantur: Claudiano Aegyptus gloriatur. Quid literarius

or-

orbis Patauio debet? Eiusdem Hispani vatis sententia est.

Censetur Apona Liuio suo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus.

Quanquam ille, nec Asconium, nec alios nominauit, quibus literatorum cœtus assurgit. Italicarum vrbium nulla plura terris ingenia dedit: sed quatuor præcipuè seculorum memoriam meruere: Pedianus, Stella, Flaccus, & omnium instar Liuius. Nam licet ex Pediani scriptis pauca admodum, nihil ex Stellæ carminibus iniuria vetustatis reliquum fecerit, illum tamen ætatis suæ eruditissimum fuisse, & Latinitatis gloria summis scriptoribus proximum in confesso est. Arruntii autem columbam, Catulli passeri præferre audet Martialis, & eiusdem cum Hiantide nuptias lepido carmine ad cœlum vocat, in quo socium habet sublimis ingenii vatem Papinium, qui labores suos Stellæ nuncupans iuuenem optimum, & in studijs eminentissimum appellat. At Valerius Flaccus carminum maiestate Heroes, quos cecinit, æquat: eum laudibus cumulat Martialis, immaturum fatum deflet Quintilianus, multumque illius interitu Romanas literas amisisse rigidus alioquin censor queritur. Sed horum omniũ exaggeratum altius nomen obterit, ac veluti minora sidera obscurat Liuius, fatigatis omnium gentium ingeniis, atque linguis, consumptaque veneratione, omni præconio semper maior, quod vnum ingenium magnitudini ac maiestati suæ par Romanum imperium accepit hinc, atque aluit. Quo scriptore nihil grandius, aut vberius Latinæ literæ habent: cuius purissimum candorem, atque eloquentiam incomparabilem Romanus Rhetor in exemplum extollit, cumque Herodoto æquare nõ dubitat. Hoc certe Herodoto Liuius maior, quod ille tam Græcæ Historiæ, quam mendaciorum parens habitus est: hic incorruptæ fidei, & veritatis cultor tam sanctus fuit, vt cum sub domino scriberet, in tradendis bellis ciuilibus diuersarum partium duces debitis laudibus non fraudaret, ipsumque in primis Magnum ita efferret, vt eum Pom-

peia-

peianum Augustus appellare sit solitus, neque id amicitiæ eorum offecerit: adeo ille libertatis,& obsequii temperamẽto, sed præsertim, suauitate, splendore, ac sublimitate scribendi, Romanæ potentiæ fastigium velut in æquum deduxerat. Nil ergo mirum, si nullus mortalium vberiores gloriæ fructus viuens ceperit, si quæ Augustus Imperii formator nõ tulit, priuatus homo venerantium officia præsente Augusto promeruit: si posteritati suæ interfuit: si, vt ita dicam, viuus ac videns consecratus est. Gaditanum enim quendam Liuii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab orbe vltimo venisse, statimque, vt viderat, abiisse, accepimus. Scilicet quem non illa Deorum & imperii sedes, ac gloriæ domicilium, terrarũ gentiumque Dea, æterna vrbs, ditione vtrumque solis cubile complexa euocauit, priuati hominis fama pellexit. Quem non septem colles gentibus adorati, cœloque certantia capitolia, non templa auro radiantia, non fora ac theatra, non populus late Rex, alterque statuarum populus, non circi, atque ingentes obeliscorum minæ, & magnarum vrbium instar Thermæ, non congestæ orientis opes, domiti orbis spolia, ac trophæa, non horum omnium felix prædo Augustus, ad se trahere potuerunt, viri vnius aspectus pertraxit. Quo visu plenus ille, tantaque imagine attonitus nihil Romæ adspectu dignum, quam propter quod venerat, credens, rerum prophanarum inspectu violare lumina ratus remenso æquore vltimas Gades propere repetiit. Rem seculis inauditam, vt Romam ingressus, aliud extra Romam quæreret, quod adoraret. Quamobrem nunquam satis fortunas nostras queri, casumque atrocem deplorare possumus, centum ac septem libros diuinæ historiæ inuidia temporum, an fraude hominũ aut socordia esse interceptos, cum ex centum quadraginta duobus, quod opus vix olim bibliothecæ capiebant, quinque & triginta superstites, reliquorum iacturam tanquam literarum funus ac naufragium oculis ingerunt. Sed lætiora ominemur, & an alius hac vrbe editus sit,

qui

qui cum Liuio conferatur, expendamus. Scribendi gloria atque operis magnitudine, neque hic, neque alibi vnquam reperietur: altitudine sapientiæ, atque innocentia, animoque aduersus omnem tyrannidem, ac fortunæ minas imperterrito, aliquis & Liuium & mortales omnes facile superabit. Hic est Thrasea Pætus, sacrum ac venerabile, non hominis, sed virtutis nomen, quod vnum constantiæ ac libertatis exemplum perditis moribus, ac corruptissimo seculo superi dederunt, vt mortalium ac Tyrannorum deterrimo opponerent, paratum vindicem, ac sidus Romanæ gentis beneficum, si degeneri populo tanta salutis cura fuisset, quanta seruitutis erat. Ille quidem hautquaquam literarum expers, quippe qui politiorum studiorum amœnitate publicas curas laxare solitus sit, atque in hac vrbe ludis ab Antenore institutis, Tragico habitu cecinerit, quo nomine etiam Neronis odium accendit, qui solus dare Tragœdias volebat, & cunctis lugentibus canere. Incompta autem & virili facundia adeo, Senatum in potestate habuit, vt sæpe aduersus Principis sæuitiam vt mitiora censerentur, peruicerit, vultumque & spiritum ac libertatem dicentis Tyrannus ipse extimesceret. Sed acrioris sapientiæ sectator, placidus tamen & mitis, in tanta fæde seruientium turba, ipso, cui omnes parebant, flagitiorum omnium mancipio, Patauinus vir vnus solutus diu, ac sui iuris, quod proximum erat animam verò impendit: Socrati tamen quam Catoni propior, quod non desperauit, nec illico in enses incurrit, facilique sanguine captauit famam, sed diu se fruendum legibus dedit, & ante supremam indictam necessitatem, non cõfugit ad mortem. Vt plane dignus magni scriptoris præconio sit: Neronem trucidatis tot insignibus viris ad postremum virtutem ipsam exscindere concupiisse, interfecto Barea Sorano, & Thrasea Pæto. Sed quod crimen Senatori, & Consulari & Decemvirali potestate prædito obiectum est, quæ capita accusationis, quod rei elogiũ? Vnum ac perpetuum sub malo Principe crimen, virtus, atque inno-

innocentia. Quod inquinatæ illius belluæ horrenda scelera ac parricidia detestaretur, quod Deorum atque hominum odium laudare nollet, quod subditas vrbi faces, ardentemque patriæ rogum, vndante ciuium sanguine restinctum, minus læto oculo aspexisset, quod histrioni, aurigæ, incendiario assentari nesciret, quod cum de Agrippina ageretur, & supplicationes Diis ob matrem à filio interfectam, tum principali scorto in Deorum contumeliam cœlestes honores a Senatu decernerentur, ex illa mancipiorum colluvie se proripuisset, quod denique citharædo cantãte pars populi adulantis non fuisset, nec pro cœlesti voce vnquam immolasset. Nihil hac accusatione laudabilius, nihil crimine honestius atque illustrius vnquam auditum est. Hæc hostium præconia: illa amicorum, vero tamen minora. Nam cum inter proximos consultaret Thrasea tentaretne in Senatu defensionẽ, an sperneret, hortantium voces fuere: *aspiceret populus uirum morti obuium: audiret senatus uoces quasi ex aliquo Numine supra humanas, posse ipso miraculo etiam Neronem permoueri.* Sed nec moueri Nero, nec Thrasea degeneri prece priorem famam dehonestare poterat: & inuicti in morte, atque omnis potentiæ contemptoris animi exemplum seculis debebat. Nemo eius suprema sine sacro quodam horrore, atque inusitatæ virtutis venerâtione legerit, quæ magnus Thraseæ admirator victuris æternum annalibus condidit. Venisse à Senatu Quæstorem, qui permissum mortis arbitrium, quod erat ingens eorum temporum beneficium, Thraseæ nunciaret. *Ille in hortis de more Illustrium virorum, ac fæminarum cætus coegerat, tum maximè intentus Demetrio, Cynico spectatissimo: cum quo de natura animæ ac dissociatione spiritus ac corporis inquirebat. Accepto S. C. lætitiæ propior eundem Demetrium atque Heluidium generum in cubiculum inducit, porrectisque vtriusque brachij venis postquam cruorem effudit humum super spargens, propius vocato Quæstore, libemus inquit, Ioui liberatori, specta iuvenis, & omen quidem Dij probibeant, cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum*

ex-

expedit constantibus exemplis. Sic ille excelso inuictoque animo res humanas destituit, magno Senecæ similitudine studiorum, ac mortis genere æquatus, sed regiæ amicitiæ, atque opum contemptu maior, nulla facinorum conscientia, aut arcanorum suspicione aspersus, nullis aulæ obsequijs ac ministeriis implicitus, libertatisque ad extremum incorruptæ gloria longè præstantior, nec cum vllo mortalium comparandus.

In hoc exemplo desinère, atque orationis vela contrahere par erat, ne post Thraseam aliud huic vrbi decus frustra quęreremus, ac deteriorum comparatione, inuicti Herois memoria violaretur: nisi Patauinę matronę aurem vellerent, & in partem huius laboris venire optimo iure exposcerent: quas sicut constans seculorum fama castitatis laude omniū gentium matronis, sine controuersia antetulit, ita, quod vix credibile est, magnitudine animi, mortisque contemptu, quę virorum laus est, viros ipsos facile superarunt, eo laudabiliores, quo imbecillior sexus, atque obnoxius cupiditatibus habetur. Spartanas olim mulieres cum rogarentur, quid ita solę viris imperarent, iactare solitas ferunt, quod solę etiam viros parerent. Sed quomodo, quę imperarent viris, parere viros possent, ipsę viderint: an quę corpus Lycurgi lege vulgarent, similes maritis natos edere possent, haud facile dixerim. Patauinarum ea sanctitas olim fuit, septaque & impenetrabilis pudicitia, vt in exemplum seculi venirent, & solę seculum emendare possent. Quod ipsi lasciui vates, & intemperantię magistri vero adacti confessi sunt, frustraque lusibus ac nequitijs suis posse Patauinas puellas permoueri sperarunt. Alter seuerioris notę auctor, Cecilianum commendans, esse illi ait auiam Serranam Proculam, è municipio Patauino, cuius loci mores orbi noti sint: adijcit Serranam ipsis Patauinis seueritatis exemplum fuisse.

Fuerit ergo olim, sitque ad hanc diem, o Ciues, vestrarum mulierum tam corrupto seculo, & proximis peccandi irri-

irritamentis pudicitię laus singularis, ea tamen est insignior, quod hic formarum flos est, nec sibi tantum alibi humana specie natura parens blandita videtur. Et licet ingenui vultus candor natiua purpura fusus, ac micantium luminum fulgor omnibus simulachris emendatiorem speciem reddat: dulcis tamen seueritas & gratum pondus supercilii aliquid fortius spirant, cupidosque spectantium oculos impellit simul & frænat virilis maiestas, & torua. Nec propterea tristis & incompta pulchritudo est, sed sine fuco, ac pigmentorum iniuriis, stata atque vxoria, quæque tuto laudari possit: abundanti insuper auro, & rubri maris spoliis, sed magis pudore, ac sedato cupidine commendatur, vt nusquam feliciora matrimonia sint, ac seueriora; Quodque rarum semper & vbique fuit, si vsquam, magna hic sit concordia formæ, atque pudicitiæ.

Sed vt illuc redeamus, vnde nos præsentium dulcissima contemplatio non sentientes abduxit, veteres matronæ vestræ non contentæ castimoniæ laude virorum gloriam auxisse, dubiam fortitudinis palmam viris ipsis fecere, atque vltro mortis contemptum viros docuere. Neque exempla longius arcessenda sunt: ab Thraseæ domo non discedemus, & fortasse aliquid quod eius fatis præferamus, ipso non indignante, inueniemus. Arria si quidem Thraseæ socrus Cecinæ Pæto nupta, cum ille aduersus Claudium cum Triboniano consilia infeliciter miscuisset, illo interfecto captus, Romamque ad supplicium ductus est. Vxor quo viri animũ ad suprema firmaret, inaudito facinore castum pectus corã marito confodit, atque educto gladio mortis solatium & exemplum præbuit, illud memorabile adiiciens: *Pæte, non dolet.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Nul-

Nullum fortius factum, nullum illustrius, vel viris audientibus dicam, tota vetustas habet. Reliquæ mulieres viso ferro exhorrescunt, & ad sanguinis aspectum exanimantur. Arria non ferrum modo tractat, sed insons illud pectori demergit, vastoque vulneris hiatu viscera deducit. Magna fœminarũ pars maritos manu lethum quærentes retardant, collo implexæ, osculis lachrymas miscentes, aut humi stratæ, pedibusque aduolutæ, paruos natos parentibus ingerentes, ingentes animos debilitant, ac frangunt. Hæc non modo periturum confirmat, sed quam facilis sit ad libertatem via, edocet, imo ipsa virum innocenter occidit. Paucæ admodũ repertæ sunt, quæ thori consortes fato functos secutę sponte sint, ac ne iis superstites essent, inuisę lucis moram abruperint: quędam se ardentibus rogis viuas iniecere, & Portia ad mortem ingeniosa fuit. Arria marito mortem imputat, funusque suum viuenti ingerit, pręitque exemplo, & velut in tutum manu ducit. Vna olim reperta est, si credere fas, quę se pro coniuge deuoueret, ac vicaria morte illius vitam produceret; hęc quia fata non poterat, mariti famam morte redemit.

At Plinius ille Consularis Cęsarum laudator, hoc factum illustrius, alia eiusdem Arriæ maiora esse contendit, cuius eloquentiæ lumen orationis meæ obscuritati inseram. *Aegrotabat*, inquit, *Caecina maritus eius, agrotabat & filius, vterque mortifere vt videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia charus, quam quod filius erat. Huic illa ita funus parauit, ita duxit exequias, vt ignoraret maritus: quin imo quoties eius cubiculum intraret, viuere filium atque etiam commodiorem esse simulabat. Atque etiam persæpe interroganti quid ageret puer, respondebat, bene quieuit, libenter cibum sumpsit. Deinde cum diu cohibitæ lachrymæ vincerent prorumperentque egrediebatur, tum se dolori dabat: satiata, siccis oculis, composito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset. Praterea cum maritus Romam ducendus ascensurus esset na-*

uem,

item, Arria milites orabat, vt simul imponeretur, non impetrauit, conduxit piscatoriam naui culam, ingensque nauigium minimo secuta est. Quin etiam cum Thrasea gener eius deprecaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset, Tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum, respondit, si tam diu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Pato, volo, Auxerat hoc responso curam suorum, attentius custodiebatur. Sensit, & nihil agitis, inquit: potestis enim efficere vt male moriar: ne moriar, non potestis. Dum hæc dicit, exiluit cathedram, aduersoque parieti caput ingenti impetu impegit & corruit. Refocillata, dixeram, inquit, vobis inuenturam me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.

Filia huius Arriæ Thraseæ nupta tentauit & ipsa mariti suprema & exemplum Arriæ matris sequi, nisi obstitisset maritus, filiam tamen & generum in exilium secuta est. Et veluti hæreditaria esset hæc sanctitatis ac constantiæ in vna domo laus, Fannia huius filia Heluidij vxor auiam, & matrem, aut æquauit, aut supergressa est, cui vnicum quidem, sed verum elogium idem Plinius tulerit. Nam cum illa ancipiti valetudine conflictaretur, dolere se scribit maximam fœminam eripi oculis ciuitatis, non aliud simile visuris. *Quæ castitas illius? quæ sanctitas? quanta grauitas? quanta constantia? bis maritum secuta in exilium est, tertio ipsa propter maritum relegata*: Deinde collegit. *Erit sanè quam postea vxoribus nostris ostentare possumus, a qua viri quoque fortitudinis exempla sumamus.*

Per fidem vestram, an alia vnquam vrbs gensque vniuersa, plura atque illustriora virorum ac fœminarum facta virtutisque miracula terris edidit? Quare diuino prorsus æternæ mentis consilio, ac Venetæ Reipub. auspicijs factum est, vt ex orbe vniuerso in hanc vrbem orbis flos, ad capiendum ingenij cultum, ac maioris fortunæ paratum conueniret: nouæque hic omnium doctrinarum inuentrices, atque altrices Athenæ statuerentur. Vt, quod olim Romæ peculiaris laus

fuit,

fuit, vrbs ista populorum ac gentium communis patria iure merito dici possit, saltem quacunque literarum pomœria extenduntur. Quæ res vrbis eiusdem gloriam ac merita in immensum auxit: cum illi sanctam castamque juuentutis institutionem, animorum culturam, artesque omnes, quibus ciuilis ordo disciplinæ continetur, nisi ingratus esse velit, orbis debeat vniuersus. Contra ipsa vrbs pro tot laboribus atque vigiliis, quas excolendæ juventuti impendit, vnam quidem, sed amplam, altamque mercedem refert, quod non ea solum ingenia, quæ produxit, sed quæ inauditis Venetæ liberalitatis exemplis vndecunque accita aluit, & longo hospitij iure, virtutisque vsu ad gloriam prouexit, iure pro suis ostentare potest. Alibi viri nascuntur, hic magni fiunt, & fixis sedibus diuturna possessione Patauini iuris facti, suis quisque vrbibus natales, huic famam ac gloriam imputant. Ita prȩter immortales animas, quas supra memorauimus, licet aliunde ortos, in ciuium censu numerat, nulli seculo silendos, Paulos Castrenses, Socinos, Decianos, Pancirolos, Pacios, Mercuriales, Guillandinos, Veslingios, Piccolomineos, Cremoninos, Bonamicos, Sigonios, Robortellos, & his omnibus non tam carminum gloria, quam reparatarum in Italia literarum merito prȩferendum Fran. Petrarcham, cuius penates ac suburbanum larem tanquam rem sacram aduenis monstrat, cuius sepulchro non minus quam Parthenope Maronis, Creta Tonantis tumulo gloriatur.

Te nunc appello, ad te conuertor, propter quam vniuersa oratio instituta est, blanda orbis spes, anxia parentum vota, florentissima pubes, liberali specie, atque ȩtatis honoribus, corporisque cultu, non humiles spiritus nec plebeiam indolem spirans. Te, inquam, appello, deuota sceptris ac tribunalibus iuventus, sacrorum pars ac regimen futura, redditura ius gentibus, humanȩ salutis, fatorumque ministra, orbem, ac quandoque supremas orbis potestates con-

ſilio rectura, & per varias fortunę ſpecies ac modos, diſpari ſorte latura rerum humanarum arbitrium. Non ſimulatque vrbis huius limina pulſaſti, Troiani ſanguinis ſtirpiſque per tot ſecula ductę memoria mentem impulit, tantique nominis ac tot facinorum veneratio, ſacerque horror animum perfudit? Non ſtatim menti magnus Liuius inſedit, & Thraſeæ venerabilis ſpecies, obuerſata eſt? Non implet viſum veneranda vetuſtas? Multus recurſat gentis honos, & multum in gente Deorum eſſe fateris? Quocunque te verteris, non ſubit illico recordatio, hæc loca quondam Heroum veſtigiis calcata, ingentes animas, cœloque receptas hos incoluiſſe penates, ſacraſſe has ſedes, intra hæc tecta magnarum mentium fœtus conceptos & editos? His ſedibus compoſitos manes, ſacros cineres, multum debentes ſcriptoribus vmbras, plenas vatibus vrnas non venereris? Cum vero hęc tecta Muſarum, hęc ſapientię templa ſerena intraſti, hoc verę nobilitatis atrium, nec cera, ſed auro atque adamante ductas Doctorum imagines luſtrans, has exedras ſubis, magnis ſemper ingeniis habitatas, mille annorum oraculis conclauia perſonantia, parietes docentium vocibus pulſatos, & fractos, non tota mente, totoque corpore commoueris, non his ſtimulis ac facibus ad gloriam exardeſcis? non rebus omnibus immortalitatis ſtudium anteponis? Quem iſta non excitant, nulla vox, nulla vnquam facundia permouebit. Hunc igitur laudatę vrbi laudis cumulum addite, quod vos doctiores, quod meliores parentibus ac Reip. reddiderit. Sapientum ac fortium virorum vitam & ſcripta ęmulamini. Et ſi non factis, quod haud poſſumus omnes, ſaltem ingenio famam extendite. Prima laus eſt facere quę ſcribantur, proxima ſcribere quę legantur. DIXI.

VER.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI, *Marchioni S. Alexandri, Tribuno militum, ac muniendis per Insubriam arcibus Præfecto.*

Octauius Ferrarius Felicitatem.

Postquam Cornelio Tacito nullis tacendo seculis qualemcumque aduocationem commodaßem, placuit defensionem in compendium mittere, magnam laudum eius partem arbitratus, quod tibi amplissima dignitate prædito, tantorumque auorum titulis insigni, & quod titulis omnibus præcellit, doctissimo, eum scriptorem in delicijs esse intelligerem. Quodque eum non omnium horarum modo, ac militarium expeditionum comitem circumferres, ac scribendo ad eius maiestatem assurgere contenderes: sed quandam illius fortunæ ac vitæ imaginem referres. Ille siquidem non de plebe Quiritium, sola ingenij nota vulgo exemptus, sed summo loco natus, nec paupere clauo inter illustres equites principum dignationi par, nequaquam ætatem à Repub. procul habendam decreuit, aut scriptitando consenuit: sed in fori luce, atque in aula perpetuo versatus, rerumque summæ admotus, Flauiorum imperio Belgicam prouinciam nomine Cæsaris procurauit, mox Prætor, & Consul, & præclare agendo, & aliorum facta posteris prodendo inclaruit.

Tu in domo olim non Insubriæ modo regnatrice, sed totius ferè Italiæ imperium complexa, patre Senatus Principe editus, posito apud Belgas tyrocinio, per omnes militiæ gradus incertum consilio an manu promptior euectus, Italicis bellis Tribunus militum, arcta obsidione clausam Eporbediam corpore æger, ingenti ausu, ac discrimine, per infessa hostibus loca ingressus summa rerum omnium difficultate egregie tutatus es. Inde maximis belli pacisque negotijs admixtus, ad componendas cum Parmensi Duce res, & firmanda fœdera à Prorege Insubriæ in Hispaniam Legatus, eximia facundia tantam opinionem industriæ ac scientiæ bellicæ apud Regem maximum feci-

filio rectura, & per varias fortunę species ac modos, dispari sorte latura rerum humanarum arbitrium. Non simulatque vrbis huius limina pulsasti, Troiani sanguinis stirpisque per tot secula ductę memoria mentem impulit, tantique nominis ac tot facinorum veneratio, sacerque horror animum perfudit? Non statim menti magnus Liuius insedit, & Thraseæ venerabilis species, obuersata est? Non implet visum veneranda vetustas? Multus recursat gentis honos, & multum in gente Deorum esse fateris? Quocunque te verteris, non subit illico recordatio, hæc loca quondam Heroum vestigiis calcata, ingentes animas, cœloque receptas hos incoluisse penates, sacrasse has sedes, intra hæc tecta magnarum mentium fœtus conceptos & editos? His sedibus compositos manes, sacros cineres, multum debentes scriptoribus vmbras, plenas vatibus vrnas non venereris? Cum vero hęc tecta Musarum, hęc sapientię templa serena intrasti, hoc verę nobilitatis atrium, nec cera, sed auro atque adamante ductas Doctorum imagines lustrans, has exedras subis, magnis semper ingeniis habitatas, mille annorum oraculis conclauia personantia, parietes docentium vocibus pulsatos, & fractos, non tota mente, totoque corpore commoueris, non his stimulis ac facibus ad gloriam exardescis? non rebus omnibus immortalitatis studium anteponis? Quem ista non excitant, nulla vox, nulla vnquam facundia permouebit. Hunc igitur laudatę vrbi laudis cumulum addite, quod vos doctiores, quod meliores parentibus ac Reip. reddiderit. Sapientum ac fortium virorum vitam & scripta ęmulamini. Et si non factis, quod haud possumus omnes, saltem ingenio famam extendite. Prima laus est facere quę scribantur, proxima scribere quę legantur. DIXI.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI, *Marchioni S. Alexandri, Tribuno militum, ac muniendis per Insubriam arcibus Præfecto.*

Octauius Ferrarius Felicitatem.

Postquam Cornelio Tacito nullis tacendo seculis qualemcumque aduocationem commodaßem, placuit defensionem in compendium mittere, magnam laudum eius partem arbitratus, quod tibi amplißima dignitate prædito, tantorumque auorum titulis insigni, & quod titulis omnibus præcellit, doctißimo, eum scriptorem in delicijs esse intelligerem. Quodque eum non omnium horarum modo, ac militarium expeditionum comitem circumferres, ac scribendo ad eius maiestatem aßurgere contenderes: sed quandam illius fortunæ ac vitæ imaginem referres. Ille si quidem non de plebe Quiritium, sola ingenij nota vulgo exemptus, sed summo loco natus, nec paupere clauo inter illustres equites principum dignationi par, nequaquam ætatem à Repub. procul habendam decreuit, aut scriptitando consenuit: sed in fori luce, atque in aula perpetuo versatus, rerumque summæ admotus, Flauiorum imperio Belgicam prouinciam nomine Cæsaris procurauit, mox Prætor, & Consul, & præclare agendo, & aliorum facta posteris prodendo inclaruit.

Tu in domo olim non Insubriæ modo regnatrice, sed totius ferè Italiæ imperium complexa, patre Senatus Principe editus, posito apud Belgas tyrocinio, per omnes militiæ gradus incertum consilio an manu promptior euectus, Italicis bellis Tribunus militum, arcta obsidione clausam Eporbediam corpore æger, ingenti ausu, ac discrimine, per infessa hostibus loca ingreßus summa rerum omnium difficultate egregie tutatus es. Inde maximis belli pacisque negotijs admixtus, ad componendas cum Parmensi Duce res, & firmanda fœdera à Prorege Insubriæ in Hispaniam Legatus, eximia facundia tantam opinionem industriæ ac scientiæ bellicæ apud Regem maximum feci-

filio rectura, & per varias fortunę species ac modos, dispari sorte latura rerum humanarum arbitrium. Non simulatque vrbis huius limina pulsasti, Troiani sanguinis stirpisque per tot secula ductę memoria mentem impulit, tantique nominis ac tot facinorum veneratio, sacerque horror animum perfudit? Non statim menti magnus Liuius insedit, & Thraseæ venerabilis species, obuersata est? Non implet visum veneranda vetustas? Multus recursat gentis honos, & multum in gente Deorum esse fateris? Quocunque te verteris, non subit illico recordatio, hæc loca quondam Heroum vestigiis calcata, ingentes animas, cœloque receptas hos incoluisse penates, sacrasse has sedes, intra hæc tecta magnarum mentium fœtus conceptos & editos? His sedibus compositos manes, sacros cineres, multum debentes scriptoribus vmbras, plenas vatibus vrnas non venerraris? Cum vero hęc tecta Musarum, hęc sapientię templa serena intrasti, hoc verę nobilitatis atrium, nec cera, sed auro atque adamante ductas Doctorum imagines lustrans, has exedras subis, magnis semper ingeniis habitatas, mille annorum oraculis conclauia personantia, parietes docentium vocibus pulsatos, & fractos, non tota mente, totoque corpore commoueris, non his stimulis ac facibus ad gloriam exardescis? non rebus omnibus immortalitatis studium anteponis? Quem ista non excitant, nulla vox, nulla vnquam facundia permouebit. Hunc igitur laudatę vrbi laudis cumulum addite, quod vos doctiores, quod meliores parentibus ac Reip. reddiderit. Sapientum ac fortium virorum vitam & scripta ęmulamini. Et si non factis, quod haud possumus omnes, saltem ingenio famam extendite. Prima laus est facere quę scribantur, proxima scribere quę legantur. DIXI.

VER-

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI, Marchioni S. Alexandri, Tribuno militum, ac muniendis per Insubriam arcibus Præfecto.

Octauius Ferrarius Felicitatem.

Postquam Cornelio Tacito nullis tacendo seculis qualemcumque aduocationem commodaßem, placuit defensionem in compendium mittere, magnam laudum eius partem arbitratus, quod tibi amplissima dignitate prædito, tantorumque auorum titulis insigni, & quod titulis omnibus præcellit, doctissimo, eum scriptorem in deliciys esse intelligerem. Quodque eum non omnium horarum modo, ac militarium expeditionum comitem circumferres, ac scribendo ad eius maiestatem assurgere contenderes: sed quandam illius fortunæ ac vitæ imaginem referres. Ille si quidem non de plebe Quiritium, sola ingenij nota vulgo exemptus, sed summo loco natus, nec paupere clauo inter illustres equites principum dignationi par, nequaquam ætatem à Repub. procul habendam decreuit, aut scriptitando consenuit: sed in fori luce, atque in aula perpetuo versatus, rerumque summæ admotus, Flauiorum imperio Belgicam prouinciam nomine Cæsaris procurauit, mox Prætor, & Consul, & præclare agendo, & aliorum facta posteris prodendo inclaruit.

Tu in domo olim non Insubriæ modo regnatrice, sed totius ferè Italiæ imperium complexa, patre Senatus Principe editus, posito apud Belgas tyrocinio, per omnes militiæ gradus incertum consilio an manu promptior euectus, Italicis bellis Tribunus militum, arcta obsidione clausam Eporbediam corpore æger, ingenti ausu, ac discrimine, per infessa hostibus loca ingressus summa rerum omnium difficultate egregie tutatus es. Inde maximis belli pacisque negotijs admixtus, ad componendas cum Parmensi Duce res, & firmanda fœdera à Prorege Insubriæ in Hispaniam Legatus, eximia facundiæ tantam opinionem industriæ ac scientiæ bellicæ apud Regem maximum feci-

ſilio rectura, & per varias fortunę ſpecies ac modos, diſpari ſorte latura rerum humanarum arbitrium. Non ſimulatque vrbis huius limina pulſaſti, Troiani ſanguinis ſtirpiſque per tot ſecula ductę memoria mentem impulit, tantique nominis ac tot facinorum veneratio, ſacerque horror animum perfudit? Non ſtatim menti magnus Liuius inſedit, & Thraſeæ venerabilis ſpecies, obuerſata eſt? Non implet viſum veneranda vetuſtas? Multus recurſat gentis honos, & multum in gente Deorum eſſe fateris? Quocunque te verteris, non ſubit illico recordatio, hæc loca quondam Heroum veſtigiis calcata, ingentes animas, cœloque receptas hos incoluiſſe penates, ſacraſſe has ſedes, intra hæc tecta magnarum mentium fœtus conceptos & editos? His ſedibus compoſitos manes, ſacros cineres, multum debentes ſcriptoribus vmbras, plenas vatibus vrnas non venereris? Cum vero hęc tecta Muſarum, hęc ſapientię templa ſerena intraſti, hoc verę nobilitatis atrium, nec cera, ſed auro atque adamante ductas Doctorum imagines luſtrans, has exedras ſubis, magnis ſemper ingeniis habitatas, mille annorum oraculis conclauia perſonantia, parietes docentium vocibus pulſatos, & fractos, non tota mente, totoque corpore commoueris, non his ſtimulis ac facibus ad gloriam exardeſcis? non rebus omnibus immortalitatis ſtudium anteponis? Quem iſta non excitant, nulla vox, nulla vnquam facundia permouebit. Hunc igitur laudatę vrbi laudis cumulum addite, quod vos doctiores, quod meliores parentibus ac Reip. reddiderit. Sapientum ac fortium virorum vitam & ſcripta ęmulamini. Et ſi non factis, quod haud poſſumus omnes, ſaltem ingenio famam extendite. Prima laus eſt facere quę ſcribantur, proxima ſcribere quę legantur. DIXI.

VER.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI, Marchioni S. Alexandri, Tribuno militum, ac muniendis per Insubriam arcibus Præfecto.

Octauius Ferrarius Felicitatem.

POstquam Cornelio Tacito nullis tacendo seculis qualemcumque aduocationem commodaßem, placuit defensionem in compendium mittere, magnam laudum eius partem arbitratus, quod tibi amplissima dignitate prædito, tantorumque auorum titulis insigni, & quod titulis omnibus præcellit, doctissimo, eum scriptorem in delicijs esse intelligerem. Quodque eum non omnium horarum modo, ac militarium expeditionum comitem circumferres, ac scribendo ad eius maiestatem assurgere contenderes: sed quandam illius fortunæ ac vitæ imaginem referres. Ille si quidem non de plebe Quiritium, sola ingenij nota vulgo exemptus, sed summo loco natus, nec paupere clauo inter illustres equites principum dignationi par, nequaquam ætatem à Repub. procul habendam decreuit, aut scriptitando consenuit: sed in fori luce, atque in aula perpetuo versatus, rerumque summæ admotus, Flauiorum imperio Belgicam prouinciam nomine Cæsaris procurauit, mox Prætor, & Consul, & præclare agendo, & aliorum facta posteris prodendo inclaruit.

Tu in domo olim non Insubriæ modo regnatrice, sed totius ferè Italiæ imperium complexa, patre Senatus Principe editus, posito apud Belgas tyrocinio, per omnes militiæ gradus incertum consilio an manu promptior euectus, Italicis bellis Tribunus militum, arcta obsidione clausam Eporbediam corpore æger, ingenti ausu, ac discrimine, per insessa hostibus loca ingressus summa rerum omnium difficultate egregie tutatus es. Inde maximis belli pacisque negotijs admixtus, ad componendas cum Parmensi Duce res, & firmanda fœdera à Prorege Insubriæ in Hispaniam Legatus, eximia facundia tantam opinionem industriæ ac scientiæ bellicæ apud Regem maximum feci-

uem, Arria milites orabat, vt simul imponeretur, non impetrauit, conduxit piscatoriam nauiculam, ingensque nauigium minimo secuta est. Quin etiam cum Thrasea gener eius deprecaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset, Tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum, respondit, si tam diu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto, volo, Auxerat hoc responso curam suorum, attentius custodiebatur. Sensit, & nihil agitis, inquit: potestis enim efficere vt male moriar: ne moriar, non potestis. Dum hæc dicit, exiluit cathedram, aduersoque parieti caput ingenti impetu impegit & corruit. Refocillata, dixeram, inquit, vobis inuenturam me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.

Filia huius Arriæ Thraseæ nupta tentauit & ipsa mariti suprema & exemplum Arriæ matris sequi, nisi obstitisset maritus, filiam tamen & generum in exilium secuta est. Et veluti hæreditaria esset hæc sanctitatis ac constantiæ in vna domo laus, Fannia huius filia Heluidij vxor auiam, & matrem, aut æquauit, aut supergressa est, cui vnicum quidem, sed verum elogium idem Plinius tulerit. Nam cum illa ancipiti valetudine conflictaretur, dolere se scribit maximam fœminam eripi oculis ciuitatis, non aliud simile visuris. *Quæ castitas illius? quæ sanctitas? quanta grauitas? quanta constantia? bis maritum secuta in exilium est, tertio ipsa propter maritum relegata*: Deinde collegit. *Erit sanè quam postea vxoribus nostris ostentare possumus, a qua viri quoque fortitudinis exempla sumamus.*

Per fidem vestram, an alia vnquam vrbs gensque vniuersa, plura atque illustriora virorum ac fœminarum facta virtutisque miracula terris edidit? Quare diuino prorsus æternæ mentis consilio, ac Venetæ Reipub. auspicijs factum est, vt ex orbe vniuerso in hanc vrbem orbis flos, ad capiendum ingenij cultum, ac maioris fortunæ paratum conueniret: nouæque hic omnium doctrinarum inuentrices, atque altrices Athenæ statuerentur. Vt, quod olim Romæ peculiaris laus

fuit,

fuit, vrbs ista populorum ac gentium communis patria iure merito dici possit, saltem quacunque literarum pomœria extenduntur. Quæ res vrbis eiusdem gloriam ac merita in immensum auxit: cum illi sanctam castamque juuentutis institutionem, animorum culturam, artesque omnes, quibus ciuilis ordo disciplinæ continetur, nisi ingratus esse velit, orbis debeat vniuersus. Contra ipsa vrbs pro tot laboribus atque vigiliis, quas excolendæ juventuti impendit, vnam quidem, sed amplam, altamque mercedem refert, quod non ea solum ingenia, quæ produxit, sed quæ inauditis Venetæ liberalitatis exemplis vndecunque accita aluit, & longo hospitij iure, virtutisque vsu ad gloriam prouexit, iure pro suis ostentare potest. Alibi viri nascuntur, hic magni fiunt, & fixis sedibus diuturna possessione Patauini iuris facti, suis quisque vrbibus natales, huic famam ac gloriam imputant. Ita pręter immortales animas, quas supra memorauimus, licet aliunde ortos, in ciuium censu numerat, nulli seculo silendos, Paulos Castrenses, Socinos, Decianos, Pancirolos, Pacios, Mercuriales, Guillandinos, Veslingios, Piccolomineos, Cremoninos, Bonamicos, Sigonios, Robortellos, & his omnibus non tam carminum gloria, quam reparatarum in Italia literarum merito prę ferendum Fran. Petrarcham, cuius penates ac suburbanum larem tanquam rem sacram aduenis monstrat, cuius sepulchro non minus quam Parthenope Maronis, Creta Tonantis tumulo gloriatur.

Te nunc appello, ad te conuertor, propter quam vniuersa oratio instituta est, blanda orbis spes, anxia parentum vota, florentissima pubes, liberali specie, atque ętatis honoribus, corporisque cultu, non humiles spiritus nec plebeiam indolem spirans. Te, inquam, appello, deuota sceptris ac tribunalibus iuventus, sacrorum pars ac regimen futura, redditura ius gentibus, humanę salutis, fatorumque ministra, orbem, ac quandoque supremas orbis potestates con-

M silio

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI, *Marchioni S. Alexandri, Tribuno militum, ac muniendis per Insubriam arcibus Præfecto.*

Octauius Ferrarius Felicitatem.

Postquam Cornelio Tacito nullis tacendo seculis qualemcumque aduocationem commodaßem, placuit defensionem in compendium mittere, magnam laudum eius partem arbitratus, quod tibi amplißima dignitate prædito, tantorumque auorum titulis insigni, & quod titulis omnibus præcellit, doctißimo, eum scriptorem in delicijs esse intelligerem. Quodque eum non omnium horarum modo, ac militarium expeditionum comitem circumferres, ac scribendo ad eius maiestatem assurgere contenderes: sed quandam illius fortunæ ac vitæ imaginem referres. Ille si quidem non de plebe Quiritium, sola ingenij nota vulgo exemptus, sed summo loco natus, nec paupere clauo inter illustres equites principum dignationi par, nequaquam ætatem à Repub. procul habendam decreuit, aut scriptitando consenuit: sed in fori luce, atque in aula perpetuo versatus, rerumque summæ admotus, Flauiorum imperio Belgicam prouinciam nomine Cæsaris procurauit, mox Prætor, & Consul, & præclare agendo, & aliorum facta posteris prodendo inclaruit.

Tu in domo olim non Insubriæ modo regnatrice, sed totius ferè Italiæ imperium complexa, patre Senatus Principe editus, posito apud Belgas tyrocinio, per omnes militiæ gradus incertum consilio an manu promptior euectus, Italicis bellis Tribunus militum, arcta obsidione clausam Eporbediam corpore æger, ingenti ausu, ac discrimine, per infessa hostibus loca ingressus summa rerum omnium difficultate egregie tutatus es. Inde maximis belli pacisque negotijs admixtus, ad componendas cum Parmensi Duce res, & firmanda fœdera à Prorege Insubriæ in Hispaniam Legatus, eximia facundia tantam opinionem industriæ ac scientiæ bellicæ apud Regem maximum feci-

sti, fideque atque obsequio ita tibi Herum propitiasti, vt amplissimis verbis ornatum, concilioque secretiori admotum, muniendis per Insubriam arcibus præfecerit, hoc est tanti Imperij custodiam, atque Italiæ claustra fidei tuæ crediderit. Nec multo post eiusdem missu apud Bauariæ Ducem ob filij nuptias, fratrisque interitum, mixtam luctu ac gratulatione Legationem inusitato splendore ac magnificentia peregisti.

Hinc noua negotiorum series, ac moles, quantam vix alius caperet, nemo exitum habiturum speraret: operumque tuorum longe maximum ac difficillimum. Italiæ extero dominatu liberandæ, tuendæ Italicorum Principum dignitatis, asserendi Casalis, ac depellendi seruitij, cui libertatis prætextum alieni imperij libido fecerat, negotium tibi demandatum est: quod nescio maiore animo susceperis, an felicitate confectum dederis. Certe Mantuæ Dux consilio tuo, diuina inuicti Herois Carracenæ virtute, in veterem possessionem, deturbato importuno inquilino, bona fide inductus, ante signa, in totius exercitus conspectu, tuam fidem, ac dexteritatem, acreque ac solidum iudicium prolixe laudauit, fassusque est pulcherrimo huic negotio, atque exemplo, te mentem, illum dextram commodasse.

Quis credat tot bellis, tot expeditionibus exercito, tot officijs, ac Legationibus implicito vacare potuisse, vt aliquid legeres, aut scriberes? Et tamen te totum ita literis à prima ætate tradidisti, ita semper castrorum otium Musis interpellare, atque ab acie & Sole ad has vmbraticas curas diuertere solitus es, vt ijs par sis, qui toto vitæ tempore nihil aliud egerunt: nec facias modo laudanda, sed & scribas. Mitto carminum dulcedinem, queis militares labores permulces: linguarum peritiam, interiorem literaturam, ac vetustatis cognitionem minime vulgarem: Latinæ orationis cultus, ac candor in viro militari vix fidem inuenit, & hæc à me ambitiose conquiri quis suspicari posset, nisi omnes isthic qui te norunt, me vero minora prædicare scirent: atque in hac Vrbe recens adhuc memoria esset Gasparis Scioppij V. C. illius scriptorum censoris acerrimi, ac morosissimi, qui Latinas tuas epistolas adeuntibus se non sine voluptate, atque admiratione frequenter lectitare solebat, atque in specimen Italicæ

lic*æ*

lica elegantia ostentare. Quas epistolas vidimus ab illo transcribi in librum, in quem veluti in album, amicorum nomen & ingenia referebat.

Quantum autem in Tacito profeceris, vt de aliis sileam, ipse non semel isthic, sed proximis mensibus, cum astiuo secessu in patriam rediissem, facile intellexi. Cum vel domi in cœtu procerum, ac flore ingeniorum, vel cum animi causa vna curru tolleremur, abditos eius sensus facile expedires, praceptaque ac monita politica in digitos, atque articulos mitteres. Itaque hoc etiam referre Tacitum poteras res huius aui, quibus aut interfuisti, aut prafuisti pari fide, atque elegantia tradendo posteris, nisi idem pudor vetaret, qui reliqua ingenij tui monimenta hactenus suppressit. In quo quidem ipse nec mihi nec patria deero, cuius maxime interest ista noscitari. Quod dum subcisiuis horis molior, tu interim Tacito tuo adesto, vt hoc quoque iudicium tuearis, qui illum pra ceteris deperisti. Dignus profecto veteris illius magni Insubris fortuna, cui, cum delatum à militibus Imperium, non sibi sed patria asseruißet, supremus felicitatis cumulus accessit Tacitus Laudator. *Vale.*

Patavij Idibus Decembris MDCLIII.

PRO CORNELIO TACITO APOLOGETICA Prolusio XVII.

ELeusinia sacra omnium olim mysteriorum religiosissima non tota simul tradebantur: sed aliqua seruabant, vt Tertulliani verbis vtar, quæ reuisentibus ostenderent. *Idcirco*, inquit, *aditu prius cruciant, diutius initiant quam os signant, cum Epoptas ante quinquennium instituunt.* Si quis Cornelij Taciti Annales ciuilis prudentiæ mysteria, arcanis dominationum veneranda, a prophanorum accessu longe subducta appellet, non multum à vero aberrauerit. Itaque licet in eius adita octodecim annorum spatio studiosam iuuentutem iterum, ac tertio admiserim, de more sacrorum profiteri pos-

ſum aliqua adhuc supereſſe, quæ reuiſentibus oſtendantur. Et quamquam aliàs multa aduerſus prophanos, tantique ſcriptoris contemptores diſputauerim, antequam in ipſa penetralia cultores admittam, nouam defenſionem præmittere opus habeo, quando noui criminatores quotidie inſurgunt, totamque hanc ſacrorum rationem, à quibus ipſi ſubmouentur, inuidioſe traducunt.

Operæ pretium eſt audire, quam leuia, ac futilia comminiſcantur, vt ſcriptorem præſtantiſſimum ſtudioſæ iuventutis manibus excutiant. Primum omnium, non eſſe bonum Latinitatis auctorem contendunt: verbis incurioſum, ſententiis obſcurum, poetica licentia laſciuientem. Secundo, egregium calliditatis, ac fraudum magiſtrum, & machinatorem, ſuſpicionibus indulgentẽ, male de Diis ominantem, atque Epicureum totum. Poſtremo, quod omnium opprobriorum complementum eſt, in hiſtoria mendaciſſimum.

Sed vt à primo ordiamur: quotieſcumque doctorum virorum de antiquis ſcriptoribus ſententiam expendo, ſæpe in iis iudicium, interdum candorem, requiro. Omitto Horatii de Plauto, Quintiliani de Lucretio ſententiam, quam eruditorum omnium conſenſus reſcidit. En ecce P. Victorius, vir alioqui præſtantiſſimus, de Ouidio poetarum ingenioſiſſimo pronunciare non dubitat, eum vt oratione ac verſibus, ita vita, ac moribus eneruatum fuiſſe. A quo non longe diſcedit Lambinus, qui eum malum Latinitatis auctorem appellat.

Quid? Diſertiſſimus ac Latiniſſimus Muretus in præfatione ad Catullum, Martialem poetarum feſtiuiſſimum, atque acutiſſimum tantum non ſcurram de triuio nominat. Idem Troadas diuinã Senecæ Tragœdiam, triuialis poetæ fœtum dicit, quæ reliquarum Senecæ princeps eſt, & verus ſummi ſcriptoris partus. Contra Lipſius Thebaidem fœtum declamatoris obſcuri Senecæ, adſcribit, miriſque laudibus tollit, quam viri doctiſſimi tanto nomine indignam abdicarunt. Alter

ter summus poetarum censor, Lucanum interdũ latrare, non canere, videri sibi affirmat. Os hominis, ne dicam canis, qui vatem vno Marone minorem tam impudenter adlatrat? Memini etiam senem literatissimum, qui non ita pridem in hac vrbe ingenti literarum damno fato functus est, adeo Sallustij memoriæ infensum, vt non modo in ordinem cogeret, ac Latii iure exterminaret, sed cum Lenæo Pompeii liberto ipsi infenso, non minus scriptis, quam vita monstrosum, & priscorum Catonis verborum ineruditissimum furem diceret.

Eadem licentia atque audacia Tacitum quoque proscribunt, & imposita capitis diminutione extra Romanum cœlum proiiciunt. Qui tandem isti, aut quibus demum ab oris? Andreas Alciatus vir summus, & qui primus Iurisprudentiam à barbarie ac sordibus, in Romanæ eruditionis splendorem vindicauit, nihil seculi sui, nihil posterorum iudicium reueritus, ausus est pronunciare Taciti dictionem præ illa Pauli Iovii esse senticeta, idest asperam, & dumorum instar siluescentem. Iuppiter anne audis? nec tibi nasus conrepit ab ira? Iouius Tacito antefertur? Cum sola comparatio inexpiabilem iniuriam tanto scriptori conflare possit. Pergit, & cum Aemilio Ferreto Tacitum non satis Latinè locutum pro imperio edicit. Quibus merito Muretus os verberat, quod ipsi infeliciter Latinè locuti, Cornelium læsæ Latinitatis arcessant. Hisce memoria nostra velut Optio accessit scriptor non obscuri nominis, qui licet Proludens, decretoriis in Tacitum pugnat, multaque in eo obseruat, quibus Latii ius violatum contendit: Sed qua fronte id egerit, haud satis scio. Editis enim historiis tam frequenter impingit, ac labitur, vt non solum Gaspari Scioppio V. C. qui censoriam virgulam in eum distrinxit, stomachum mouerit, sed etiam mediocriter doctis admirationem incusserit, quomodo tantus Latinæ eloquentiæ professor, atque in ludo senex factus, in ea inciderit, quæ si adolescentuli peccassent in scholis;

natium iactura fuerant expianda.

Inuitus dicere cogor, & petita venia dico, iudicia hæc superba esse, absurda, inepta, magnisque viris prorsus indigna. Nam quod ad Sallustium attinet, quem præcipuè adamauit, & expressit Tacitus, malo ego toti antiquitati credere, quam vni, aut alteri nouitio critico. Nam veteres omnes historici palmam Sallustio deferunt, vel vno teste Martiali. *Hic est, quem perhibent doctorum corda virorum, Crispus Romana primus in historia.* Sane Quintilianus acerrimo iudicio praeditus, non dubitat eum Thucydidi opponere, & inter cæteras laudes, quas T. Liuio merito tribuit, illa postrema est, quod immortalem illam Sallustii velocitatem diuersis virtutibus consecutus sit. Esse quidem vitandam Oratori Sallustianam breuitatem idem alibi dixit, quæ tamen in ipso virtutis locũ obtinet: quia scilicet abruptum sermonis genus, otiosum & attentum lectorem minus fallat, audientem transuolet, nec dum repetatur expectat, cum præsertim lector non fere sit nisi eruditus: cum iudicem olim rura plerumque in decurias mitterent, de eo pronuntiaturum quod intellexisset, nempe rudem atque ineruditum. Est quidem Sallustius antiquorum verborum aucupator morosus, vt noto epigrammate ipsi obiectum est. *Et verba antiqui multum furate Catonis, Crispe Iugurthina conditor historia.* Nemo tamen eum male Latine locutum dicere ausus est.

Eadem ratione de Taciti eloquentia, & Latinitate malo eidem Quintiliano credere, qui licet suppresso nomine de Tacito tamen locutus creditur. *Superest adhuc, & exornat ætatis nostra gloriam vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, vt libertas quamquam circumcisis qua dixisset ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, & audaces sententias deprehendas etiam in ijs qua manent.* Malo credere Plinio iuniori, qui eum eloquentissimum fuisse affirmat, & hoc eximium habuisse, quod grauiter diceret. Sunt aliqua non diffiteor in eo ex Sallustiana imi-

imitatione, vt illud, *fieri amat*, quod Græcorum imitatione à Sallustio factum Quintilianus notauit. Sunt & quædam verba non ita Latino seculo vsitata, vt *restaurare, in præsentiarum*, quæ librariorum oscitantia irrepsisse credibile est. Quamquam vltimum extare apud Nepotem sciamus: nisi & hoc illi Aemilius Probus illeuit. Sunt aliqua poeticæ licentiæ propiora: sed ea raro admodum, ac modice vsurpata, nec Petronii iudicio abhorrentia, qui grandem, & quasi poeticam orationem esse oportere affirmat. Malumus ergo magnis hisce viris credere, quam centum Alciatis, aut Ferettis, aut minorum gentium criticis.

Cum præsertim hac ætate ii plurimum de Latina oratione iudicent, qui male ne dicam pessime Latine loquuntur; quod minime ferendum est. Quotusquisque enim nunc Latine aut scribit, aut scribere adlaborat? Dicam quod sentio, & quidem Latine, non accusatorie. Vix centesimus quisque est qui pure, atque emendate scribat: sed vix millesimus, qui an Latina oratio sit iudicare possit. Nam vt quis castam, atque elegantem orationem contexat, satis est, si paucos optimæ ætatis scriptores diligenter euoluat: vt de stylo iudicium ferat, omne genus scriptorum excutiendum est, ætates auctorum, ac tempora conferenda sunt, nec verba modo, sed & compositio, sed loquendi genera expendenda, vt sæpe vna dictio, vocula vna Latinitatis nitorem valeat infuscare. At nunc pessimo judice vtimur, id est vulgo, cui semper deteriora placent: & quod olim Athenis Anacharsis mirabatur, sapientes orant, stultissimi iudicant. Ita plerique malunt cum Milesiarum auctore rudere, aut cũ duriore alio lapides loqui, vel contra elumbi ac discincta oratione lasciuire, & quod humillimum, ac sordidissimum cacozeliæ genus Seneca pater existimauit, detractu, aut adiectione literarum nugas habere difficiles, quam puram, atque altius exaggeratam orationem ad veterum elegantiam exigere. Sed de his erit fortasse alius dicendi locus.

Re-

Redeo ad Tacitum, quem præterea obscuritatis vitio laborare eius Censores contendunt. Quod & Sallustio olim obiectatum est. De quo Seneca: *Sallustio vigente amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obscura breuitas fuere pro cultu*. Non is ego sum, qui cum Tacitum defendo cum aureæ ætatis scriptoribus Cæsare, Cicerone, Liuio conferre velim, quorum prima, ac præcipua virtus perspicuitas fuit. Illud tamen contendo, hanc non tam Taciti, quam temporum culpam fuisse, cum scilicet Declamatorum sententiæ, atque acumina, quos vulgus *conceptus* appellat, orationem inuaserant, atque obscuriorem reddebant: cum nihil expositum, & apertum placeret, sed reconditi sensus, ad quos intelligendos opus esset ingenio, in pretio essent. Hinc Seneca fatetur ætate sua, hoc est, non multum post Ciceronem, Latine homines loqui desiisse, & Quintilianus non ita inferior, totum Latinum sermonem fuisse commutatum. Fuit ergo Sallustius suopte ingenio, quod vix excusari potest, obscurus, Tacitus seculi vitio, quod omnes tunc ita fere scribebant. Quamquam duplex obscuritas est, alia verborum, alia sententiarum. In verbis nihil aut pauca admodum obscura in Tacito lector inueniet Latini sermonis intelligens: sententiæ, & acumina abstrusiora, sed non ita implicita, vt Delio natatore opus sit, quod isti comminiscuntur. Verum, quod aiebat Lipsius, scriptor aliquando non tam suo quam lectorum vitio obscurus est, qui semidocti, leuiterque literis imbuti, atque à magistro recentes ad Taciti maiestatem hebescunt, & quæ non capiunt ipsi, ne ab aliis quidem intelligi putant. Non absimiles vetulæ illi apud Senecam, quæ cum ætate obsurduisset, malum morem incessisse dolebat, quod homines submissius loquerentur: aut illi, quæ oculis laborans de cubiculi obscuritate querebatur. Sic hi plerumque inscitia cæcutientes manifesta in luce caligant.

Secundum accusationis caput erat sævum, atque atrox.

Ta-

Tacitum doctorem scelerum, fraudumque ac flagitiorum artificem callidissimum esse: Christiano nomini infensum: de Diis male, aut nihil sentientem: & vt omnia vno verbo complectar Epicuri de grege porcum. Quare eum Budæus omnium sceleratissimum prædicat. Idem senex doctissimus, quem Sallustio infestum initio dicebamus, pari in Tacitum acerbitate eum Machiauello deteriorem faciebat, quod scilicet hic male agendi præcepta traderet, Tacitus exempla. Porro, auctore Seneca, *longum iter esse per præcepta, breue & efficax per exempla*. Quod si verum est, plerique omnes scriptores Ethnici, non pauci sacri, flammis abolendi sunt, in quibus exempla scelerum vbique occursant. Quis enim historicorum, fraudes ac scelera annalibus non condit, magnamque narrationis partem eorum recensionè non consumit? Liuii historia etiam puriori seculo tam virtutum, quam vitiorum fœcunda est. Nemo Sallustii, nemo Trogi reliquias, nemo Græcorum annales sine humanæ conditionis aut accusatione, aut rubore percurret. Hoc triste mortalitatis priuilegiũ est, vt nusquam simpliciter virtutes narrentur, nec veterum facta sine conuicio legantur. Ipsa sacrarum literarum augusta monuméta, horum sententia lectorem absterrere possunt: tam frequens ibi spissaq; scelerum, flagitiorumq; commemoratio est. Frater fratrem in ea mundi solitudine interficit, aut vendit: alter sorori miscetur: natus parentis cubile persultat, eidemque regnum ac vitam abrogare conatur: ipse Rex sanctus adulterio viri necem continuat. Filiæ parentem grandævum mero depositum, nurus vredine percita incautum socerum ad incestum pelliciunt, & veterum Tragœdiarum mala, aut renouant, aut docent. Contra nefarius alter omnia facit, ne quid de semine suo supersit. Regum vnus singulis noctibus virginum delectum habet, quarum pudorem imminuat, regiaque pellex magistro patruo nocturnis amplexibus imminens sanctæ genti exitium depellit. Rex alter mortalium sapientissimus inter Reginarum

ac

ac pellicum greges Numinis cultum ejurat. Et adhuc singulorum facinora loquimur. Perfidus populus Deo vitulum anteponit: magnæ naturæ iniuriæ quinque vrbium rogo expiatæ, totumque humanum genus terrarum eluvione purgatum. Nullus finis scelerum, nullus flagitiorum numerus. An igitur sacra pagina legentibus Machiauello exitiosior tot malorum exemplis, per quæ breue iter est, longum autem per præcepta?

Quid aliud poterat Tacitus? In ea tempora inciderat, quibus mortales, vt ait ille, nec vitia sua ferre poterant, nec remedia. Tempora virtutibus infesta, quibus non pietas, non fides, nullus Deûm metus, sed tyranni flagitiis pares, scelerumque magistri, ac vindices. Scriberet historiam Tacitus, & hæc sileret, aut dissimularet? Præuaricator, non scriptor fuisset. En quemadmodum ipse Annalium argumentum vel inuitus profitetur. *Nos sæua iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, eosdem exitu casus coniungimus*. Eadem ad Historiam præfatur. *Opus aggredior plenum varijs casibus, atrox prælijs, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Quatuor Principes ferro necati, tria bella ciuilia, polluta ceremoniæ, magna adulteria, plenum exilijs mare, infecti cædibus scopuli, atrocius in Vrbe sæuitum. Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, & ob virtutes certissimum exitiũ. Nec minus præmia delatorum inuisa, quam scelera. Odio ac terrore corrupti in dominos serui, in patronos liberti, & quibus deerat inimicus per amicos oppressi.*

Putatis ista sine scelerum commemoratione narrari potuisse, quæ faciunt vtramque paginam? At poterat non scribere historiam Tacitus, fortasse etiam supersedere debuerat. Longe mihi alia mens est, Auditores optimi. Rem enim non solum gloriosam sibi, sed vtilem futuris hominibus, ac necessariam fecisse videtur Tacitus, cum ad scribendum adpulit animum. Nec tam malorum, quam bonorum intererat, illa seculi dedecora, aulæ fraudes, ac machinamenta,

menta, denique togatorum latrocinia memoriæ posterum prodi. Interest inquam Reip. interest humani generis, scelera, ac flagitia, censoria historici nota plecti, vt homines à peccando posteritatis, atque infamiæ metu absterreantur. *Præcipuum* inquit noster, *annalium munus esse reor, ne virtutes sileantur, vtque prauis dictis factisque, ex posteritate & infamia metus sit.*

Sed quem fructum ex tristi illa ac fœda turpium exemplorum ac fraudum commemoratione boni viri haurire possunt? Vt scilicet fraudibus caueant, technasque ac fallacias improborum alieno periculo cauti euitare possint. Si intra monachorum septa, cellasque anachoretarum viuendum nobis esset, veluti extra mundum proiectis, aut solum cum bonis versandum, non ingratum modo, sed etiam superuacaneum esset ista perlegere, quibus animi tot vitæ malis ingemiscant. Sed magna pars nostrum, aut in foro versatur, hoc est in ipso stropharum regno, ac fallaciarum mercatu, vbi imposturæ vltro citroque commeant, & vili pretio parātur. Aut viuendum in aula, idest, in fraudum ac simulationum officina, vbi nullus consenescit, nisi qui iniurias accipiat, & gratias agat. Per fidem vestram, in hac vmbratica, ac sedētaria vita, quantum obtrectationis, falsa laudum imagine, quantum occultorum odiorum; quantum municipalis æruginis, quantum malefici risus, ac pestiferarum blanditiarum? Astus & doli vndique circumsistunt, fallaces amicitiæ, infida societas, insidiæ, illecebræ, subdola perfidia: fingere vultum tam pronum est, quam omnia odisse, odiaque in longum iacere, ac recondita promere, culpare omnia, ac dirarum alitum more tenebris quoque suis, gemitu, (quæ sola eorum vox est) inuidere. Nusquam profecto gentium tam necessaria Taciti lectio est, vt simulationem simulatione excipiamus, & opertum blanditiis liuorem, falsosque risus, atque in gratulationem vsque effusam maleuolentiam, ita intelligamus, vt non intelligere videamur. Aut hominum cœtus

tus vitandi sunt, aut æmulo non sincere ridenti arridendum: callidè sensus tuos captanti, ij in obscurum magis atque implicitum inuoluendi, & veteratoris ars, etsi natura pugnet, pari artificio eludenda.

Non leuiori inuidia Tacitus oneratur, quod perperam de Diis, ac religione senserit. Nam Historiarum initio hæc habet. *Nunquam atrocioribus populi Rom. cladibus, magisque iustis indicijs approbatum est, non esse curæ Dijs securitatem nostram, esse vltionem.* Adeo vt ipse Lipsius, qui tantum Tacitum non adorauit, eum tanquam Epicureum traducat. Sed eum Bocalinus scriptor haudquaquam spernendus ita defendit, hæc in eam sententiam dicta esse, quod tanta populi illius scelera ac flagitia essent, vt Dii immortales vltionem, quam securitatem curæ haberent. Nullus tamen ex his verbis eum Epicureum fuisse colliget: quod miror Lipsium fecisse. Nam ex Epicuri sententia Dii res humanas non curabant, nec virtutibus propitii, nec infensi sceleribus erant. At hic Tacitus Deos scelerum vltores inducit, & flagitia hominum vindicantes. Sæpe etiam alibi interesse Numen humanis rebus profitetur: vt Historiarum III. *Dijs propitijs, si per nostros mores liceret*. Ergo si illis vltio cordi est, id vitio mortalium euenit, qui non patiuntur iracunda Iouem ponere fulmina.

Alibi tamen aliqua sine Deorum cura euenire conqueritur, idque ex Epicuri castris. Sed ridere ego soleo eos, qui homini ethnico, & religionis nostræ lumine destituto, vertunt vitio, quod fuerit Epicureus. An reliquæ olim philosophantium sectæ innoxiæ, scelerumque immunes fuêre, præcipue Stoicorum, quos solos pene philosophos Cicero existimat, superbissima, atque impia, quæ sapientem suum Deo æquauit, ne dicam prætulit? Num magis impius in Deos est, qui negat eos rerum humanarum commercio, ac tristi ministerio fœdari, an qui vilissimis homuncionibus comparat, & fere postponit? Præclare à Plutarcho dictum est de superstitione: minus peccare qui Deos esse negant, quam qui eos adul-

adulteros, fures, iracundos, atque hominum simillimos traducunt. Nam qui Socratem esse negat, minus certe lædit, quam qui eum nequam, ac vitiis coopertum dicit.

Non hic Epicurum defendimus, quem Christiana Philosophia merito proscribit: sed si cum ceteris insanientium sapientum deliramentis conferatur, non ita malum fuisse videmus, qualem eum maleuoli homines produxerunt. Deos a rerum humanarum procuratione abdicat Epicurus, nihilominus propter perfectionem diuinæ naturæ, cultu ac veneratione afficiendos esse censebat. Irridet hoc Cicero de Natura Deorum. Sed nescio quam prudenter. Quasi non ob aliam causam colendi sint Dii, quam quia beneficia præstent mortalibus. *Sanctitas* inquit *est scietia colendorum Deorum: qui quamobrem colendi sint non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec sperato bono.* Sed paulo infra idem Cicero colligit, eorum qui amant amicum vtilitatis causa, non esse amicitiam, sed mercaturam quandam vtilitatum suarum. Sic Epicurus dicere poterat, eos qui bonorum causa Deos colerent, deteriores illis esse, qui ob eximiam singularemque naturam venerarentur: illos non tam sanctitatem, quam mercaturam vtilitatum suarum exercere.

An vero tam malus & infamis fuerit Epicurus, volo vos Stoicum hominem interrogare, qui haud dubie Latinam porticum fulcit. Seneca epistolas fere omnes, quibus morum sapientiam complexus est, Epicuri sententiis claudere, atque obsignare solet, eiusque dicta tanquam emblemata orationi inserere. Idem de Vita beata. *Mea quidem*, inquit, *ista sententia est (inuitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum, & recta præcipere, & si propius accesseris, tristia.* Mox subiicit. *Itaque non dico quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse. Sed illud dico, male audit, infamis est, sed immerito. Non hoc scire quisquam potest, nisi interius fuerit admissus.* Demum alibi refert Epicurum illum magistrum voluptatis, certos dies habuisse, quibus maligne famem extingue-

gueret: nam ipsum scribere ad Polyenum, & quidem gloriari *non toto asse se pasci*: Metrodorum, qui nondum tantum profecerat, *toto. In hoc tu victu saturitatem non putas esse? & voluptas est. Voluptas non illa leuis, & fugax, & subinde reficienda, sed stabilis, & certa. Non enim iucunda res est aqua & polenta, aut frustum hordeacii panis: sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem*. Quod & Laertius & alii confirmarunt. Denique Epicurus ille est, qui cum acerbissimis lateris doloribus, atque intestinorum vlceribus cruciaretur, iam morti proximus exclamauit: *beatissimum hunc, & vltimum diem ago*. Non fuit quidem Tacitus Epicureus: sed si fuisset, non erat quod illi Ethnico hæc secta aut pudorem imponeret, aut infamiam.

Vltimum accusationis caput erat, non minus acerbũ, fuisse eundem in historia mendacem, siue vt Tertullianus loquitur, mendaciorum loquacissimum. Ob eam præcipue causam, quod in tradenda Iudæorum origine mira quædam, ac pudenda de ea gente commentus sit, Historiarum v. Scilicet Iudæos ad exonerandam Aegyptum eiectos, atque exterminatos, cum vastis solitudinibus errarent, sitique præcipue fatigarentur, conspectum asinorum siluestrium agmen aquas demonstrasse. Iudæos huius beneficii memoria Asini caput templi penetralibus sacrasse, inde creditum à Iudæis Asinũ adorari: quæ contumelia ad Christianos Iudæorum traduces defluxit, quibus gentilitatis liuor hanc tardæ pecudis adorationem obiectauit, eosque Asinarios dixit. His similia non pauca ex vano Tacitus hausit. Quæ si in præsentia tueri velim, non amens modo, sed impius sim, sacrorumque oraculorum violator. Eum tamen non sponte aut dolose aduersus veritatem peccasse, cum res externas narraret, facile credet, cui rerum Romanarum incorrupta fides, ac narratio cognita sit. Nam cum Iudæi res sacras, præcipue historias cum Ethnicis, ne prophanarentur, non communicarent, imo eas summo studio, ac cura supprimerent, necesse habuit Tacitus communem sequi errorem, & cum à Iudæis percre-

non

non posset, quæ ab aliis vtcumque tradita erant, memoriæ consignare. Quanto enim turpiora, falsaque magis, & ridicula, Appion, Trogus, Strabo, alii de Iudæis scripserunt, quæ a nobis afferentur, cum illuc ventum fuerit?

Potuit etiam Tacitus Tertulliano stomachum mouere, quod de Christianis inclementer locutus sit, & crudeliter pereuntibus fauerit. Sed huic accusationi pridem a viris doctis, præcipue Bodino satisfactum est. Nam quemadmodum Marcellus I.C. meretricem turpiter facere respondit, quod sit meretrix: non tamen turpiter accipere, cum sit meretrix. Ita quoque impie fecisse Tacitum, quod non fuerit Christianus: sed non impie aduersus nos scripsisse, cum gentili superstitione obrutus esset. Impie facturum fuisse, si quam religionem veram iudicabat, non eam quoque tueri, & contrarias euertere conaretur. Cum enim Christiani, & Hebræi quasi venefici, & omnium scelerum, ac flagitiorum rei, ac damnati ad supplicia quotidie traherentur, neminem historicorum à verborum contumeliis abstinere potuisse. Si hoc scelus est, multo maiori scelere obligandum Vlpianum, qui septem libros de torquendis Christianis, non ad historiæ cognitionem, sed ad suppliciorum acerbitatem, scripsit. Sceleratum quoque Suetonium, vt de ceteris sileamus: sceleratissimum Iuniorem Plinium, qui eos teterrimis suppliciis affecit.

Hoc vnum Tacito condonetur: in reliquis, an historiæ leges, quas sibi seuere præscripserat, excesserit, in sequenti Acroasi cum Deo examinabimus.

FREDERICO TERTIO DANIAE ET NORVEGIÆ Regi Pio. Felici. Inuicto.

Octauius Ferrarius Victorias Triumphos.

GErmaniam tuam, quàm grauidam Imperijs, tam ingeniorum fœtura Orbis fastigio parem, tibi sistere ausus sum Rex Maxime, non solum quia magna eius pars id vnum iactat, quòd nutus tuos respicit, mansuetudine refouetur: sed quod tu summus ingeniorum æstimator, ac fautor, claritudine studiorum etiam extra Germaniam, quacunque literis honos est, in animis hominum regnas. Ita incertum est, plus ne tibi Regnum tuum, an vniuersa gens debeat. Illud enim inaudita parentis tui summi Imperatoris virtute, ac fortitudine ab interitu ereptum, eo rebus humanis exempto, cum sine capite discordia membra trepidarent, iterum periisset, nisi tu ante votis omnium Imperio destinatus, quàm electus ita subuenisses, vt nunc tam propè à felicitate sit, quàm olim ab exitio. Quare quo populi tui pietas in te publicæ salutis auctorem testatior esset, insitato exemplo eadem anno, quo rerum summæ admitus es, filius, digna parente proles, omnium ordinum suffragiis tibi in Imperio suffectus est. At Germania tota præter tot laureas, ac trophæa hoc tibi nomine obstricta est, quod inter continua bella, atque intestinas discordias silentibus, aut profligatis literis novum, sidus affulseris, & Regno pacem, pacis decora, atque ornamenta, magnumque exemplum prouinciæ redonaris.

Sed Imperatoriam laudem, victriciaque arma vberem posteritati materiem clari scriptores procudent: Sacra hæc tutela literarum, cultusque plusquam Regius præsentium studia ac venerationem aduertit, teque tanto supra ceteros Reges attollit, quanto illos penè in ordinem cogit hoc ipsum, quòd hanc laudem esse priuatorum arbitrantur. Tu contrà æternæ famæ, quæ inde paratur studio flagrans, constituto Imperio, vt disciplinarum omnium Emporium istic excites

cites, virorum delectum habes, quos ad exteras gentes, ac mundi vltima emittas, vt nobili commercio immortalitatem negotientur, nouisque gloria vectigalibus Musarum Cimelia locupletent. Rursus praclara toto Orbe ingenia contrahis, atque amplissimis conditionibus prolicis, ac sola literarum commendatione notos tibi homines inauditis Regia magnificentia exemplis obruis. Versatur adhuc in ore fama, & quo inusitatior hoc seculo res est, venerantium gaudio celebratur, qua tu comitate, quibus officiis non ita pridem priuatum hominem, sed eruditionis miraculo huius aui summum (ingenti nuper literarum damno literis, ac terris ereptum) exceperis, auxeris, conuictui adhibueris, inuidiosisque muneribus ditatum Regio curru in triumphi speciem per ora populi ad vsque Imperii fines veluti pompam circumduxeris.

Nec mirum abs Te literas tanti fieri, qua te vulgo Principum exemere: quas non ambitiose, sed interius, ac solidius coluisti. vt nihil magis in aliis admireris, quam quo ipse pracellis. Harum causa vbi de tanto fastigio descendisti, hoc vno tamen Regiam indolem obtines, quod viuida atque excelsa mens tua inter plebeia studia, atque vmbraticas curas serpere dedignatur, sed superas domos scandens, totique diuinitati immissa, Mathematicas disciplinas non esse rem priuatam testatur: cum tu Geometrico puluere rerum magnarum simulachra ludas, aciesque, ac pralia, captasque aut defensas vrbes abaco mediteris, & quem victoriis Orbem peragrasti radio describas: vt nominis tui fama terrarum finibus, ingenium aternis illis ignibus circumscribatur.

Sic petitur Cælum: sic duo sidera (duos Germania oculos) eodem in axe pulsis Trionibus perpetim excubantia, atque vnum Sidoniis, alterum Pelasgis puppibus propitium, sed vtrumque Orbi, ac naufragis literis salutare attonita mortalitas veneratur. Res seculis inaudita. Duas maximas potestates inter se olim de Imperio, nunc de gloria atque ingeniorum patrocinio amulatum agere, ac beneficiis in rem literariam decertare. Itaque huc oculos, huc vota mortales vertunt. Neque tamen vllus, qua solemnis in Principes assentatio est, vrbis serum in athera excessum precatur: quando humani gene-

ris consensus viuentes vos illuc retulit, nec coacta Apotheosi vestro lumine Cœlum illustrius fecit. Inde tu dexter ades, ac pacato vultu ista excipe, propter quem vnum, si non essent tot alia, cunctis terrarum Germaniam præferri, tam æquo animo humanæ gentes ferunt, quam eius Imperium patiuntur.

Patauij Nonis Decembris MDCLIII.

DE GERMANIÆ LAVDIBVS.
Prolusio XIIX.

VIgesimus annus incipit ex quo me Veneta Maiestas spei vestræ admouit. Per id omne tempus ex Orbe toto delecta iuventus, Orbis ipsius spes, atque humani generis flos delibatus, magnarum animarum incrementa, ac seculi vota, Christianæ Reipublicæ columen, & futura Respublica, interioribus literis, atque omni studiorum amœnitate ad magnæ fortunæ cultum erecta vnà mecum immortalitati operata est. Grande huius operæ, ac qualiscumque laboris mei pretium simul & incitamentum, cum non in totum eiectas, ac profligatas has literas cernerem, quas liuor, & incuria, & quorundam hominum, qui sua tantum admirantur, supercilium penè scholis profligauerat: sed resurgere afflictas, paulatimque redire honorem his studiis, quibus solis, inter tot artes, ac disciplinas humanitatis titulus adhæsit: simul auctam quotannis discentium alacritatem, nouos ingeniorum prouentus, ac nobilem frequentiam, non tam corpore, quam animo hæc subsellia implentium contemplarer.

Nam cum aliàs in tanta Gymnasii celebritate ingens circa Rhetorem solitudo spectaretur, solasque interdum cum Apolline Musas in schola præceptor adhiberet, & cum nemo auriculam opponeret, ne antestari quidem posset, passimque adolescentes eo confluerent, quo ambitus, blandaque frequentiæ conciliatrix laureæ spes, ac metus contraheret.

heret. Cum præterea inanis persuasio teneras mentes occupasset præ artibus, ac scientiis quæstuosis esse infrugiferas has literas, atque esuritionis magistras, imo si Deo placet infra Grammaticæ vilitatem deiectas, augentibus inuidiam, qui nihil huc præter ieiuna præcepta, & aridas disputationes afferebant: & ideo iuventus scholarum ergastulis paulo ante soluta, omnem primæ literaturæ imaginem tamquam pueritiæ rudimenta, ac captiuitatis notam auersaretur, atque hæc loca veluti pistrinũ exhorresceret: si qua fides, cum primum huc appuli, nihil magis metui, quam ne subsellijs, ac mutis parietibus occentarem, nisi vellem auditores misere corradere, nec duraturam frequentiam sordidis precibus, atque indecora prensatione redimere, ac pro literario Imperio omnia seruiliter facere.

Sed virtute superum, ac mortalium fauore, siue sorte quadam, quæ etiam hæc vmbratica negotia versare amat, siue nonnulla nostra industria, ac dicendi mediocritate effectum est, ne in humani generis conuentu soli spectaremur, eoque ludibrio interim careremus, artis dicendi professione, captandi eos apud quos diceremus. Nam si ars ista tota popularis est, atque eloquentiæ effectus audientium approbatio, fatendum est nobis sæpius ingenium, ac dicendi virtutem, quam auditorium defuisse, idque auditorium, quod non tam numeres, quam æstimes, & stipante vastam exedram non tantum iuniorum corona, aut fecisse nos fucum auditoribus, aut oratores visos esse.

Ceterum cum circa docentem veluti maris æstus sit, continuo auditorum accessu, ac recessu, quibusdam dum inter professores iactantur, & fluitant in studiorum ratione peregrinantibus, ac Scytharum more ingenii pascua quotidie mutantibus, ij mihi præcipua laude semper digni visi sunt, qui toti his studiis dediti, totique in hanc curam ac cogitationem compositi, ita hoc curriculum confecerunt, vt reliquis industriæ, ac sedulitatis specimen præberent. Nolo

quidquam ceteris nationibus detractum: sed Germanica iuventus generosæ indolis, mansuetudinis, ac modestiæ animiq; laboribus inuicti à condita Academia singulare exemplum semper fuit. Itaque non præter rem facturus videor, si studiorum auspiciis gentis decora breuiter complexus, tot in me officiis meritisque ingentibus satisfaciam, simul reliquam iuventutem præcipuæ Italos nostros ad eorum mores ac studia æmulanda accendam.

Neque tamen tantum mihi animi, aut virium, aut denique otii superesse video, vt inuictæ gentis Martium robur, Imperii sedem, Augustale decus, laudesque immensas mente concipere, ne dicam angusto orationis gyro stringere audeam. Romam illam inclitam, Orbis dominam, Deorum sedem, gentiumque Deam, Germanorum armis rerum humanarum fastigio detractam: profugam Quiritium maiestatem: Phrygios Penates iterum victos, iterum extorres, gentisque Iuleæ sacraria hostium potita: septem collium arcisque Tarpeiæ verticem deiectum: concussum Capitolii culmen: Rheno Tiberim famulantem: victrices Aquilas vtrumque Solem permensas, cum Imperii Diis translatas: Romana pila, captiuos fasces, fractos currus, palmatas, ac trabeas, Orbisque spolia victoribus detracta: nec tam redditas clades, ac refixa trophæa, quam pro extrema Germaniæ lacinia tentata magis quàm victa, in principe terrarum, Orbisque domitore populo, Orbem totum sub legibus missum.

Quamquam eadem vanitas, quæ cuncta terrarũ ab Esperio cubili ad solis ortum Quiritium armis subacta prodidit (inuictis Parthis & numquam sine clade lacessitis, parique Romanæ magnitudini Arsacidarum imperio) eadem inquam vanitas Germaniam terram Romano seruitio pressam futili mendacio commenta est. Non alio vtar, quam Romani summi scriptoris testimonio, qui hostium laudator eorum mores victuro æternum libello complexus est. *Sexcentesimum*, inquit, *& quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, cum primum*

Cim-

Cimbrorum audita sunt arma. Ex quo, si ad alterum Imperatoris Traiani Consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aui spatio multa inuicem damna. Non Samnis, non Pæni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere: quippe Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipso Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque simul Consulares exercitus Populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, D. Iulius in Gallia, ac Nero, & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes Caii Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium donec occasione discordiæ nostræ, & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere, ac rursus pulsi inde proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt. Ita est triumphati magis quam victi à Romanis Germani sunt, nisi discordiis intestinis attriti fuissent, eo ipso tempore de Romanis triumphaturi. Quod nequaquam idem scriptor dissimulat, & ad extremum pro Imperii Romani incolumitate Germanorum discordiam vouet. Nam vbi Bructeros ab Angriuariis pulsos, ac deletos memorat, id quodam fauore Numinum erga res Romanas contigisse subiicit. *Nam ne spectaculo quidem*, inquit, *prælii inuidere: super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi, oculisque ceciderunt. Maneat quæso duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui, quando vrgentibus Imperii fatis nihil iam præstare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.*

Ita demum vrgẽtibus fatis Romanum Imperium ad Germanos fortuna, inuictaque virtus transtulit, Orbisque qua vi, qua metu, subactus in venerationem compositus, Germanica signa adorauit. Ac ne qua pars mundi vacaret, Austriaca domus vastissimos terrarum tractus, ignota littora, insularum immensa spatia, ac naturæ deficientis terminos adiecit, vt intra eius fines vtrumque Sidus curreret

Omniaque errantes stellæ Germana viderent.

Nullum inde per tot secula aut memorabile bellum, aut insignis victoria sine gentis huius armis peracta est: nulla acies sine Germanorum robore stetit, & siue suorum ductu, siue alienis stipendiis mererent, in qua exercitus parte conspecti sunt, ibi victoriæ fiducia & instrumentum fuerunt. Ingentia corpora, præualidi artus, nec tam Rheno quam militari disciplina durati, inde ruendi

In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis.

nuda quandoque pectora pro vallo obiêcere, ante vitam, quam fidem deserere parati: vt ipsi olim Romani Cæsares, & secuti inde, exteri Reges, ac Principes, damnata popularium fide, solis Germanis corporis custodibus ad hanc diem animas credere consueuerint.

Sed forsan ineptè atque intempestiuè horrentia Martis signa scholis admouemus, ac veluti tubarum cantu Musis obstrepimus. Pacis studia, atque ingeniorum fructum exequi præsens cura est. In quo quidem inepta quorundam atque acerba iudicia satis mirari, & excusare non possumus, qui esse Germanis opacas mentes, obtusum pectus, plebis Abderitanæ corda, lenta, & sidere suo torpentia ingenia, & si Deo placet humeris demersa, væcordes ipsi, atque helleboro procurandi prædicant. Quis enim ita iratis Diis, ac Musis viuit, vt ignoret Germaniam, sicut olim informem terris, vt ait ille, asperam cœlo, tristem cultu, aspectuque: post vicis, ac pagis consitam, maximis ac florentissimis Vrbibus veluti coronatam, omnem humani cultus speciem accepisse: ita ingeniis, ac literis mitigatam, nouam veluti faciem induisse, artiumque omnium, ac disciplinarum studiis nulli prouinciarum, etiam quæ mitiori Cœlo fouentur, fecundam, prodigiosis nouorum operum, atque incognitarum machinarum inuentis, gentes omnes ac populos sicut armis deuicit, ita ingenio superasse. Vt nec falso, nec immerito

merito Io. Bodinus homo Gallus sic statuerit, nullum in Orbe illustrius, quam Germanorum exemplum extare, *qui cum à feritate non procul abessent, cum in paludibus olim, ac siluis ferarum more vagarentur, cum semper à literis abborruissent, proximis annis tantum profecisse, vt humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Hebræis, Philosophia Græcis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phœnicibus, Astrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur.*

Incredibile memoratu est, quam celeriter, ac feliciter gens olim horrida, ac belli studiis asperrima, scientias omnes, ac disciplinas non attingerit modo, arripuerit, hauserit: sed auctas atque amplificatas ita propagauerit, vt reliquas gentes, ipsum Latiale caput hoc decore spoliauerit. Immensi laboris esset Germanicos literarios fastos euoluere, ingentesque animas, quæ tot editis monumentis adhuc vivunt, & spirant, victuraque seculis scriptorum nomina percensere. Scilicet inuicta bello natio, terrarum suique victrix, labore quoque inuicta, rudis voluptatum, corpori imperitãs, infatigabilis, ac penè ferrea, affixa pluteo, & chartis noctes diebus iungens, & licet amica Baccho, plus interdum oliui, quam vini profundens, bibliothecis demersa, nouos quotidie fœtus, nouas lucubrationes extundit, non huic modo seculo, sed populis nepotum exsudans, non tardis, sed grauibus, ac maturis ingeniis, rapidas mentes, atque igne quodam volucres, & ideo leues, nimiumque acumen, ac desultoriam studiorum rationem facile contemnit, certe desidiam, ac segne otium, literarumque contemptum iis populis obiectat, & conuicium regerit, à quibus aliquando barbara appellata est: & apud quos nunc barbaries grassetur, humanitas exulet, minime barbaris, minime obtusis diiudicandum relinquit.

Vel vni hodie Bataui Germaniæ portio non magna, sed ipsius Germaniæ Germania, vel vt cum Tacito loquar, *Bataui Germanorum virtute præcipui, ita olim Romani Imperii pars, vt*

exem-

exempti oneribus, & collationibus, tantum in vſum præliorum ſepoſiti, veluti tela, atque arma bellis reſeruarentur. Vni inquam Bataui ſicut memoria noſtra cum Regum maximo tot annos ex æquo diſceptarunt, & conſtrato maximis claſſibus Oceano nouas terras aperuere, atque vltra ſolis terminos Imperium porrexerunt: ita ardente adhuc ſæuiſſimo bello, pulſis aliunde literis ac diſciplinis, ſtabile domicilium poſuere; tanto maximorum ingeniorum prouentu, accitis etiam aliunde bonarum literarum principibus, vt plurimos illo Germaniæ angulo omni ſcientiarum laude præcellentes hodie publica veneratio numeret, quorum vnus vel maximam prouinciam colluſtrare poſſit. Quod ſi intimos gentis vniuerſæ receſſus, ac veluti ſacraria penetrare fas eſt, hebeſcit acies, ac trepidat novum Germaniæ, ac literarum ſidus ſuſpiciens, cuius tepore Arctoæ partes diſcuſſa æterna hieme perpetui veris faciem induere, naturæ miraculum, Chriſtinam Auguſtam ſolo literarum titulo non Regium modo, ſed humanum faſtigium ſupergreſſam:

Sed ſit etiam penes alias gẽtes literarium hoc decus: nam vt de ceteris ſileam, & Gallia hodie, & Britannia omnium præclariſſimarum artium, præcipue bonarum literarum cultu haudquaquam Germaniæ conceſſerit. Vna tamen laus eſt, de qua nemo cum Germanis deſcendere in certamen auſit, nouorum, ac veteribus incognitorum operum multiplex inuentio, queis non ſolum reliquas gentes, ſed ſe ipſam, ſed naturæ captum, ac fidem Germania ſuperauit.

Occurrit primo neſcio horrendum magis an admirandum Germanici ingenii inuentum. Noua belli machina, incertum iratis ex prouocatione, an propitiis Diis excogitata, naturæ trepidantis terror, Vrbium ſtrages, nouaque præceps addita fatis via, terreſtre fulmen, ac Cœli tonantis imago. Non qualia veterum bellica tormenta, ætatis huius ludibrium, quæ funibus tenta, poſt longas moras ſtridente neruo lapides, aut haſtas ignauo pulſu emittebant. Sed intra

ca-

cavum æs exiguo pulueri demersa flammę semina, stipata ferro, vbi admotum spiraculo ignem concepere, non diu luctata pestis erumpit, densaque fumi nube intermicantibus fulgetris immanes ferreos globos, ac volitantium pilarum procellam, cum horribili impulsi ætheris sonitu effundit. Et quamuis dispar machinæ forma, vis eadem. Nam minores tubi & breuiores rotatæ ballistæ, quibus tantopere iuventus gaudet, exiguo missili sæpe vno ictu non vnam mortem ferunt. Sæuius mortariorum ac bolidum ingenium. Illa supino hiatu recta in Cœlum tonant, ac veluti fulmina retorquent, ingentiaque saxorum pondera, ne qua pars periculo vacua esset, supernè casura eiaculantur. Hæ cæcis ignium conceptaculis siue manu missæ, siue mortariis eiectæ, vbi impetu suo dissiluere, serpentibus vndequaque flammis crepitantia incendia spargunt, nullaque vetante materia, quos peremêre, funerant.

Mille doli formæ, atque ingeniosa capitalis pernicies. Nam ne quid tutum, aut satis clausum aduersus hanc vim foret: cum sæpe magnarum vrbium munimenta, validæque arces, aut ingenio loci, aut opere, vastisque aggeribus & impenetrabili laterculo bombardarum fulminibus imperuiæ sint, fartumque cespite vallum longæ verberationi responset: versa in tormentum tellure, effossis sub ipsa munitione cuniculis, ac nitrato puluere stipatis, minima scintilla conceptus intra specum ignis exundans, ac furens, qualis Aetnæ vertice erumpit, verius inferum fulmen, ac Summani manubiæ, non telluris modo dorsum concutit, ac vibrat, sed horrendo mugitu ruina iter faciens, fractas cautes tamquam stipulas secum rapit, ingentesque euersas turres, atque immania funditus convulsa propugnacula contorquet, ac cœlo impingit, & volitantibus inter saxorum fragmina semiustulatis corporum truncis, picea caligine cœlum, virorum ac mœnium strage, altoque cinere subiectos late campos obruit. Non semel velut in ludibrium iactatas per ina-

ne

ne turres, atque emota in sublime mœnia, iisdem vestigiis integra deponit, iisdem fundamentis sistit.

Et quisquam post hac poetarum mendacio præbebit aurem? Promethea, quod ignem ætherea domo subduxisset, Caucaso affixum: longe audaciorem Salmonea, quod lampada quassans, olympi sonitum, & non imitabile fulmen simulasset, crudelibus pœnis Tartaro adactum. Cum impune fuerit Germano homini obscuro, eidemque cucullato, non fumeo tædarum lumine brutum fulmen ementiri: sed tela Iouis manibus, nequaquam in templa sua, aut immeritas arbores casura deripere, eoque vel inuito tonare. Quod si eorundem poetarum more ludere fas esset, libenter Iulium Scaligerum audiremus minime poeticè talia iactantem: *Pace tua dixerim Iupiter fulmina nostra sunt terribiliora tuis. Age coge nubes vt tonare queas: nos etiam te tranquillo, ac sereno, iratum regnum tuum faciemus*. Sed noxium inuentum est, atque execrabile: sed vitæ inimicum: sed humani generis sublato fortis, atque ignaui discrimine pernicies: sed sæua latrocinatio, ac capitalis perfidiæ telum. Quasi non eadem sit sagittarum missiliumque omnium inuidia, eoque acrior cum tingerentur veneno, & aliquid nocentius ferro adderetur, ac pugnaretur aliena morte. Nam & reliquo ferro, quo carere non possumus, simili modo vtimur. Hæc, & illa, Vrbium, atque hominum tutelæ inuenta sunt, nos vitæ pestem fecimus.

Sed sit aliquod huius machinamenti maleficium, præsto erit innoxium Germaniæ munus, quo ne maius quidem optare à superis possimus, munus superis ipsis inuidendum, ipsa si dicere licet æternitate fraudata. Hoc est typographiæ beneficium, ingeniorum vita, ac literarum tutela, mora præcipitis æui, aduersus obliuionem, ac vetustatis iniurias fortissimum pharmacum, quodque ex aduerso bombardæ inuento opponamus. Illa fatorum ministra ferro atque igne succincta, non hominibus modo lethum approperat, sed oppida,

da, ac Vrbes delet, & ruina sepelit: hæc fatis aduersa, secto minutatim plumbo, & charta, qua nihil fragilius est, ferreã temporum gulam eludit, ac frangit, ferrumque ipsum, & alta marmora excedenti æuo obsistit, atque atramenti illitu clarissimam rebus lucem circumfundit: & exiguis typorum veluti seminibus, multiplicata in immensum fœtura, mille voluminum formas, quæ vix mille manus longo temporis spatio molitæ essent, exiguo labore, vna circumacti præli pressura momento temporis excudit, nouamque datura subolem exemplaria per orbem spargit, claraque scriptorum ingenia non solum deripit Orco, sed in memoriam prorogat sempiternam.

Serum quidem, sed opportunum literis pereuntibus remedium. Nam quota nunc veterum scriptorum pars restat? Plurimi ignorantur, fatoque vrgentur illachrimabiles. Multi autem sunt, quorum abolitis monumentis sola nomina nobis in inuidiam vetustas reliquit: pauci admodum tot casuũ superstites, sed magnam partem truncati, ac mutili, ora manusque crudeliter laceri, & Penthei illius instar misere discerpti. De quibus tamen nunc actum foret, & conclamatum, nisi ars typographica opem tulisset, & antiquis auctoribus dedisset vitam, futurisque ingeniis securitatem prospexisset. Absque hac foret, præter superfusam Europæ barbariem, bellorumque aduersa, ac captarum Vrbium rogo ardentes bibliothecas, totque annorum labores horæ momento redactos in cinerem, desidia, atque incuria, & describendi tædium, omnique etiam industria potentior æui tabes aliquid quotidie de naufragii reliquiis deterens, literarum nomen penitus excidisset. Cuius rei cum plurima supetant argumenta vnum indicasse satis superque fuerit. M. Tacitus Imperator siue gentilis, siue cognominis sui Taciti historiarum scriptoris florentissimi, vt digna immortalitate monumenta aduersus temporum labem communiret, in omnibus bibliothecis adseruari iussit, & singulis annis decies descri-

bi.

bi. Sed prouida Cæsaris cura nihil admodum profecit. Nam cum totus ferè Tacitus intercidisset, suorum memoria in monasterio Corbeiensi in Vvestphalia, vt hoc quoque Germanis deberemus, delitescentia fragmenta, quæ nunc adoramus, reperta sunt.

Et poetę quidem olim carminum gloria tumefacti sibique blandientes, scriptis suis, atque heroibus quos cecinerant immortalitatem augurati sunt. Est qui superbia meritis quæsita ære perennius se monumẽtum exegisse gloriatur, quod non diruere possit innumerabilis annorum series, nec fuga temporum. Alter elatior, nec tamen ingenio minor, à se conditum opus iactat, *quod nec Iouis ira, nec ignes,*

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas:

Seque post obitum parte sui meliore petiturum astra, nomenque suum fore indelebile. Tertius demum grandior, vt carmine, ita animo inflatus, quantum Smyrnæi vatis honores duraturi sint, tantum victuram Pharsaliam suam, & à nullo æuo tenebris damnatum iri. Sed parum veri vatum præsagia habuissent, & cum cantatis ducibus sepulta senio carmina iacerent, nisi typographia æternitatis fidem impleuisset. Ergo vates heroibus vitam polliciti sunt, vatibus typographi reuera præstiterunt.

Quæ cum ita sint, nec falso nec arroganter ille gloriatur. Germani bombarda Iouis iram imitati sumus: tempus ipsum librorum perpetuitate superauimus: horologiis temporum comites rotarum circumactiones effecimus. Quam machinam sicut vsu vitæ typographia inferiorem, ita ingenio atque operis maiestate diuinitatis æmula, cunctis inuentis præferendam exequerer, nisi longius oratio excurrisset. Ars typographica tempora coercet ac sufflaminat: Horologium distinguit, & computat, temporisque sumptum, quo nulla maior, minusue reparabilis iactura est, reuocat ad calculos, & attente dispensat. Atque exigua machina incluso Orbis spiritu, viua rotarum vertigine labentium signorum cursus,

sta-

ſtatoſque ſiderum labores temperat, ac mundum euoluit. Sic victa Syracuſii ſenis ſphæra, inriſa ſolariorum, ac clepſydrarum fabula, nubilo diei, aut nocturnis tenebris, Solis iter per quadrantes, & minuta puncta repræſentat, & comminuto articulatim die, labi vitam per momenta indicat, vigilque & excubans ſilenti nocte loquitur, opuſque oculorum, etiam ſopitis auribus adnumerat, tanta operis ſubtilitate, vt annuli gemma compactam Germani manu Vniuerſitatem, ac mũdi motum acceperimus.

Hæc Germani homines optimo publico excogitarunt: hebetes illi ac tardi, atque humeris ingenioſi, vt iſti prædicant, qui ſolo palato, atq; infera corporis parte ingeniũ exercent. His inquam prodigioſis nouis repertis vitam excoluêre. Iidem auorum memoria in Italia ingeniorum fœcundiſſima annum intercalationi non reſpondentem, ac turbatam temporum rationem Pontificum accitu correxerunt, ſacroſque faſtos ordinarunt. Iidem afflictam Remp. literariam Græcoſque ac Latinos ſcriptores è ſepulcris excitarunt, & antequam obſtetricante prælo luce redonarent, mendis quibus ſcatebant repurgatos vtili magis quam ſpecioſa opera in priſtinum nitorem redegerunt. Ii demum ſcientias omnes ac diſciplinas portentoſo captu complexi Orbem voluminibus repleuerunt. Hæcque omnia immenſo, incredibili labore, perpetuis corporis atque animi contentionibus, torpentibus alibi magnis illis ingeniis, vel circa leuia carmina, ac dulces fabulas laſciuientibus. Porro eorum Germanorum, qui hanc Academiam celebrant, celſam indolem, apertas mentes, candidos mores, ſingularem modeſtiam quotidie contuemur, indefeſſum ac pertinax ſtudium admiramur, vtinam imitemur. Sit interim apud alias gentes ingeniorum gloria, dummodo penes Germanos conſtet fructus, quando vel inuitis nobis fatendum eſt, Latinas literas, ac diſciplinas magno Italiæ rubore cum Imperii faſcibus in Germaniam commigraſſe. Dixi.

CHRI-

CHRISTINA ABDICANS
Prolusio XIX.

SOlemnis poetarum mos est, grande epos à superis auspicari, atque vt instincta Numine pectora decet, carminis exordium cœlo deuocare, bonisque ominibus, ac precationibus deorum dearumque, operis vestibulum augustius reddere. Sic olim Aratus ab Ioue, reliqui à Camœnis exorsi diuinitatis fiduciam præstruxerunt, cœptisque ingentibus prosperos inde successus augurati sunt. Quod si nobis quoque optimarum artium studia commodum auspicantibus, vt poetis fas esset musas inuocare, sicut easdem alieni furoris ministras, atque ingentium malorum nuntias producere immune facinus, atque ominosum arbitramur, & quarum opem exposcas imperioso edicto ad canendum cogere vel inuitas, absurdum, atque inhumanum existimamus: ita illud felix, ac fortunatum in primis credimus, studiorum instaurationi præsidem studiorum deam aduocare, nec parturientis Iouis cerebro expulsam, sed præsenti superum beneficio senescenti seculo commodatam viraginem implorare, eiusque imagine torpentia virorum pectora excitare, ac florentissimæ pubis desueta virtuti corda ad gloriam, ac decus accendere.

Et quamuis alias CHRISTINAE AVGVSTAE sanctioris Mineruæ peplum, non acu pictum, aut Phrygionis opere confectum, sed rudi contextu sola tanti nominis atque argumenti maiestate pretiosum, populis adorandum veluti in pompa prætulerim: magnorum tamen Panathenaicorum more, non nisi exacto quinquennio iterum spectandum exhibeo. Hoc vnum interest, quod olim in Attide quinto quoque anno eadem pompa, eadem pepli pictura erat, scilicet Titanomachia, ac Palladis de Encelado trophæa, eadem rerum simulachra

mulachra oculis obijciebantur: at Suecici pepli novus post quinquennium contextus, aliud argumentum, non eadem opetis indicatura, diuersæ rerum species, noua decora, novus rerum mihi nascitur ordo.

Quicunque primum nostræ Pallados peplum spectauere vix adhuc oculis suis credunt, atque admiratione timidissima, grande hoc naturæ miraculum venerantur, illucq; identidem mentis oculos attoniti vertunt. Regiam virginem, regum maximo ac fortissimo editam, vetustissimi imperii, ac ferocissimarum gentium, quibus orbis domitor populus succubuit, Romanaque laus attonsa est, potentem, GVSTAVO, dum summæ spei imminet, inuidia fatorum intercepto, in ipsa fere infantia magnorum exercituum præfectis mentem ac robur, clarissimis victorijs fiduciam, ac diuos præbuisse. Inde puellaribus annis bonarum artium studiis supra sexum atque ætatem penitus addictam, omnibus principalis fortunæ, vitæque ipsius blandimentis abruptis, & vel concessis voluptatibus abdicatis, incredibili labore, ac felicitate omne genus studiorum emensam, librosque omnes peruagatam, omnium ferè gentium linguis loquentem, Græca, ac Latina eruditione vsque in virorum ruborem excultam, omnique literarum amœnitate interius imbutam, etiam solidiores disciplinas, ac philosophantium placita prodigioso ingenij captu complexam. Qua inexplebili doctrinarum omnium siti, atque inaudito discendi ardore ex orbe toto clarissimorum ingeniorum delectum habuisse, quos viros maximis atque inuidiæ capacibus præmijs euocatos, Regio fastigio adstitueret, certe cum illis non tam priuatis officiis, atque omnibus clementiæ exemplis, quam labore, atque industria contenderet. Cum Arctoas noctes lucubrando ducens, percunctando ac commentando vna plures fatigaret, sibique infesta attenuatum vigilijs corpusculum, ingentis spiritus magnitudine fatiscens, ceteris diutius in opere detineret, omniumque postrema furtim subrepenti quie-

tis necessitati succumberet. Ad extremum cum per ætatem licuit Regni gubernaculis admotam, non modo in iuventa tantæ moli parem, sed longè promotis imperij finibus, ac producto pomærio, externis bellis compressis, donata hostibus pace, animi magnitudine, ac prudentia viros, iustitia, ac mansuetudine Reges omnes anteivisse.

Hæc atque alia innumera non tam peplo, quam mortalium animis ad æternitatem impressa, iure humana conditione maiora omnibus visa sunt, plusque admirationis quam fidei apud posteros habitura, quibus certe nihil ad laudem addi posse omnes fateantur Nihilominus si cum hujus quinquennii rebus gestis conferantur, modica jure videbuntur, leviquc brachio transmittenda. Ex quibus duo præcipue, quæ vix apud præsentes fidem inveniunt totius pepli picturam occupabunt, omniumque oculos ac mentem rapient, omniũ gentium linguis, omnium seculorum memoria celebrabuntur. Quid enim illustrius, quid juventuti studiorum initia delibãti aptius, quid huic loco ac tempori accommodatius, quid ad huius seculi commendationem augustius dici, aut excogitari potest? quam ab regia virgine, ætate ac forma florentissima, omnibusque naturæ ac fortunæ donis vsque in miraculum exculta, studiorum, ac sapientiæ causa, indictum etiam legitimis voluptatibus bellum, Musarumque & intactæ Palladis exemplo, illibatum pudicitiæ florem servatum, mentemque integram, & puram in corpore castissimo literis tanquam sacris adhibitam: quodque omnem prorsus fidem atque admirationem exsuperat, Imperio sponte abdicato sceptrum, ac diadema iisdem studijs donatum. Quanquam aliquid majus publica expectatio concipere audet, quod olim prædicabitur, nunc intelligitur. Interim vtroque mens attonita stupet, nec satis verba eluctatur. Sed iam pompa venit, iam peplum expanditur.

Admirabili specie, viridissimo flore, iam sui iuris adulta Virgo, tot sceptris dotata, tot Regum procatu iustos Hymenæos,

næos, ac maritalis fulcri genium aversatur: avorum quibus posteros, populorum, quibus Reges debet, vota eludit: naturæ fœdera ac solatia, humanæque societatis vincula repudiat. Spem generis, blãda matris vocabula, dulce liberorum pignus, educationis gaudia adspernatur. Quo scilicet mens ab omni mortali contagione subducta, corporisque, agrestis atque impotentis domini soluta servitio liberius evagetur, atque origini suæ admixta propius cœlo admoveatur: nullis vel castis voluptatibus à suscepta studiorum ratione abstrahatur, nullis curis avocetur, nullis demum illecebris abducatur. Solo literarum amore accenditur, sola discendi cupiditate æstuat, solam deperit sapientiam, libros amplectitur, atque osculatur, ijsdemque incubat, inde generoso conceptu, victuros æternum fœtus parturit, quibus literarium orbem fœcundet. Atque vt olim Epaminondas cum sibi orbitas obijceretur, relinquere natam ex se pugnam Leuctricam gloriabatur, quæ non solum ipsi superstes, sed etiam immortalis futura esset: sic Augusta virgo, mater senatus, mater castrorum, mater literarum & nunc, & olim appellabitur.

Non ineptè igitur vetustas credidit Cupidinis tela, quibus ipse deûm parens, atque hominum Rex non semel cessisset, ac reliqua Numina succubuisse, adversus Mineruam, Musasque, ac Dianam semper irrita cecidisse, fractumque ab ijs arcum, & faces exarmatas esse: quod Pallas supercilio, ac Gorgone & comãte galea puerum exterreret: Pierides semper occupatæ, carminibusque pangendis intentæ deprehenderentur: Phæbe venatu saltus agitando nullum procaci ac desidioso Numini locum relinqueret. CHRISTINA inter imperij ac literarum curas perpetuis corporis atque animi contentionibus, impenetrabili pudicitia, omnẽ vel casto Cupidini aditum obsepsit, nihilque præter literas amare potest humani generis amor, ac delitiæ. Quanquam Musas & Dianam, cum Augusta in contentionem pudoris descendere tantæ majestatis injuria sit. Cum ex virgineo choro non paucas

ſine auſpice maritas fuiſſe ſciamus, Dictynnam vero, vt nihil actum ſit in montibus atque ſpeluncis, vbi in opere lauandi corpus à venaoribus deprehendebatur, virginem parturientibus obſtetricari ſolitam accepimus. Sicut Palladem illam intactam, pudoris qui cum veſtimentis exuitur, prodigam in certamine formæ nudam, lentis Phrygij paſtoris oculis ſe contrectandam præbuiſſe. CHRISTINA caſtiores Muſas, verecundiorem Lucinam, ſanctiorem Mineruam exemplo reddere poteſt, extra exemplum ipſa. Itaque cum poeta exclamare libet.

O quam te memorem Virgo, namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat. Adijcerem.
O Dea certe, ſi id ſanioris ſeculi diſciplina pateretur.

Certe virtutis ac ſapientiæ cauſa poſt domitos affectus, ac compreſſas cupiditates, ſponte de tanto faſtigio deſcendere, ſibique imperium abrogare, ſi res diuina non eſt, proxime ad diuinitatem accedit. Hoc eſt non tam populos, quam ſe ipſam in libertatem aſſerere: imperium quod ciuibus remiſit, aduerſus fortunam exercere, hoc fatorum vim in poteſtate habere: relicto regno ſupra reges omnes eminere: hoc demum nihil ſuperis debere præter bonam mentem.

Pauci admodum tot ſeculorum decurſu reperientur, qui ſponte imperium abdicauerint, ſeque in ordinem coegerint: at longe plurimi peneque innumeri, qui illud per omne nefas, per ignes ferrumque adpetierint, arripuerint, inuaſerint. Inſita ſcilicet humanis pectoribus regnandi cupidine iam inde ab ipſa naſcentis orbis innocentia, Heroiciſq; temporibus, cum nequaquam malum eſſe imperare, ante bis mille annos Homerus vates prodidit, quoniam illico domus opulentior fieret, & ipſe honoratior. Quamobrem in Solonem vnum ex ſeptem ſapientibus, qui cum Athenis cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa, ſub imperium non repugnantibus ciuibus accipere potuiſſet Regium nomen abominatus, domina-

minationem respuisset, illa vulgo non inepte iactata sunt.

Cerebro caret Solon: caret ille pectore,
Munera Deorum quoniam oblata respuit.
Mens excidit prorsus, prorsusque animus abest.
Regnum cœpisset potius, & tantas opes
Diem vel vnum: cædi post instar vtris
Sese pateretur, ac vniuersum genus.

Cuius sententiæ Siculus tyrannus fuit, dirus ille quidem sed cautior, qui regiam potestatem non nisi cum anima amittendam aiebat, nec quenquam sanum hominem imperio excessurum, nisi per pedes inde efferretur; cuius filius regno pulsus cum non alia posset, aperto ludo literario, imperij imaginem retinuit, ferulasque, illius loci sceptra tractans cum secures non posset, virgas in capillatos distrinxit.

Inde seculis omnibus sæua dominandi libido, ac rabies omnia humana diuinaque iura subuertit, orbemque rapinis, cędibus, atque incendiis repleuit. Non alio argumento veterum tragœdiæ perstrepunt, & Deorum exemplo confessis sceleribus patrocinantur. Cum Saturnus parenti Cœlo, ne sibi imperii socium procrearet, diuinitatis virilitatem absci-dit, eodemque consilio recens natos infantes voraret: fortunatior vtique futurus, ac tutior, si se ipsum quoque fecisset intestabilem, nec dum vetat facinus, docuisset. Quippe ab Ioue, qui patris mortem, quod hominum votum est, sperare non poterat, non tam solum, quam cœlum sublata postliminii spe vertere coactus, atque in hanc insulam immenso oceano circumfusam, veluti in Gyarum relegatus, hoc filii pietati imputauit, quod non in barathrum deiectus esset.

Et mirabitur quisquam inter homines nimia dominandi cupidine cœcos nullam fidem regni sociis esse, omniaque naturæ, ac sanguinis iura violari: effœti parentis iugulum, quod nimium improbas spes moraretur apertum, aut elisũ: tremulos senes vulgato regnorum instrumento, ciboque Deorum in cœlum descendere coactos: toties germanos in-

ter se furiale ferrum strinxisse: hinc fratrum acies, alternaque regna decertata, atque intra eosdem penates paria cōposita, & discordem rogi flammam: illinc primum Romani Imperii cespitem fraterno sanguine imbutum, exiguumque asylum parricidii mercedem, & causam. Ipsos parentes erepto spiritu quem dederant, natorum carnifices factos, cunctaque regno viliora.

Dabitur hoc Christiani nominis, ac seculi honori, ne quisquam principum nostrorum nominetur, apud quem potior regni cura, quam sanguinis fuerit, quique in nato vnico totam pene stirpem extinxerit, omnemque spem successionis abruperit. Nec qui fratrem ingenio commotiorem mollissimo lethi genere, eodem familiæ periculo sustulerit, & luxerit. Sit hoc barbarum exemplum, atque Ottomanici furoris lex prima, imperium ab parricidio auspicari, eiusque securitatem omnium necessitudinum cæde sancire. Parcam auribus vestris, nec diræ stirpis rabiem ab exordio euolvam. Vnus Selimus gentis, ac seculi illius infamiam onerabit. Qui non contentus Baiazetem patrem, quod prauas eius cupidines viuaci senecta extenderet, veneno sustulisse, vtrique fratrum, à quibus ætatis prærogatiua vincebatur, laqueo gulā fregit, omnesque eorum filios, atque affines necandos mandauit. Creditur etiam animo agitasse vnicum filium Solimannum reliquis addere, ne id à se expeteret, quod in parentē peccauerat, in idque interiorem tunicam veneno imbutam transmissam, quod ille periculum ægrè euitauerit. Cumque Selimo tanta feritas, ac proprij sanguinis infanda sitis obiiceretur, ita dicere solebat, nihil regno dulcius esse, seque ad sæua consilia necessitate adactum, nisi præuerteret passurum, quod ceteris intulisset, nec vnquā fore securum si quisquam ex Ottomanica stirpe superfuisset.

Nihil itaque mirum est, tanta regnandi insania, quod initio dicebamus, tam paucos ab omni æuo repertos, qui eo sponte cesserint, ad quod sæpe non nisi per fœda atque illi-

cita aditus est, cuius conseruandi causa res diuinas atque humanas proculcare ludus est, ac votum. Rari inquam qui se ipsos imperio multauerint: rarissimi qui intellexerint majus esse regnum fastidire, quam habere. Si Romanos Cæsares excutiamus, inter quos etsi malorum maior numerus fuit, non pauci laudabiles extitere, primi Diocletianus, ac Maximianus occurrent, qui post multos principatus annos, spreta summi honoris maiestate, priuatam vitã Orbis imperio prętulere. Sed quicunque reputauerit alterius, terræ filij, inauditã superbiam, qua se ipsum consecrans, viuo sibi diuinos honores haberi mandauit, ac pedes osculandos præbens venerantium officia, totamque adorationem intolerando fastu infra vestigia deiecit: vtriusque plus quam barbaram immanitatem, qua duæ illæ Christiani nominis pestes, sanguinisque spongiæ innumerabilium martyrum cruore orbem inundarunt, facile intelliget, non moderatione, ac quietis studio illos sibi regnum abiudicasse, nec constantibus decretis ad priuatam vitam tolerandam animum firmasse, sed diuis vltoribus mentem hebetantibus, cœcoque tortore surdo verbere animum vastante, tot scelerum pœnas à se ipsis expetisse, tædioque lucis, & angore cadentis in irritum spei, quam de Christianorum excidio conceperant, fugisse imperium, non reliquisse, secessumque ac latebras flagitiis ac sero flagitiorum pudori quæsiuisse. Haud obscura coniectura quando non multo post Maximinianum præcipitis consilij pœnitentia subire cœpit, qui in ipso repetendi imperij conatu, Constantini iussu, cui insidias struxerat, interfectus est. Propositi tenacior Diocletianus, sub cuius gladio tot millia mortalium gemuerant, hortorum culturæ intentus ipsoque contemptu tutus, decem annos durare potuit: tandem Maxentio fauisse creditus minacibus eiusdem Constantini literis conterritus, epoto veneno publico odio satisfecit: quanquam alii memorent mentis stupore, longaque ægritudine confectum, inter suspiria & lachrymas damnatum spiritum effudisse.

Ceterum ſciſſo in partes, ac vergente demum Imperio nonnulli Cæſares, ac Reges rebus humanis cum earum arbitrio valere iuſſis, non ſolum in æquum, ſed in infimum deſcenderunt, nec regnum modo, ſed cœtum, ac frequentiam fugitantes, intra anachoretarum ſepta abditi, ſqualidi contextus lacernam purpuræ præferentes, tam demiſſe ſeruierunt, quam olim ſuperbe imperauerant. Ex quibus ſicut aliquos Numinis inſtinctu hoc egiſſe credere debemus, ita illud omnibus compertum, non paucos aut curarum tædio, aut impendentium malorum metu, pleroſque animi imbecillitate, languoreque & inertia tota rerum ſumma cum fortuna decidiſſe, & iactatis ſarcinis exoneratos in cœnobium veluti in portum confugiſſe: magnam partem præſertim in aula Byzantina inteſtina fraude, ac domeſtico latrocinio ſolio detractos, atque effoſſis oculis in ludibrium attonſos, in monaſterium tanquam in piſtrinum detruſos. Qui quidem perierant niſi perijſſent, nam aliqui neceſſitate in ſapientiam verſa, apertis animi luminibus veteribus noxis expiatis ad beata ſempiterna regna tranſierunt.

Nam quid attinet percenſere in tota Pontificum ſerie, etiã cum ſæuiſſimis Cæſarum inſectationibus conflictarentur, ærumniſque ac paupertate premerentur, vnum modo repertum ſenem optimum & innocentiſſimum, qui ſiue antiqua ſimplicitate, ſiue quod olim Cæſar de Sylla dictaturam abdicante dicere ſolitus eſt, literas neſciret, ſiue priſtinæ quietis, ac ſolitudinis vnde in illud culmen inuitus euocatus fuerat deſiderio, ſiue ſucceſſoris fœdo ambitu circumuentus rerum humanarum diuinarumque regimen dimiſerit, ac pro mercede in teterrimum carcerem compulſus, angore ac tædio extabeſcens nimiæ credulitatis, ac facilitatis indignas pœnas expenderit.

Satius eſt alterum eiurati, ac fruſtra repetiti regni, ingratique, & impii aduerſus parentem animi exemplum tetigiſſe. Alphonſus Arragonius Neapolis Rex ingruentibus Gal-

lorum

lorum armis repentino oppressus, populique, ac procerum odio ob asperam atque immitem naturam impar, proximi exitii horrore persusus, discedere è medio statuit, ac Ferdinando filio rerum atque imperii cura relicta, in Siciliam exitum illius tempestatis opperiens priuatus secessit. Sed post alternas clades, casusque bellorum ancipites, cum Ferdinandus inuicto animi robore, singulari virtute, ac populorũ fauore amissum regnum recuperasset, Alphonsi animum licet in sacrorum hominum contubernio rerum humanarum contemptum præferret, veteris potestatis dulcedo subiit, qui cupiditatem callide obtegens, præter veteres thesauros quos secum asportauerat, etiam operam suam filio obtulit, si ad profligandum bellum vsui futura videretur: neque se imperii quod tam cupide donasset fulgorem deposcere, sed solos labores sociaturum, atque intra Capuanam arcem procul ab ambitu reliquos dies tranquillissime acturum. At iuvenis cætera egregius, insana dominandi cupiditate væcors, cuncta regno post habenda ratus, humani iuris oblitus quasi nob intelligeret, specie pietatis rogare patrem instituit, ne se iterum regni procellis, ac fluctibus crederet, nec à à portu quem fortiter occupauerat, nouo æstu se in altum abripi pateretur: curis annisque ætatem fessam respiceret, ad extremum ne res nondum planè confirmatas, maleque coalescentem victoriam immaturo aduentu, vetera Andegauẽsium atque Arragoniorum odia renouans disturbaret. Sic intempestiua cupiditas incertum callido magis, an impio artificio impudenter elusa est. Adeo pauci sunt qui imperia abdicent, vix vnus aut alter quem non pęnituerit abdicasse.

Vltimus regnantium sicut nulli Cæsarum secundus Carolus V. auorum memoria vltro se terrarum marisque imperio spoliauit, atque orbem quem victorijs peragrauerat, in filiũ reclinans, id pro quo tota vita pugnauerat, tanquam rem superuacaneam dimisit, incertum gesti, an repudiati imperij titulis illustrior. Sed magnum hoc rarissimique exempli decre-

tum

tum adhuc in ore famæ versatur, varijsque interpretantium sententiis extollitur, arguiturque. Quippe tot laboribus, ac sæuissimis morbis domitum fractumque & partim nimia felicitate fessum, partim intercurrentibus aduersis fatorum inconstantiæ admonitum, nec tacito filij conuicio iam grandi ætate imperium reposcentis ad actum, præterea indies prævalentibus Gallorum rebus, properasse omnem in se fortunæ licentiam adimere, eoque sponte cessisse, cui ferendo se imparem intelligebat. Sane non tam prudentibus, quam ipsi demum auctori consilium displicuisse haud inani rumore iactatum est. Nam præter aulæ cultum, ac venerantium officia simul cum ipsa fortuna alio repentè translata, totamque adorantium turbam humanæ gentis vitio ab Occidente sole, ad Orientem conuersam, cum in Hispaniam adpulisset infrequēti procerum occursu non solum circa se solitudinem, sed etiam paupertatem esse sero reputasse. Quippe cum ex tot regnorum tributis atque Indica gaza, centum millium censum seposuisset, ejusque summæ haud magna pars diuidendo inter seruos, quos dimittebat donatiuo destinata lentè, atque ægrè expediretur, rei indignitate commotum, tum primum intellexisse quam sibi parum amicus fuisset, qui se vivus exhæredasset. Reperio apud scriptores illorum temporum, creditum à quibusdam esse, Cæsarem ipsa abdicationis die fluctuante animo propositum damnasse. Nam cum Cardinalis Granuelanus aliquot post annis in sermone familiari, Philippo Regi reuocasset in mētem, cum esse diem quo magnus parens vivus imperium ipsi legasset, non ambigue responsū, eandem diem esse qua illum præcocis liberalitatis pœnituerit. Vt cumque sit, non vnam abdicandi causam, ac necessitatem fuisse certum est, quando illud etiam iactatum audiuimus, secretum, ac spatium Cæsarem præoptasse, vt quæ bellorum ac temporum, imperijque licentia in res sacras deliquisset, in se veluti recedens, seque pænis grauans, bona fide apud Deum priuatus expenderet.

Quo-

Quotusquisque ergo ab orbe cōdito repertus est, qui summum ius ac Dijs æquam potestatem, quam omnes homines natura flagrantissime concupiscunt dimiserit? Sane vnus modo, aut alter & fortasse nullus, qui altitudine animi, virtutis ergo, ac beatæ vitæ affectatione sceptra calcauerit, imperiumque sibi, ac superis donauerit. Nam vt initio memorauimus, quicunque de se statuerunt, regnique insignia sibi detraxere, id aut formidine compulsi egerunt, insidijs appetiti misereque solliciti, quod retinere non poterant proiecerūt. Aut regni ipsius mole degrauante, magnæque fortunæ seruitutem experti diu, ac pertæsi, ignauia ac socordia ad vilitatem sui descenderunt. Alij demum desperatione ac tædio scelerumque memoria animum lacinante, dijs atque hominibus inuisi, se populorum conuicijs atque execrationibus subduxerunt. Certe nulla vnquam fœminarum, qui sexus potentiæ auidior habetur, ac tenacior, imperium in viros, siue natalium, siue fortunæ rarissimùm munus remisisse audita est.

Prima ergo CHRISTINA, ac fortasse postrema quam fortiter administrati, tam generose repudiati regni decus feret incomparabile: hoc vnicum indignata, quod non licuerit sibi totius orbis imperium literis impendere. Et licet prima illi antequam regnum capesseret eius deponendi meditamenta fuerint, magnumque hoc consilium omnibus præterquam ipsi auctori improbandum, diu ante coxerit, ne tamen muliebri imbecillitate despondisse animum videretur, permisit se regno, breuique ostendit, non animum modo sibi ac vires superesse, queis gentem indomitam, perpetuum Orbis terrorem, Romanique nominis excidium, tot recentibus victorijs inflatam frænaret, sed minime desiderabile virorum imperium redderet. Nulla mulierum flagrantioribus populorum studiis magisque effusa, veneratione vsa est: nullus virorum maiore reuerentia, magisque addicto obsequio cultus est. Facilitas, ac mansuetudo infra sexum erat, vultus con-

constantia ac maiestas etiam supra virum fuere. Cum summi copiarum duces ac præfecti, tot victoriarum ministri, tot trophæis inclyti, quorum audito nomine magna orbis pars contremuerat, in eius conspectu regio fulgore perstricti hærerent, vixque hiscere auderent: armati exercitus trepidarent: Senatus eius nutum respiceret, dictaque ceu oracula veneraretur. Cum omnibus regni curis sola sufficeret, omnium gentium legatos audiret, eadem inter maximos reges pacis sequestra discordantem orbem componeret: nonnunquam districto in sontes gladio terribilis, licet raro suppliciis vsa, atque humani sanguinis parcissima, tantundem semper lachrimarum profundens. Postquam ergo se regno parem satis ostendit, maiore gloria abiecit, quam si intentatum fastidisset. Totum tamen illi in hoc negotio certamen aduersus ciuium ac procerum voluntatem fuit, qui se deseri inconsolabiter conquesti, nihil aliud ab ea in regno peccatum esse fassi sunt, quam quod illud reliquerit; peneque hoc vno obsequium exuerunt, vt illam imperare cogerent inuitam; certe lachrimis quas toto imperii tempore nemo viderat abeuntem prosecuti sunt.

Nunc vero CHRISTINA etiam post imperium semper Augusta, hoc vno decreto te ipsam absoluisti, totque immortalibus operibus imposuisti magnum diem. Iam tui maior, ac spretis venerationis causis venerabilior, solidæ felicitatis compos effecta, quod soles, exclamare potes:

Sum felix tamen, ò superi, nullique deorum
Hoc auferre datum.

Regiam fortunam auferre tibi potuisti, nullus superum huius facti gaudium, ac conscientiam eripere potest. Quanquam si contra tueri, atque alloqui fas est: potes tu quidem imperii insignia ac titulos tibi inuidere, obterere fasces, dimittere satellitium, tot armatorum millia sacramento soluere, maiestatem tibi detrahere non potes, lumenque diuinitus regnantibus impressum abolere, te ipsam abdicare, at-

que

que in numerum cogere non potes. Hoc sidus proximi æmulum, non conditur, sed ab axe extremo in cœli verticem enititur: hic sol non occidit, sed transit, atque altius euehitur. Vnde spes quoque nobis extremo orbe disiunctis, qui te magis quam fortunam tuam coluimus, quod hactenus auribus debuimus, oculis imputandi.

Tunc nemo Mineruam ac Musas, sed CHRISTINAM abdicantem studijs aduocabit, tibi vota faciet, sacrumque hoc peplum, non modo regnum, nunc quoque tuum, sed vniuersus orbis attonitus venerabitur. DIXI.

ALEXANDER MAXIMVS
Prolusio XX.

HEliconias fores denuo pandi, Musarum delubra reserari, sapientiæ templa serena patescere: adolescentium studia æmulantium cœtus reflorescere, novum iuventutis examen, nouos adultæ gentis fœtus cogi, nouam rei literariæ spem produci, & Camænarum lacte educari: intermissa diu munia repeti, veteresque labores de integro resumi, atque ire in orbem, sicut gentibus omnibus miraculo est, ita nos ipsi qui hæc loca incolimus vix fieri posse nobis persuademus, & veluti turbulento somnio circumamicti tentamus oculorum fidem. Quippe strepentibus circumquaque bellis, totoque Orbe insolitis armorum motibus concusso, & lacero, nullaque terrarum parte aut furiis, aut metu vacua. Præsertim bellorum omnium funestissimo hoc, quo duodecimum annum res Veneta vritur, & ab immanissimis rerũ diuinarum atque humanarum prædonibus, vna cum Iouis patria, Christianus Orbis circumsidetur: magnaq; mater Deûm inuecta leonibus sola res Italas, sola imperii claustra, ac publicos penates, spectantibus, aut furiali dissidio implicitis Christianis principibus, vltra Troiæ fatum, ac decennalem fa-

fabulam tutatur. Cum interim ab eius contubernio divulsi Galli, post trium & quadraginta annorum cum terrarum imperii æmulis, dimicationem, nouissimo conatu Insubriam perpopulati, sacratas studiis vrbes, Musarum domum excindere nuper infeliciter tentauerint. Hinc Arctoæ gentes, Svedique, & Sarmatæ mutuo incursu collidantur, ac suffecturas in Ottomani perniciem vires impio certamine profundant: plusque illud sit quod ab toto Orbe diuisis populis, atque vltima Thule, post Regum supplicia & Regnorum funera timetur. Attonitis omnibus, & tam imminentia vndique mala circumspectantibus, quam quid timendum sit haud satis scientibus; Quis fieri posse putet, cuiquam mortalium tantum otii superesse, aut animi, vt hac rerum vastitate, & pene dixerim extrema mundi periodo, vacare studiis possit, respicere literas, in gymnasio otiose inambulare, disputationibus tempus terere, inter discentium greges dictata perscribere, & veluti altissima tranquillitate cum Musis placidissime commentari?

Res Veneta secundum Deos ciuibus atque exteris hæc otia præstat, otiique ipsius summo imperii discrimine fiduciam. Vt non immerito quis hanc Musarum stationem Olympi montis fortunæ assimilauerit: nam cunctis infra nimborũ ac tempestatum rabie infestis, innoxius vertex, nubesque despectans beata serenitate renidet. Ingens profecto incitamentum exerendæ virtutis, atque effusæ inuicti Senatus impeditissimis ærarii rationibus munificentiæ, omni obsequio, ac potius pietate reddendæ vicis; vt rarum hoc, ac pene diuinum beneficium vtraque manu, totoque complexu afferamus, & vt ita dicam fatis properantibus rapiamus.

Quæ verecundia omnibus esse debet, quotquot studiis operantur, ne grauissimo Patrum iudicio indigni videantur, neu quæ illi benigne fecerunt ingrata habeant & irrita. Verum enimvero nobis qui literas humaniores colimus acriores aliunde stimuli sub pectus aguntur, nouaque hoc anno

obo-

oboritur lux, noua spes affulget, hæc studia, quæ plus amœnitatis, quam aut dignitatis, aut fructus habere falso creduntur, promouendi inusitato, ac penè cœlesti argumento. Nam licet anteacto studia auspicaturus rarissimum summæ fortunæ specimen auditoribus meis contuendum obiecerim, Christinæ post imperium Augustæ, imperium ipsum virtutis ac literarum causa abdicantis, cui immortali operi extremam manum nuper imposuit, votaque mortalium absoluit: neque vltra quidquam adiici posse videretur, nec sublimius aliquid humana mens concipere fas putaret. Ecce vobis longe sanctius, atque augustius exemplum exorata terris Numina indulserunt: novumque sidus beatissima luce circumfusum, religioni, ac literis ex æquo beneficum, ac salutare, in editissima mundi specula, populis adorandum collocarunt.

Is est ALEXANDER VII. idem mortalium, ac Pontificum, non huius modo æui summus: ægro ac senescenti seculo, & studijs, quæ prope extincta, refouendis, diuorum atque hominum conspiratione admotus: accisis ac prope deploratis rebus, penè sero subueniens: cui similem, quod de prophano principe olim dictum est, numquam voto saltem concipere succurrat, & ideo non vulgari titulo, atque assentandi necessitate, sed humani generis consensu, PONTIFEX vere OPTIMVS, vere MAXIMVS.

Ab Ioue igitur studiorum principium ducere fas esto, atque erumpente lætitia iisdem studiis, ac seculo gratulari, eum tandem terrarum tutelæ Cœlo demissum, qui quo propius ad Deum, quem virtute magis, quam potestate refert, accedit, eo procliuius fesso Orbi dare pacem, aut alius nemo potest, literisque ac sapientiæ decus reddere, vnde illi ad rerum summam gradus proxime factus est. Neque vero mihi tantum ingenij, ac virium assumpserim, vt infantiæ meæ, ac tenuitatis oblitus, insano conatu diuinas vnici Pontificis laudes inopia sermonis humani temerare ausim, simul illam indolem,

dolem, illas dotes, ingenii culpa detererc; quæ illum ante rerum fastigium non modo reliquis hominibus, sed ipsa mortalitate superuexerunt: & licet ætate maturius, serius omnium votis, Romani Senatus principibus grandi natu prensantibus florentem annis prætulerunt: manifesto æternæ destinationis decreto, ne scilicet, quod ferme euenit, extremæ ætatis prærogatiua Orbis arbitrium acciperet, quo maturius expungeretur, animoque cum corpore senescente, & per ingenii languorem effœta virtute, tum demum rebus humanis imponeretur, cum eas proxime relicturus esset, sicque vitæ fex honore aspersa, ac funus modo decoratum videretur. Sed indeflexa maturitate, æui & sensuum integer, animoque in vegeto corpore virescente, publicę salutis gubernaculis admoueretur, quo diutius ægro Orbi mederi, diu Cœlum, atque incumbentia sidera ferre posset.

Nam quæ duo terrarum regimen capessituris necessaria sunt, cum morum sanctitas muneri par, tum mens tantæ molis capax, assiduo ac diuturno magnarum rerum vsu, ac sapientiæ studiis exculta: quas res non semper pastoribus populorũ adesse, tam æquo animo patimur, quam ferre imperium necesse est: easdem Fabio Ghisio ante summũ magistratum non modo abunde fuisse, sed vsque in miraculum excelluisse tam palam est, quam solas illi festinato imperium peperisse. Cum sanctitatem dico, non eam intelligo, quæ in speciem honesti atque exerciti composita, desidem, atque alieno arbitrio obnoxiam vitã intra sacella agens, sicut facile & sine incommodo habetur, ita plerumque inertiæ, interdum & nequitiæ obtenditur: sed illam sinceriorem atque interiorem, quæ iuuando mortales Deum æmulatur, alienisque culpis placabilior, sibique infesta, semperque intenta, ac rigida, nullius vnquam voluptatis gratiam corpori suo facit, sed frænandis cupiditatibus, ac domandæ mortalitati perpetuo insistit.

Talem suopte ingenio, non in ostentationem, Pontificem nostrum semper fuisse, haud mihi laborandum est vt ostendã;

cum

cum ferme in excelso ætatem egerit, factaque eius cuncti mortales nouerint. Et aut Romæ in humani generis conuentu, aut in Germania in altero virorum sed cultiore concilio, paulo ante in Senatum adscriptus, delectus vnus, qui Vicariam Numinis maiestatem in vltimas terras porrigeret: ipso Numine iam tum illi ad Pontificatum viam præstruente, ipsoque Pontifice quam bene eius humeris sederet imperium experimētum capiente. Ibi quis nescit obuerso in eum Christiano Orbe, oculisque mortalium coniectis, non modo inter tot principum Regumque legatos, florem virorum, ciuilis prudentiæ, ac regnandi artium summos, sed inter Romano nomini infensissimos, cuncta morosissime scrutantes, eumque frustra ex Vrbis, ac seculi ingenio æstimantes, non modo aliena inuidia non esse ambustum, sed inter hostes venerationem virtutis, quam oderant inuenisse, ac futuri Pontificatus præsagium eorundem prærogatiua tulisse.

Tanta illi, incorrupto Legati honore, comitas, tanta in aditu atque alloquiis facilitas, is capitis honos, atque amabilitas oris, ea in conciliandis principum animis dexteritas, tum firmandæ pacis consiliis, ac componendo Orbe non diu, non noctu, intermissa contentio. Sed præcipue interior vita, quamquam premeretur erumpens, incompti castique penates, nihil venale, aut turbidum, familia, ex qua herum facile æstimares, eos quoque serio rapiebant, qui talia fingi credunt, aut eludunt. Illa autem etiam attonitos reddebant, quanto illis gentibus rariora, ac pene incognita. Scilicet imbecilla corporis habitudine, & ideo valetudine tenuissima, crebra ieiunia, terque in hebdomada repetita, vix priscis illis ac duris anachoretis ferenda. Et quamuis alias promiscuo ac paupere victu ventri bellum indixerit, extremo hebdomadæ die exigua Cerere naturæ desiderium sedare solitus, ac profluente sitim leuare, sub eo maxime Cœlo, vbi conuiuia de die inire, noctesque potando continuare, atque ingentibus poculis obrui, & ex conuiuio tanquam ex prælio

inter manus efferri, insana dulcedo est, ludusque & comitas appellatur. Quam vitæ duritiem etsi parietibus tegere conaretur, nobilis pallor, atque honesta macies, lapsæque genæ prodebant; non tamen ob id deteriore forma: nam ipsa dissimilitudine inter ora turgentia, inflatas mero venas, buccasque rubentes, speciis languore commendatior erat, pallens serenitas, fulgorque fugiens, qualis est Solis cum ad occasum vergit. Interim squalor, atque adpressi corpori sentes, scissique flagellis humeri purpura tegebantur.

Neque in eo quidquam æquata superis potestas mutauit, aut prioris vitæ institutis addidit, quam vt prodesse mortalibus tantundem posset, ac vellet: seque attentius aduersus summæ fortunæ blandimenta custodiret, ne malis inuictus animus immensa felicitate corrumperetur. Quis credat? Primæ illi principatus curæ, supremorum meditatio fuit, ipsumque Pontificatus rudimentum, ab vltimæ legis necessitate positum est, qua nascendi sorte distinguimur, exitu æquamur omnes. Ergo cum primum se Regiæ penetralibus ad ingens nomen capessendum intulit, simul arcam inferri, in qua mortuus efferretur, iussit: eaque iuxta humilem, nec multum pheretro absimilem thorum adstituta, versoque in sepulchrum pontificali cubiculo, neque vitæ tædio, cuius fructum libabat, neque honorum satietate, quorum fastigiũ inibat, viuens Monumentum, quod hæredes non sequeretur fecit, vt sibi superstes, suo funeri quotidie interesset, neque in longum vitæ cupiditatem foueret, qui sic mortem antecaperet, intra illud solium ab Augustali dispar, omnes humanas spes condens, ibidem suas opes sitas, suos thesauros dictitans, quos scilicet nullæ manus subitis auidæ, atque apud senem festinantes interuerterent.

Reliqua eodem diuinæ moderationis tenore pene infra priuatæ fortunæ conditionem. Pontifexque nisi virtute, atque innocentia à reliquis differens. Ita pro eburno Regis sacrorum puluinari, auro & purpura radiante, breuis & stra-

mentitius grabbatus, Imperii curis durior. Non auro & gemmis infusæ epulæ, non prouinciarum tributo instructa popina, non ab orbe vltimo petita, aut naufragio redempta fercula: non crebri missus, & prophanæ aulæ ingenium: non luxui par, Regibus inuidiosum seruitium: sed antiqui strictique mores: eadem parcitas, & inedia, maior vigilantia Pontificiæ stationis excubiis aucta. Non cognatorum turba, parens omnibus idem: vt nemo minus quam affines factum Pōtificem senserit. Non altus Regiæ trucis vultus: duræ fores, admissionum tormentum, & contumeliosa humanitas sublata: anxia annonæ procuratio, insitata in egenos profusio, cuncta in exemplum composita, eodem humanum genus emendatura.

Et adhuc in limine Pontificatus, ac maximarum rerum apparatu stamus, quorum sola imagine obruimur, ac futurorū contemplatione fatiscimus. Itaque dare vela retro cogimur, atque ad id quod instituto nostro atque huic loco aptius est orationem conuertere. Scilicet Alexandrum non innocentiam modo cœlestibus parem, sed sapientiæ, quantamcumque humana mens capere potest, studia, præcipue amœnioris eruditionis decus ad Pontificatum attulisse, vt vna sacrorum ac literarum imperium inisse visus sit, nec tam illi mortalium cœtus venerabundus procumbat, quam literatorum chorus ingenij fasces trepide submittat.

Equidem existimo nihil illustrius, ac magnificentius dici, aut excogitari posse, nulloque acriore stimulo iuventutem accendi, atque inflammari, nec alio literas nostras ambitiosius se circumspicere, quam hoc seculi languore, hoc bonarum artium neglectu, quo scire literas res plebeia, ac nugatoria, nec maiestate modo principis, sed mediocri fortuna inferior habetur, duos memoria nostra mortalium, ac literatorum summos extitisse, hisque præsidijs atque instrumentis, quod est in rebus humanis amplissimum consecutos, incertum reliquisse, plusne dignationis à Pontificatu accepe-

rint, an eodem refuderint: certe ſuſcipiendo gerendoquè maiorem feciſſe. Sed Vrbani decora claris ingeniis memorata ſunt, Alexander nobis, ac poſteris hac quoque parte dicendus eſt, religioſe quidem, ac trepide: quippe cuius ditione, & nutu non modo maria & terræ, ſed artes ac diſciplinæ regantur: ſed & ſimpliciter, quando cœleſtium quoque laudes ſine affectu peraguntur, nec vlli vnquam vitio fuit, quod magnus ille ait, Deos colere quoquo modo potuit.

Eludant vt lubet torui quidam ac ſubagreſtes, qui bonarum artium tractationem non eſſe regnaturo neceſſariam, nec Reipublicæ fructuoſam audent affirmare. Scilicet inſcitiæ ac deſidiæ ſuæ conſcii, infeſtas vitiis artes oderunt, nec aut hiſtoriæ lumen, aut poeſis libertatem ferre poſſunt, nec tam odio quam pudore has vitæ atque imperii magiſtras inſectantur. Mitius ſed cum vulgo inſaniunt, qui diſciplinas quidem admittunt, ſed eas incomptas, atque horridas, ſqualore, ac ſitu, interdum & barbarie obſitas, & ſiue ingenii triſtitia, ſiue laboris tædio omnem ornatum, omnem literarum amœnitatem auerſantur. Vnus Pont. Alexander, niſi aliunde magnæ fortunæ exempla ſuppeditarent, imperitorum voculas obtundere poteſt, ſoluſque Muſarum pudorem abſoluere, iiſque ſpiritum, ac patriam, Regiæque ipſius penetralia redonare.

Quamuis enim ab ineunte ætate omni literarum genere animum imbuerit, aſſiduoque & pertinaci labore per omnes artes, ac diſciplinas capaciſſimum ingenium circumtulerit: ſapientiæ fontes adoleſcens hauſerit: matheſi non perfunctorie, neque ambitioſe deditus: præcipue rerum diuinarum contemplationi ſe totum tradidit, cœlique arcana ſolertiſſime ſcrutatus eſt: inde Iuris cognitioni diutiſsime hæſit, legeſque, ac ſcita Pontificia eorumdem futurus arbiter penitus imbibit; mox quæ in vmbra meditatus fuerat, in ſole, ac puluere per Legationes, & Præfecturas, Imperii arcanis, &

Chri-

Christianæ Reip. negotiis innexus atque innutritus, pari fide, ac solertia pertractauit. Ceterum amœniores literas non in pompam, nec tanquam otii velamenta ac diuerticula, sed principe studio, & quodam voluptatis ardore, eo effusius adamauit, quanto humanitatis titulus conueniebat eius moribus, easdem in oculis, in auribus, in amplexu, in omnibus delitiis perpetuo habuit, tantumque dilexit, quantum ab illis probatus est.

Ita siue illi publice dicendum foret, grandis & minime fucato nitore exsurgens, oratio non permulcere modo animos, sed concutere, & in iisdem aculeum relinquere consueuit; siue Pontificia effata in procerum, ac totius Orbis Legatorum consessu perferenda, sublime, & maiestati par dicendi genus fundebatur, tonareque & miscere Europam creditus, tanto ceteros mortales eloquentia, quanto nunc fortuna antecedens. Si publice aut priuatim quid scribendum, mollior incorruptæ Latinitatis tractus crebro lepore succinctus, multoque acumine exsurgens legentes rapiebat. Mitto exquisitam antiquitatis cognitionem, linguarum peritiam, præcipuæ Etruscæ mysteria etiam doctissimis ignorata.

Verum enim vero ex omni mitioris literaturæ genere in eam præcipue facultatem toto pectore exarsit quodam cœlestis naturæ impetu, quæ sideribus deuocata mentes, quas insedit, diuino afflatu accendit, atque impellit, sublimiaque vatum ora resoluit. Vt scilicet iam tum admittere Deum, patique adsuesceret, cuius speciem, ac maiestatem proxime laturus esset. Neque seuerioribus studiis, neque tantorum operum molimine, neque purpura indecorum studium condendi carminis arbitratus est, castissimasque Musas in contubernium admittere, & quod illæ loquerentur mortalibus prodere, quando viri olim Sanctissimi, Ecclesiæ proceres, ipsaque demum Oracula hac lingua loquerentur, ipsique Hebræi vates Deo pleni eadem fulminarent, & Theatra quaterent.

Qua ingenii sublimitate profundo ore ruentem Pindarum, Pindarique æmulum Romanæ fidicinem lyræ exprimere, atque ad eorum maiestatem, & cœlestem impetum, diuinosque motus assurgere nō infeliciter conatus est. & cum opus foret tenui filo carmen deducere, eodem Romanum Pindarum facile exæquauit.

Hæc a me non seruiliter fingi, aut oratorie in maius augeri facile intelliget, quicumque diuina eius poemata, serium iuventæ ludum ante Principatum evulgata non sine quodam horrore perlegerit, quibus tamen nihil dignationis suprema dignitas adstruere potuit. Quamquam ingenium cohibente pudore dissimulata nominis maiestate publicata sint. Neque sic tamen is fulgor condi potuerit, quin se proderet, spretaque gloria auctior redundaret. Nemo Philomathi MVSAS IVVENILES, nemo Nicii Erythræi epistolas ad Thyrrenum legit, qui illius mollissima carminum dulcedine, tum lepore, ac festiuitate, sententiarum amplitudine, granditate verborum captus, atque attonitus, huius iudicio, nec fictis laudibus animum percussus, non iisdem Musis ac Latio gratuletur, verumque auctoris nomen illico non deprehendat, votaque faciat, vt idem diu talia scribat, neque eum ab institutis studiis deflectat cura terrarum, talia scribentes foueat.

Hæc diuini ingenii monumenta mansura in omne æuum, tamque vasti imperii limites excessura, quoniam aut assequi, aut æmulari humana mens neque audet, neque potest: quod reliquum est vigilias, ac labores iisdem impensos, beatosque sudores imitari possumus, & debemus. Nam licet sacer vates, vatumque Maximus plurimum naturæ debeat, quæ illi singulares dotes, largosque honores benignissime dilargita est, eos præcipue animi impetus, qui instinctu diuinitatis omnem artem ignorant, aut dedignantur: assiduo tamen studio, atque indefessa animi ac corporis contentione, cum natura paria fecit, vt etiā, si sterilem atque illiberalem nactus esset, posset ab eadem vel inuita fructus vberrimos numquam in-

termissa

termissa exercitatione extorquere.

Nemo profecto ignorat ob eam causam quam sibi ille parum amicus, parumque corpusculo propitius, ne dicam infensus semper fuerit, quantopere illud per se spiritus magnitudine fatiscens vltro vexauerit, subegerit, eidemque extremæ senectutis lassitudinem imposuerit. Magnum est, raro pedē domo efferre, nisi publica munia ac negotia cogerent, vitare cętus æqualium, spectacula, ludos, salutationes abdicare: sed longe maius, eiusdem cubiculi septis attineri, ibique conditum ac situm diebus vti tanquam citò, noctibus veluti numquam moriturum. Nam quam parce ac duriter, & pene iniqua mensura corpus alere consueuerit, supra tetigimus. Idque tum castimoniæ studio, ac compescendis cupiditatibus, tum ne pars hominis nobilior mero, atque epulis distenta obrueretur, mentisque acies abdomine hebesceret. Sed dum solum animum pascere, atq; infinitam ingenii auiditatem explere curat, membra subtracto pabulo esuriales ferias residebant. Etsi enim vetere dicto venter attentus creditor sit, ac permolestus flagitator, nec se differri patiatur, tanta nihilominus erat animi studiis inhiantis discendi cupiditas, & quædam orexis, tanta inde mentis ab sensibus alienatio, ac veluti dissociatio spiritus, vt quod olim de Archimede proditum est, sæpius à domesticis necessitatis monendus, atque inuitus mensæ adstituendus esset. Hæc cum in summis magistratibus, atque in ipsa purpura factitasse nouerunt quicumque in eius familia, aut eiusdem contubernio vsi sunt: nec satis adhuc dicere possunt, quomodo corpus exhaustum ac pene enectum, tot laboribus sufficere, animus vero tantorum operum mole distractissimus, quasi hoc vnū ageret perpetim vacare studiis posset.

Porro alterum fessæ mortalitatis solamen, ærumnarum leuamentum somnus, blandaque per alternas dierum, ac noctium vicissitudines mortis imagine, vitæ reparatrix nocturna quies, dulceque curarum lenimen sopor, parcius quā

cibus admittebatur, minimaque pars noctium huic concessa, qui subrepens, breuique furto fallens multum repugnantes oculos, cadensque caput in subiectos libros reclinaret, raro tomento ac sisyræ crederetur, reliquum tenebrarum precibus, ac lucubrando inter Deum & literas diuideretur. Profecto si vita vigilia est, nemo intra senectam diutius vixit, nemo minus vini, plusque olei consumpsit. Sed hercule verum est, quod veteres prodiderunt, esse quandam studiorũ intemperantiam, nec minus sagina nimiisque delitiis, quam immodica duritie ac continentia homines laborare, nimiaque animi contentione deteriorem in dies valetudinem fieri, disciplinamque animo necessariam esse, corpori inimicã. Hinc illa exsucci, ac laboribus confecti corporis decora macies, nobis paulo ante non sine sollicitudine memorata, sanguinis ad interiora recessus, bonique coloris fuga: contusæ fractæque vires, sola spiritus, quo premuntur, magnitudine sustentatæ: tot tantoque impetu ingruentes morbi, salusque toties in incerto, anxiaque humani generis vota: in cœlum eminens, ac prope fugiens anima, diuorum miseratione repressa, membrisque suis hærere compulsa: ipsa membra toties ferro, atque igne vexata, exsecta viscera, carnifices calculi, atque humani corporis lapidicinæ.

Proh deûm atque hominum fidem! talia maximus omnis æui rector, talia Pontifex faciat, qui summa Cœli templa concutit! Nos inops, obscuraque turba, nos numerus, & seruientium pars non prima, expediendis alimentis ferme hanc vitæ sortem secuti, turpi, ac pingui otio marcidi, somnoque ac vino demersi nugas, ac fabulas docebimus, ac discemus, omnibusque delitiis fracti stertemus in meridiem, reliquum diei probe curata cute, vagis per vrbem discursibus, & captandis rumusculis, ludoque, & comessationibus conteremus, omnemque laborem pertæsi vitam veluti peregrinantes transigemus?

Tua humani generis parens, atque princeps, superos au-
ctur e,

ctūre cœlumque illustrius redditure, mens atque imago, memoria consiliorum, atque vigiliarum degeneres animos subeat, ac longæ desidiæ indormientes excitet: hunc torporem, hoc veternum discutiat, exemploque industriæ, cui comparari non potest aliud, ad decus, ad rei Christianæ, cui præsides, ornamentum, ad immortalitatem accendat. Sed si extrema Oratione contrà tueri, atque alloqui fas est, aliud à te maius, ac diuinius beneficium, ingentium operum cōplementum humana gens expectat, vt dissidentes Christianorum Principum animos, longaque & exitiali ira tumentes componat, atque exstincta bellorum plusquam ciuilium rabie, omnique hostilitatis aconito eradicato, æterno fœdere alliges: quo sociatis viribus immanissima fera tot regnorum funeribus, ac prouinciarum vastitate exultans, & cruenta, Italiæ, quam spe iam deuorat, & proximo veneno adflat, inhians, ab aris, ac focis, à coniugibus, & liberis, ab omnium capitibus, & iugulis auertatur.

Tunc non Pellæi modo væsani iuvenis fulgorem facile exæquabis, Magnique cognomentum meliori iure vendicabis, sed ipsius quoque vota plures mundos optantis excedes: non quos acquirendo perdas, interfectorum sanguine inundes, insepultis ossibus tegas, & vincendo solitudinem facias: sed quos immensæ charitatis ardore, vel inuitos conserues, & ad Christi ouile perducas: humani generis Ciuicam promeritus, vnique tibi, non Pontificatui, MAXIMI titulum debiturus. Immensam calamitatum seriem, atque vltimi periculi aleam oculis tuis subiicere nihil attinet, qui cuncta audis, cuncta intueris.

Tunc Veneta res, qua stante stabit publica libertas, stabit religio, tua ope, atque immortali virtute ab extremo discrimine asserta, Alexandrum tertium popularem tuum, hospitem quondam suum, magnum vtriusque fortunæ exemplum, aduersa numquam fractum: illum omnis prophanæ potentiæ, ac barbari fastus, huius præsenti auxilio domitorem ge-

nero

nerosissimum: magnorum Regum censorem, Pontificiæ dignitatis, ac morum disciplinæ assertorem acerrimum: tot in Ecclesia turbarum pacatorem felicissimum: Italiæ liberatorem, fatali nominis augurio in te sibi redditum sine fine gratulabitur. Dixi.

At pater Omnipotens laudem pro laude rependit.

VALERII LIBERTATIS PRÆSTITES Prolusio XXI.

VNus & alter annus est, quo te, Præclara Iuventus, seculi spes, ac votum, Musarum sacra reuisentem magnæ fortunæ exemplis compello, & ad optimarum artium, literarumque studium incuria temporum, hominumque neglectu exolescens, ac prope intermortuum excitandum, Celsarum potestatum imagine, inusitatis ac prope diuinis argumentis conuenio. Namque ante biennium morosis quibusdam ac tetricis literas nostras cum supercilio spernentibus, Reginæ incomparabilis, vt cum Euripide loquar, inuidendas virtutes, ac miraculum opposui. Anno autem, quod fieri minime posse videbatur, maius etiam atque augustius hujus rei specimen edidi, cum Alexandri VII. Pontificum Maximi, ac literatorum summi simulachrum è supremo rerum humanarum fastigio tanquam è machina aduocaui.

Vt tam omni materia, quam admiratione consumptis, nil reliquum, quod prioribus adstrui possit, superesse videatur: & ideo posthac oratio demittenda, tenui ac deducto filo serpendum humi, inglorium aliquod atque vmbratile argumentum è turbâ petendum sit. Vos enim Regum ferculis, Aditialibus, ac Pontificijs cęnis adsuetos, ac veluti inter puluinaria nectare distentos, qua demum aduentitia, quibus dapibus exhausto penore excipiam, auresque vestras grandibus

dibus exemplis imbutas, quo sermone, quo acroamate morabor? Nunquid igitur optimo dierum esuriales ferias indicemus, ac plebeiis missibus vocatos ad epulum frustrabimur? Nulla promulsis, nulla conuiuij indicatura, sed vt ita dicam post asellum diaria sumemus?

Cape animos lectissima Iuventus, amata mihi quantum amabitur nulla, & exundantibus gaudijs animum laxa. Nouum enim decus, nouum iubar faciles in vota nostra superi his terris, Reique publicæ, ac seculo, literisque ac disciplinis, quod de Pindari carminibus Eupolis ait, iam tacentibus atque obsoletis excitarunt, sicut altitudine animi, ac sapientiæ paratu decantatæ Heroidi, Regique sacrorum haud multum impar, ita nascendi sorte, perpetuisque in publicam rem, ac literariam meritis, peculiare huius Cœli sidus, non aduentitio fulgore irradians, nobis principe studio, ac veneratione colendum, BERTVCCIVM VALERIVM olim non semel huius Gymnasij, nunc Reipublicæ omnium maximæ moderatorem ac Ducem.

Sacrosanctum LIBERTATIS Numen, quo nihil diuinius dare superi mortalibus possunt, quod nemo bonus nisi cum anima simul amittit, quod, postquam principi terrarum populo inuidia Cæsarũ extortum est, Germanicum Scythicumque bonum creditum est, hac tempestate Venetum modo habetur: certe primùm ex Bruti, ac Valerij pectore velut e sacrario promptum est. Sed ille Quiritium vindex Brutus in ipso asserendæ patriæ conatu absumptus, tantæque felicitati, nondum se gloria in inuidiam vertente, immortuus, libertatis cui animam impenderat consummandæ, ac tuendæ negotium salebrosum ac spissum Valerio collegæ reliquit ex asse. Quo haud scio an aliud illustrius magisque memorabile facinus extiterit. Gentem ab ipso ortu per tot annos Regio seruitio adsuetam, tum excusso iugo immoderate exultantem ita pertractare, ac flectere, vt libertatis, cuius dulcedinẽ vix delibauerat, bonam frugem maturis viribus ferre posset.

Nam.

Namque illa pastorum, conuenarumque plebs transfuga, ex suis populis, etsi nondum Tribunitijs procellis agitata, gratuito furore suspicionum nimia, quæ Collatinum præcipuum exturbandi Reges instrumentum, soli gentilitati infensa, Consulatu atque vrbe expulerat, Valerium alterum rei Romanæ sidus eadem suspicione violare ausa est, quod cum in summa Velia ædificaret, affectare Regnũ videretur, atque illud seruitutis castellum ciuium ceruicibus imponere. Quæ quidem suspicio in re populi, nunquam nimia, licet tunc immodica, vltimam manum libertati imposuit. Non modo enim Valerius ædes deduxit in planum, sed fasces imperii insignia concioni submisit, legemque de prouocatione ad populum tulit, quæ Romanæ libertatis columen ac præsidium habita est.

Ergo Bruti conatus in irritum cessisset, primusque libertatis flos, nouo turbine ac veluti prætereunte infortunii aratro succisus foret, nisi Valerius tum solus Consul, eam tempestatem auertisset, populumque terrarum ac gentium futurum dominum, minime ambitioso Publicolæ nomine, bona fide liberum esse iussisset. Vt demum non condita modo, sed constituta in perpetuum publica re, ille cum Bruto populi Romani liberator, Regumque exactor, ille quartùm Consul, ac triumphator, atque vt Liuii verbis vtar, ille omnium consensu princeps belli, pacisque artibus, supremum diem fungeretur, gloria ingenti, copijs familiaribus adeo exiguis, vt funeri sumptus defuerit, ac de publico elatus sit.

Quotus quisque autem in veterum monumentis vel mediocriter versatus ignorare potest, Valeria gente nullam Romæ antiquiorem, nullam de Rep. quam condidit melius meritam, nullam magnorum virorum fœcundiorem extitisse? ex qua scilicet fausto vocabuli omine semper Reip. auspicatissima, tot illustres familiæ generosa subole sunt proseminatæ, Valerii Flacci, Potiti, Leuini, Philones, Coruini, Barbati, Acisculi, Maximi, Messalæ, Catulli: omnes in magnis impe-

riis

riis conspecti, omnes supremis honoribus functi, nomina Romanis fastis radiantia. Quod quidem cum reliquis gentibus commune habuēre. At Valeriæ peculiaris laus, & prærogatiua semper habita est, pro libertatis custodia in Reip. specula omnium acerrime excubuisse.

Nam L. Valerius Cos. post Aequos, ac Volscos anniuersarios hostes debellatos, cum Appii Xuiri regnum affectantis libidini, atque impotentiæ se obiecisset, liberatoris populi Rom. titulum iterum in penates inuexit, cuius libertatis vt solidum gaudium esset, idem plebem ex secessione reuocauit in Vrbem. Ne hîc tot Consules, tot Tribunos militum Consulari potestate, tot Dictatores, atque equitum magistros percenseam. Vocat enim nos ad se rapitque velut ab ignotis capitibus M. Valerius Coruinus officiosæ auis ministerio cum Gallico spolio cognomentum adeptus. Ille trium ac viginti annorum Consul factus, & Dictator tertium, qui super tot decora, quasi fatale esset discordantem patriam Valeriorum sapientia componi, implacabilem exercitus in Campania seditionem compressit, milites que in rabiem prolapsos signa patriæ inferentes, sola ciuilis ingenij, ac rerum ab se gestarum commemoratione ad sanam mentem compulit.

Vnum MAXIMI cognomen deerat, quanquam Publicolæ illud æquaret. Hoc toti genti debitum M. Valerius familiæ suæ peperit, non vno merito. Belli Etrusci bis domitor, ac triumphator: sed quod omnibus præcellit, legis de prouocatione ad populum, quam libertatis munimentum diximus, instaurator. Quæ lex, inquit Liuius, tertio post Reges exactos lata semper à familia eadem. Ac ne quis dubitet vnicum libertatis firmamentum fuisse eam legem, subiicit magnus scriptor. Causam renouandi sæpius haud aliam fuisse reor, quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Non ergo mirum, si cum omnibus sententijs, ac centurijs populus Romanus Consulem dixit, eo ipso tempore, quo senatus Dictatorem dici iussurus erat. Tantus in hominem

minem vnum omnium ordinum consensus, ea vnica ciuitatis spes habebatur, cum solo aduentu, solaque nominis fama rebellantes Etruscos compressisset. Hoc postea Maximi cognomen Veneti Valerij crebrum familiæ prænomen meritò fecêre. Demum Valerii Messalę quod vnum decus abesse videbatur, eloquentiæ principatum intulere.

Hæc igitur gens vetustissima longeq; clarissima, post euersam à Cæsaribus Remp. dirutum ac proculcatum à barbaris imperium, longum seruitium indignata, vbi primum toto orbe expulsa libertas se in Adriatici æstuaria coniecit, atque in Veneto Augustali conquieuit, sicut olim e Sabinis Romā, illuc cum fortunis omnibus commigrauit, nec tam maiorum decora, quam pristinos illos spiritus acerrimos libertatis vindices intulit, datura mox virum, qui ad huius Imperij salutem eiusdem libertatis sacris difficillimo, & periculosissimo tempore præsideret. Quod si mihi decretum foret Venetos annales euoluere, nouaque gentis in hoc publicum merita, congestos honores ac supremas dignitates, perpetuas pro ęqualitate excubias percensere, exemplorum copia obruerer, sicuti Latini scriptores veteribus Valesijs commemorandis defatigati sunt. Sed ne in ipso quidem Duce nostro omnia ad laudis censum vocanda suscepi. Audax enim nimium & consilium esset & votum, & vt ausis vires suppeditarent, certe tempore excluderemur.

Ita vel inuitus præterire compellor, vt ille se totum ab adolescentia Reipub. addixerit, quam facile Vrbanos magistratus emensus, qua cura, atque abstinentia administrauerit, vt non ætatem modo sed & vota præcurrerit. Vnicus enim orationis nostræ scopus est, exuberante laudum materia solam eloquentiam atque interiorem literaturam, quanta in vmbratico homine, ne dum in Principe mirabilis sit, deligere, eiusque eximium decus ac fructum vobis ostentare, quæ illum summæ rei admouit, ceterisque ciuibus superuexit, quorum vnusquisque principem locum implere potest.

test. Cuius eloquentiæ regnum, cum adhuc priuatus esset, vt interim sileamus; eadem quoties se extra Venetos fines extulerat, exteris quoque gentibus ac Regibus miraculo fuit. Cum Resp. Valerij oratoris voce apud maximos Principes ac supremas potestates tertio vsa sit. Primo enim Ferdinando Hispaniarum Infanti in Italiam aduentum apud Insubres huius ore gratulata est. Qua certe Legatione haud scio an aliam splendidiorem Sol viderit; eo procerum comitatu, familiæ stipatu, cultuque pene Regio, cum cuncta auro renidérent, vt Vrbs illa, si per bella liceret, opulentissima, præterea exteri fastus æmulatione in luxum præceps, etiam gens altera nil præter res suas admirari solita nouo hoc fulgore præstringeretur, nec multum ciues illi desponsati maris solemnia, opesque ac pompam inuisere optarent, cum in legati comitatum translatam maiestatem intuerentur. Sed præfulgebat omnibus, cunctaque veluti obscurabat Legati ipsius liberalitas, & eloquentia, qua Insubriæ proceres literis non perfunctoriè excultos, ipsamque Hispanicam aulam demulsit, & Adriatico enatam Venerem, salesque ac lepôres ostendit.

Verum enim vero, & munificentiam omnem, & eloquentiæ fidem, immo se ipsum quoque Valerius superauit, cum Innocentio X. rerum humanarum culmen, Senatus missu gratulabundus lætam Vrbem fecit, aulęque Regiæ parietes adhuc veterum Valeriorum voce personantes, Latiali facundia exhilarauit, & in illa publica luce, illo ingeniorum flore, atque humani generis conuentu, non Messalarum modo majorum gloriam reuocauit, sed Acisculi pariter gentilis sui, à quo armatam Sirenem argenteo nummo excusam apud Vrsinum videmus, præsagium impleuit, fidemque Veneta Siren vel mœrentibus fecit, eloquentiam relictis septem collibus cum parente libertate Venetias commigrasse. Vt postrema legatione Alexandro VII. Pontificatum ineunti Reip. plausus, atque ingentem lætitiam exprimeret, simul

pa-

paternum eius animum, atque acerrimum tuendæ rei Christianę studium ad opem rebus extremis mature ferendam inflammaret, eidem studiorum morumque similitudine acceptissimus. Nam quemadmodum domi facundia, quæ quondā liberas ciuitates miscere, & concionum fluctibus agitare solebat, salubriter, minimeque ambitiose vsus sit, quid attinet dicere, cum eiusdem pari admiratione ac fructu quadraginta fermè annos publicis consilijs aut interfuerit, aut præfuerit?

Nec Reip. modo, sed quæ ciuitatis sunt ornamenta, ac præsidia, literis, earumque cultoribus perpetuo profuit. Quod singulare in rem nostram meritum sine ingrati animi, ne dicam impietatis nota præterire non possumus. Nam ob solidæ, atque exquisitæ doctrinæ opinionem Venetus Senatus eius curæ ac prouidentiæ Musarum, huiusque Gymnasij tutelam tertio commendauit. Quo quidem studiorum magistratu semper sui similis, singularem illam liberalitatem futuri principatus omen, non exercuit modo ipse, sed & collegas viros præstantissimos exemplo generositatis accendit, ac veluti Musarum ærarium refregit. Nec mirum tanti eum literas fecisse, quibus omnia deberet. Raro enim quis rem quam ignorat æstimat. Ita cum non semel aliqui, aut natura, aut ætate, aut non magno doctrinæ vsu ad rem attentiores parcè nimis, minutaque diligentia fisci literarij rationes tractarent, iam tum animo Princeps, inuidendis stipendiis, atque inaudito antea trecentorum aureorum incremento Professores non paucos locupletauit, & auara quoque vota vicit, atque vberrimo congiario summos vndique viros allexit; multorum merita amplissime remuneratus. Et quibusdam fortuna pro virtute fuit. Tam animosa quidem largitione, vt arca Mineruæ pene conturbauerit, ærarijque rationes inde impeditiores factæ sint. Quas nunc eodem adnitente, atque amplissimorum moderatorum impensissima cura expeditum iri non tam speramus, quam voti fiduciam habemus. Omnes

certe Gymnasi archas huic similes vouemus, paucissimos pares futuros credimus.

Sed vt vnde nos ingentium meritorum æstimatio abduxit reuertamur, totamque exornationem in compendium mittamus, optimum Principem à Deo datum esse, si non tot alia euincerent, vel vna recens victoria testaretur, post Vrbem conditam clarissima, quam in hæc tempora reseruatam credere par est, vt huius Principatus initia haud obscuro in rem ceteram præsagio nobilitarentur. Res miraculo propior est, immo euidens æternæ prouidentiæ miraculũ, quod vix apud præsentes, nedum apud posteros, fidem inueniat. Iam duodecimum annum aduersus superbum Orientis regnatorem, maiorem Orbis partem concussis, aut euersis clarissimarum gentium Imperijs seruitio prementem, Veneta Resp. tam vastæ ditionis portio perexigua, maximum bellum ac difficillimum gerebat. Cuius belli initijs, vndecunque illi, siue fato siue sociorum perfidia cõflatum sit, vix suffectura credebatur, quod Christianis Principibus lento duello collisis, Hispanicisque armis, quæ Catholicæ rei tutela sunt, aliò distractis, atque exitiali contentione implicitis, sola, ac destituta immensæ barbariæ, atque hostilium copiarum diluvio terra marique exposita esset. Quo quidem tempore, fides Numinum! mutuis acceptis, atque illatis cladibus, aduersis prope quam secundis admirabilior, incensa non semel aut disiecta hostili classe, munitissimis arcibus expugnatis, prælijs ambigua, bello non victa, arma illa, quibus toties Christianus Orbis aut subactus, aut dira clade vastatus est, non contenta finibus suis arcuisse, bellumque propulsasse, incredibili virtute atque inaudito animi robore, ausa est hostem domi quærere, immo ipsas Hellesponti fauces Ottomannici Imperii claustra petere, & illas freti angustias, quas maiores sui veluti Herculeas metas e longinquo aspicere metuerant, in oculis ipsius Regis quotannis obsidere, atque exigua manu infinitæ potentiæ per summam contemptionem insultare. Eo scilicet con-

filio, vt immanissimam feram tanta contumelia ac ludibrio accensam, e scelerum cubili ac libidinum septis extraheret, & ad rem prælio decernendam cogeret: aut saltem velut indagine cinctam, marisque exterioris, & Insularum imperio spoliatam iniecta compede coerceret, atque ignobilis timoris confessionem exprimeret, generose comminando si se tantillum commouerit, aut e latibulis prorepserit, magno infortunio mactandam.

Hæc quidem maxima sunt, hæc diuina, hæc fidem humanam penitus exsuperant. Sed occurrunt maiora miracula reputantibus tot annorum spatio attritas opes, nobilitatis florem extinctum, sex Imperatores aut bello immortuos, aut belli aduersis, marisque sæuitia ereptos, tot nobilissimos legatos, ac præfectos veluti victimas religioni, ac libertati mactatos, tot copias militares ferro, ac morbis, variisque casibus deletas, inexplicabilem pecuniæ penuriã, oppignerato, aut diuendito, ne populi grauius premantur, D. Marci patrimonio, ipsoque gentilitatis iure distracto, maiorẽ supplendi exercitus, ac remigii difficultatem; cunctis longinquam militiam aspernantibus. Et quisquam tam vecors, aut impius miraculorum maximum esse negabit, XII annorum bello, bellique impensis, & calamitatibus, totque fortunæ sæuientis iniuriis nequaquam fractos, aut domitos, quin periculis alacriores ad maiora audenda animum adiecisse, eaque immortali virtute, si ita loqui fas est, iniectam superis verecundiam, tam fortes, tam fideles animas in supremo virium conatu destituendi.

Ergo decimo tertio sæuissimi belli anno appetente, nouã classem præsentibus animis instruunt, atque ornant, in qua duodetriginta celsiores bellicæ onerariæ, quatuor & viginti naues longæ, septem tectæ & constratæ, siue Galeatiæ, ligneæ arces, ventorum marisque labor fuere, præter biremium, ac minorum nauigiorum non exiguum numerum. Eam classem cum summo imperio præsidebat is, cui illud Virgilianum

lianum conueniat

si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Qui, cum ver aperuisset maria, ad obsidenda de more Sesti, atque Abydi castella contendit, Pontifice Maximo atque Optimo, rem milite ac pecunia strenuè iuvante, cum Melitenses triremes VII, Europeæ nobilitatis flos, Christianæ rei Prætorianus, Turcarum terror, piratarum scopuli, in tempore adfuissent.

Ibi hostilem classem, quam illo anno omnium instructissimam exituram fama distulerat, integrum mensem opperiri, atque ipsius maturum egressum toties elusi ac frustrati impatienter optare. Barbari partim pudore exstimulati, partim impotentis Tyranni iuvenili imperio, minisque adacti, coacta classe, in qua pari cum nostris onerariarum ac tectarum numero, sex & triginta triremibus præstabant, exeunte Iunio se se in conspectum dedêre, exultantibus nostris tandem ostentandæ virtutis potestatem factam, nec dubiam victoriæ spem fouentibus. Cuius fiducia quanquam hostes gemina hinc inde munitione excitata, dispositis tormentis perpetua fulminatione Christianorum nauigia quaterent, vt statione pellerent, ac liberiorem egressum adipiscerentur, triduum eam verberationem nusquam turbatis ordinibus in eodem vestigio pertulere. Tum demum Turcica classis leni Boreæ impulsu vela facere visa est. Imperator Venetus extemplo signum pugnæ edicit, triremesque ac constratas in aciem producit, & ad Hellesponti angustias superandas promouet, vbi celsiores onerariæ in fronte dispositæ aduerso vento, ac freto luctabantur. Quæ in aduersam classem se inferentem horribili pilarum tempestate, ac bombardarum fulgetris ita primo impetu detonuere, vt hostiles naues, quæ recta in certamen tendere videbantur, ad eam pestem declinandam in proximum sinum deflexerint, vt vicinæ arcis præsidio tegerentur. Eas quominus nostri sub ipsas muni-

tiones inuaderent, eadem freti rapiditate, flatuque aduerso tardabantur, cum repente singulari Dei beneficio conuersa vis venti dare operam cœpit, atque onerarias, & galeatias impellere. Quæ res adeo barbaros perterrefecit, vt pars vela ad fugam intenderent, reliquæ naues triremium remulco certamen effugere conarentur.

Quod vbi nostris animaduersum est, tanto validius incumbere, ac flexo cursu intercludere conari. Præcipue Lazarus Mocenicus vir ingentis animi, munere Deûm consummandæ victoriæ destinatus captato longius ambitu, qua triremes fugam adornabant, audacter inuectus cingere occupat, atque in circumsessos impetum dat. Idem vniuersa classis sinuatis cornibus facit: maxime atrox; & cruentum certamen conseritur. Barbaris, vbi se circumuentos vident, ab vltima desperatione pugnam cientibus: nostris inchoatam victoriam acerrime vrgentibus. Facies oppidò terribilis. Cum tormentorum continuo reboatu, cœlo, ac pelago vibrante, densissima fumi caligine intermicantibus flammis, sagittarum nimbo, volitantium pilarum stridore oculorum atque aurium vsum intercipiente attoniti, mortales imminens vndique lethum nullo effugio expectarent. Cum præterea vndarum fremitu, collisarum nauium crepitantibus rostris incursu, disiectis gubernaculis atque armamentis, desilientium antennarum fragore, se mutuo ad pugnam cohortantium vocibus, morientium, aut mortem deprecantiũ gemitu, truci barbarorum vlulatu, totque rostris impulsi maris sæuo murmure, vicina littora ac resultantes colles personarent.

Adijcite nunc missiles flammas, noua malleolorum ingenia, ollasque incendijs fœtas, ineuitabili peste inter confertos grassante, igneâ tempestate, pilarum, tessellarum, atque clauorum grandinem incutiente: furentem inter picem, atque arida tabulata Vulcanum, aut accensis tormentarii pulueris cadis disiecta in sublime nauigia, & volitantibus semi-

ustulatis

ustulatis corporum truncis præmissos morti rogos, excogitata ratione, qua quis inter aquas incendio pereat. Omnibusque intra carinas ac foros constipatis, nullum exserendæ fortitudinis locum relictum, nullo fortunæ, ac virtutis discrimine cæcis ictibus ignavum, ac promptum iuxtâ cadentes, spumantes sanguine fluctus, infectos cædibus scopulos, hominum, ac nauigiorum constrata cadaueribus maria.

Pugna integrum diem tenuit, quo in vesperam inclinante vniuersa classis hostilis disiecta, ac profligata est. Sed quo minus solidum tantæ victoriæ gaudium esset, Marcelli Imperatoris interitus effecit, qui dum intrepide se periculis obijcit, & pugnandi auiditate Castelli munitionibus successit incautius, maioris tormenti pila occubuit, minime tristis quod in ipso exploratæ victoriæ articulo decessisset. Insecuta nocte onerarijs, quas post certamen fuga litori impegerat, iniectæ flammæ, classis reliquiis postridie eius diei obstinatissime pugnantibus, vt veluti redintegrato certamine noua tormentorum procella ægre sint expugnatæ. Ita præter quatuordecim triremes initio pugnæ cum purpurato elapsas reliqua nauigia, ne remulco subducta classem nostram morarentur, igne absumpta. Videre erat toto illo binoctio maria hostili flamma relucentia, glomeratas fumi nebulas ipsa nocte densiores, tot annorum laborem momento temporis in cinerem ac fauillam redactum, barbarorum minas elusas, ac vota deplorata. In eo conflictu Imperator animã, Mocenicus oculum patriæ impendit, pro quo illi Cocliti seruatori supremam maris præfecturam iuveni patria rependit.

Quod nisi longius quodam lætitiæ impetu prouecta esset oratio, victoriam hanc cum reliquis innumeris, præcipue aduersus communem hostem, quibus res Veneta in hoc fastigium surrexit, conferre auderem, etiam cum illa, quæ ad Echinadas superiore seculo parta est, meritoque Christianis fastis adscripta: quam cum Actiaca Augusti aduersus Antonium, eodem mari, ac pene iisdem locis comparare clarissi-

mi scriptores non dubitarunt, incerti vtri palmam deferret. Nam licet illa Actiacæ æmula nauium, atque interfectorum numero præstiterit, nemo tamen ignorat, non exiguam in ea partem Pium Pontificem, non tam titulo quam meritis sanctissimum sibi iure vendicasse: tum præter prompta Italorum Principum studia, Hispanicis auxilijs prope æqua portione, atque Imperatore fultam: duobus insuper omnis memoriæ clarissimis Legatis; nisi alter in ipso certamine subducto longius dextero cornu, eam pene corrupisset. Huc accedit, quod si vnquam alias tunc Veneta res florens pollensque erat, post triginta annorum cum hoste perfido pacem exuberante ærario, integris initio belli viribus, adeoque validis, vt ad primum belli illius classicum, quod vix credibile videtur, centum & quinquaginta triremium classem ornatissimam instruxerint, XII Galeatias, XX onerarias naualibus deduxerint, tantarumque opum admiratione Principum mentes perstrinxerint.

Nunc duodecim annorum labore ad extremam lassitudinem defatigati, totque aduersis, immo & vincendo attenuatis viribus, nullum nostrorum Principum in victoriæ societatem admisêre. In ea patranda octo Christianorum millia, & fortissimi quique interfecta: hęc, quod vix fidem inueniat, trecentorum militum impendio stetit. Ibi XX nauiũ pręfecti omnes patricij; hîc Imperator modo, quanquam omnium instar sit, vnusque & alter trierarchus desiderati. Licet illic tum cæsorum, & captiuorum hostium, solutorumque Christianorum numerus longe maior: hâc tamen quina compeditorum millia ab teterrima seruitute asserta. Tunc tertiam ferme classis partem Vlucialis incolumem prælio subduxit: modo præter XIV triremes, nauigia omnia maiora, minora ad vnum aut incendio vastata, aut alto depressa, aut tormentis comminuta. Quare eidem Archipiratæ breui dispersas vires colligere facile fuit, nec spernendum nauium numerum non educere modo, sed etiam se nouo certamini

prom-

promptum ostentare: modo reparandæ classis non nisi in longum tempus spes omnis barbaris incisa est. Tunc casu, fatoque & mutuo errore incidentes classes ex necessitate medio æquore conflixêre: nunc destinatò penetratis audacissimè angustijs, in ipsius Regiæ conspectu, ante ora Tyranni superbissimus hostis ad pugnam proritatus, Crucisque trophæa in ipso Byzantij vestibulo defixa.

Ad extremum, quod longe omnibus præstat, veteris illius tantæ victoriæ fructus omnis breui discordia, atque ambitione ducum luxuriauit, si vera dicenda sunt, nullo inde magno operæ pretio, amissa interim Cypro, atque ingenti auri pondere pace à barbaris redempta. Victoria ista exiguo temporis spatio Tenedum illam famâ notissimam Insulam in Troiæ conspectu, etiam post Priami regna, opum diuitem, iterumque fidam carinis stationem præualida arce firmissimam, ante ora patrum, in ipsis maiorum vestigijs Veneto Imperio adiecit. Eadem continuato tenore Aegæo circumfluā Lemnum, quondam Deorum fabricâ nobilem, nunc Stalimenis vocabulo duabus Vrbibus, amplissimo portu vicisque ac populis frequentem subegit, & ad maiora quotidie, faueat modo Numen, viam aperiet.

Huic, vt vnde incepit, eodem desinat oratio maximæ, & incomparabili Victoriæ, Valerius Dux consilium, auspicia, suosque Diuos præbuit: eidem celebrandæ nos omnes, non atrum sepiæ liquorem, sed laureato calamo factum Musarum muricem, tuendæ, sanguinem atque animam profundere parati sumus. Dixi.

APOTHEOSIS LAZARI MOCENICI
Venetæ Classis Imperatoris
Prolusio XXII.

FVluium Nobiliorem, qui cum Aetolis Ennio comite bellum gessit, non dubitasse Martis manubias Musis consecrare, Romani maximus auctor eloquii scriptum reliquit. Eundem Herculis Musarum ædem in Circo Flaminio ex pecunia Censoria struxisse accepimus: non id modo secutum, vt ait Eumenius Rhetor, quod ipse literis, & summi poetæ Ennij amicitia duceretur: sed quod, cum in Græcia Imperator esset, acceperat Herculem Musageten esse, idest comitem ducemque Musarum. Idemque primus nouem signa Camænarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi Numinis consecrauit: vt res est, quia mutuis operibus, & premijs iuvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis commendatione Musarum.

Ita profecto est, Auditores optimi. In bene constituta Rep. virtus militaris, ac literarum studium mutuo nexu colligata, alternas operas conferunt, alterum alterius indiget auxilio, atque ornamento: vt hinc sub armorum tutela opima pax, & pacis opus literæ ac disciplinæ conquiescant: inde bellica decora, & fortia ciuium facinora literarum ministerio posteritati commendentur: hocque immortalitatis præmio ad strenue agendum, ac spiritum patriæ deuouendum, virorum robora veluti facibus exardescant.

Quæ res Lacedæmonios nationem tetricam, planeque ad studia literarum rudem, nihilominus impulit, vt antequam exercitum in hostes educerent, Musis sacrificarent, easdemque armatas colerent: vt qui pro patria in bello oppeterent, scirent memoriam sui, beneficio literarum æternam fore.

At

At illæ Spartanorum æmulæ, omnium doctrinarum inuentrices Athenæ, ad alia decora illud quoque addiderunt, vt ijs, qui in bello cecidissent, publice parentaretur, ijdemque à ciuium præstantissimo laudarentur. Quo haud scio an vllum præclarius, ac Reipub. vtilius institutum tota antiquitas habeat.

Cuius instituti exemplum, simul diuinæ facundiæ simulachrum, apud Thucydidem Pericles exhibet, apud Platonem in Menexeno magnus eius præceptor Socrates repræsentat, siue Socratis ipsius magistra Aspasia, supremo hoc gratissimo in mortuos officio perfungitur. Et Thucydides quidem in secundo magni operis narrat, Athenienses more patrio, ijs qui bello Peloponesiaco mortem oppetierant bustũ publice fecisse: si quidem erecto tabernaculo ossa mortuorum proponi solita, ijsque inferias mitti. Cum autem efferrentur, singulas tribus, singulas arcas cupressinas, tribuliũ ossa complectentes vehiculo portare consueuisse. Vnum præterea thorum inanem constratum, eorum qui inter cæsos reperti non fuerant. Tum ingenio, ac dignitate præstantem delectum, qui de eorum laudibus verba faceret: idque toto belli tempore seruatum esse. Cæterum eorum laudandorum, qui primi occubuissent, prouinciam Pericli demandatam. Optimo sane consilio, vt à viro laudatissimo, ac Græcorum omnium præstantissimo, quem poetæ Olympium vocarunt, quod dicendo tonare, fulmina ciere, ac Græciam permiscere creditus sit, fortissimi ciuium supremo virtutis conatu edito, laudarentur.

Quid Veneta Respublica? quæ non tam Atticę, & Spartanę, quę nunc vbi fuêre quęruntur ęmula, quam omnium rerum publicarum institutis, opibus, consilio, & diuturnitate Imperij prętantissima: cum Herculis Musarum delubrum, hoc in loco excitauerit: atque ab ipso ortu, non dominandi libidine, sed libertatis studio victricia arma circumferens, literas, ac religionem aduersus barbaros perpetuo

tu-

tutata sit. Hoc pręcipue sęuissimo ac funestissimo bello, quo Regem Regum, Christianę rei facem, ac pestem, rerum humanarum, ac diuinarum prędonem, iam quartum decimũ annum non sustinet modo sola, sed inusitata virtute, atque inaudita magnitudine animi, & constantia, tot cladibus perculsum, intra Regni claustra adactum, atque in ipsa prope Regia obsessum, veteri existimatione spoliatum, iam non de gloria, sed de Imperio dimicare compellit. Cum inquam hoc ipso tempore, Musis mollissimam tranquillitatem, tutamque ac beatam sedem commodet: quid aliud per fidem vestram spectat, aut exposcit, quam vt Herculi custodi Musæ, Musę inquam nostrę mutuam operam, gratamque vicem rependant? totque huius belli decora, ac miracula literarum pręconio ab obliuione, atque interitu vindicentur. Iis pręcipue, qui terra marique libertatis victimę ceciderunt, non libationes, & inferię, sed epinicia reddantur, mixtaque mœrore gratulatio peragatur.

Cum pręsertim nouissimo pręlio, quo pene res Turcica, in ore Tyranni confracta est, fortissimum omnis memorię Imperatorem tertio de hostibus triumphantem, in ipso ętatis, ac victoriarum flore amiserimus, vt penè tanti non fuerit, vicisse. Cumque non hunc modo, sed duos alios classis pręfectos, pręter tot legatos, duces, ac trierarchos, communis Mars, atque immitis fatorum lex abstulerit: in vno reliquorum memorię parentabimus, an fortunę inuidebimus. Egregio Venetis ciuibus, ac socijs ad ęmulandum decus incitamento; immensa Christiani Orbis intestina rabie occęcati verecundia, atque eorum pudore, qui Remp. de vniuersis optime meritam tamdiu nefario latrocinio conflictari, atque ad extrema periculorum deduci, traiecturo, cum primi deflagrauerint in proximos crudeli incendio, patiuntur.

Neque vero intempestivum officium, ac dirum omen videri debet, studiorum auspicijs feralia attrectare. Nemo enim mortuos existimat, qui religioni ac patriæ spiritum

im-

impenderunt, meritisque subducti in Cœlum æuo perfruũtur sempiterno: vt non tam superuacua nęniæ munera sitis persoluamus, quam inter sidera transcriptis Apotheosim celebremus. Vna modo deest tantis rebus par Oratoris facundia, osque magna sonaturum. Sed Venetorum Heroum maiestas hoc ipso constat, quod humano sermone ornari, atque exaggerari non possit, contenta indicari: quodque simplex, & inconditum carmen puluinaribus inferatur, sitque hoc ipso laudatio futura ornatior, quod ornamenta neglexerit.

Tam apud Platona, quam apud Thucydidẽ summus Orator Athenis eos laudibus ferens, qui in acie addictam patriæ animam reddiderunt, hoc vnum spectat, atque adlaborat; vt in Vrbis, ac maiorum laudes ambitiosè effundatur. Aequum enim est, inquit Pericles, simul & decorum, hic eorum commemorationem fieri, qui regionem istam ijsdem semper incolentes posteris, ad hoc tempus liberam sua virtute tradiderunt. Nimirum laudationis impetu ad inania & fabulosa delapsus. Quasi Athenienses, quo genus suum incorruptius, nullaque aduenarum colluvione contaminatum iactarent, non aliunde se illuc aduectos credi vellent, sed eodem solo editos repente extitisse, ac terræ omniparentis gremio instar ranarum, & anguium effusos: eam vanitatem aureis cicadis, quas in capite gestabant, gentili more testari.

Sed amotis fabulis, multa quidem decora Veneta Resp. cum Atheniensi communia habet. Illa Graiæ telluris, hæc totius Europæ Musæum. Illam sublime Pindari os, Helladis Helladem dixit: hæc Latij ipsius Latium. Illa Oraculi Pythij responso Græciæ: hæc gentium consensu, Italiæ, Regia, Penates, Prytanæum. Vtraque ciuitas omnium, quibus Iuppiter illucet, splendidissima. Illa Persarum, hæc Turcarum innumerabiles copias, ac superfusam terris barbariem, effossis montibus, epotis fluminibus, Neptuno compedes, Cœlo

lo tenebras, sagittarum nube minitantem, fudit, ac profligauit: totiusque Orientis opes exigua manu prostrauit. Sed Atheniensibus cum inermi, ac fugacissima gente, atq; ignauissimo Rege pugnantibus, res fuit aduersus pecudes: Venetis aduersum Lupos, cum inuicta natione, durissima militia, atque indomito prætorianorum robore, acerrimorum Imperatorum ductu commissis. Vt non tam illis aduersus veteranum hostem, omnes terras, ac maria victorijs emensum, & ab excidio clarissimarum vrbium, atque opulentissimarum prouinciarum recentem: cui Arsacidarum solium Romanis Aquilis formidatum succubuit, euersâ Bizantii Regiâ, ac magna Germaniæ parte triumphatâ, reliquijs Europæ minitantem, per trecentos annos intuta pace, ac dolosis inducijs dimicandum fuerit: sed immani bellua gentes multitudine innumerabiles, locis infinitas, vndique excitas trahente, cum Orbe terrarum belligerandum.

Athenienses sapientiæ studijs intemperanter dediti, quæ bello parauerant pace amiserunt, atque erudito otio torpentes, ingenium, quam manum exercere, bene dicere, quam facere, lingua feroces, ignauâ operâ, Theatris, atque histrioniæ addicti, scenas sæpius quam castra inuisere, lasciuire, discordare: donec corruptis moribus, quos metus hostilis continuerat, alios laudare, seipsos non possent, nemo bonus eos. Demum amissa libertate, libertatis ministram facundiam assentando Tyrannis exercerent, huncque vnum immodicæ doctrinæ fructum ferrent, quod essent seruitutis morsus acriores.

Veneti, vt in reliquis rebus, ita quod difficillimum est in sapientia modum retinuerunt: vnicamque & optimam disciplinarum rati, parere, atque imperare, & pro patria mori, non in pompam, sed firmandæ dominationi literas coluêre, & manu, quam lingua promptiores, laudanda facere, quam alios laudare didicerunt.

Attica ciuitas virtuti semper infesta, ac liuore suffusa, in ipsos

ipsos parentes, & conditores impia, ciuium suorum nouerca, clarissimos duces testulâ collabefactos exilio, aut morte mulctauit: & vt illi à magno scriptore merito obiectatũ est, Thesea in paruulo scopulo sepeliri: Miltiadem in vinculis expirare: Cimonem ad redimendum corpus paternas induere catenas: Themistoclem victorem, victi hostis genua amplecti: Solonem cum Aristide, & Phocione penates suos ingrata fugere coegit: maximas virtutes, velut grauissima delicta punire, & beneficia iniurijs rependere solita.

Veneta ciuitas semper mitis, ac sancta, prolixâ virtutis æstimatione, gratique animi, & tenerrimi affectus impetu vltra matrem indulgens; non in ciues modo, ac socios singularis clementiæ exempla edidit: sed Præfectorum rara admodum delicta, modice castigans, errata prudenter dissimulans, ac fortunæ imputans: non eorum modo, sed manipularium egregia facinora, amplissimis, atque inuidendis præmijs, & auctoramentis, etiam apud posteros prosecuta, effecit, ne tot seculis vllus Imperator, inuidiæ, atque immodicæ seueritatis metu, ac desperatione, rei bene gerendæ occasionem omitteret: nullus gregarius miles pro tam memore, ac tam munifico principe vitam profundere dubitaret.

Neque mirum videri debet, Græcæ vrbi sapientiam professæ eam labem adhæsisse: cum statu merè populari constituto, Reip. habenas vilissimis mortalium, fecique Vrbis permiserit: nec tam libertatem, quam licentiam, omnisque diuini, & humani iuris confusionem inuexerit, vt tantundem Athenis pecudi, atque homini liceret: & concionali ærarij hirudini, miseræ, ac ieiunæ plebeculæ, semper inuidæ, & suspicaci, denique multorum capitum belluæ, præstantium ciuium fortunas, ac virtutem iniqui iudicij procella exagitandam, & lacerandam obiecerit. Quo effectum est, vt auide ad libertatem ruendo, in seruitutem lapsi sint, Solon fundamenta Reip. posuerit, ipse interitum viderit, Vrbisque custo-

dibus

dibus libertatis orbata, breui Tyrannorum præda ac ludibrium facta sit.

Venetæ rei conditores, Romano Imperio à barbaris euerso ac proculcato, nobilissimus Italiæ sanguis, lectissima procerum manus, communi incendio erepta, cum in Adriatici sinus sacrarium, libertatem, ac penetralis Italiæ Deos, Latij fumantes reliquias, victosque Penates, non sine Numine Diuum contulissent, eam regiminis formam constituerunt, id temperamentum diuino consilio adhibuêre, vt profanum vulgus, sentinam Reip. Vrbis sordem, & quisquilias, opifices, ac sellularios, vili ministerio, lucroque demersos, pronas animas, ac seruitutis capaces, quodque olim de seruis Homerus vates prodidit, dimidia tantum mente vtentes, libertatis sacris submouerent, atque vnà discordiarum, ac seditionum causas, liuoremque ac rabiem aduersus optimates arcerent: & quod cordi superis esset, in mille ac trecentos annos, singulari omnium seculorum exemplo, Imperium extenderent.

Quæ cum ita sint, si patriæ laude ciues æstimamus, nulla veterum Rerumpublicarum cum Veneta in contentionem descendere audeat; magnumque fortunæ munus, nec vltima laus Lazari Mocenici censenda est, Venetijs editum esse; reliquis tamen ciuibus communis, ac nisi proprium decus accedat, aliena. Veneta Vrbe, Mocenica gente Imperator noster ortum trahit; quæ sicut clarissima, atque Vrbis primordijs par, ita fatalis Turcarum hostis, terrorque, ac strages superûm decreto destinata videtur.

Nam vt vetera exempla, quorum copia huius Imperij majestate digna est, relinquam, duos indicasse satis fuerit, Petrum, & Ioannem fratres, quorum vterque in rei Venetæ fastigio, quod olim Thomas ex eadem gente tenuerat, conspectus est. Petrus quidem cum Mehemetes diri huius nominis secundus ingentibus copijs terra mariq; Eubæam inuasisset, atque in ea Chalcidem intra paucos dies expugnasset,

ſet, ad quem nuntium Chriſtianus Orbis contremuit; trepida ciuitate, & de belli euentu ſollicita, claſſis cum ſummo imperio præfectus, per quadriennium ita Remp. adminiſtrauit, vt anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Nam incredibili virtute, ac celeritate Aſiam ab Helleſponti anguſtijs, ad Syriam vſque exſcenſione facta, ferro flammiſque vaſtauit; agrum Gnidium, Pergamenum, & Clazomenium, totiuſque Cariæ oram ingenti prȩda abducta perpopulatus, Smyrnam nobiliſsimam Ioniæ Vrbem, nuſquam auſis dare ſe in conſpectum barbaris, cœpit, diripuit, incendit. Caramanos fratres Ciliciæ regulos veteri ditione ab Ottomano ſpoliatos, Sichino, Coryco, ac Seleucia validiſſimis oppidis expugnatis in auitum regnum reſtituit. Cyprum Inſulam Regis interitu conſternatam, ac nefaria conſpiratione tumultuantem, ſola nominis fama abſens compoſuit, illucque cum valida manu aduectus, exacto de perduellibus ſupplicio, Reginæ, ac Reip. conſeruauit. Scodram octoginta Turcarum millibus oppugnatam, licet corpore inualidus ab obſidione liberauit. Cumque animum ad Helleſponti anguſtias ſuperandas adieciſſet, partim motu Cyprio, partim vt Perſarum Regi aduerſus Turcas ſuppetias ferret, nobili incœpto auocatus eſt. Mox Principatum adeptus, laboribus, & contracta ad Scodram valetudine fractus, breue id gaudium Venetis ciuibus fecit. Huic, interiecto Vendrameno Duce, Ioannes frater ſubrogatus, longius ſpatium fouendæ ciuitatis nactus, Rodigij peninſula Venetæ ditioni adiecta, & poſt atrociſsimum bellum, pace confecta, vt frater bene geſtæ, ipſe conſeruatę Reip. gloriam tulit.

His radicibus natus ad huius Imperij gloriam Mocenicus, ac recente Aloyſij patrui gloria, qui in rei maritimæ præfectura paulo ante, vita honorum, ſæpe geſtorum, ſȩpius meritorum plena, ſupremum diem obierat, veluti Miltiadis tropheis excitatus, breui quo ſanguine cretus eſſet, oſtendit, nec obſcurum Imperatoriæ indolis ſpecimen edidit.

Nam

Nam prima militiæ rudimenta nauali ad Naxum prælio, duobus acceptis vulneribus, suo, atque hostium cruore imbuit; famamque strenui, ac maxime pugnacis adeptus, iam tum ostendit, quam vile corpus ijs sit, qui magnam gloriam petunt. Quam strenue autem post celsiorum onerariarum præfecturam miles voluntarius se gesserit, in illa memorabili ad Hellesponti fauces pugna, qua Turcicæ opes prostratæ sunt, ac Venetus Imperator Marcellus, fortissime dimicans interitu suo patriæ satisfecit: vtque omnia militis, ac ducis munia priuatus impleuerit: vt hostiles naues fugam meditantes, capto ambitu circumuentas, veluti indagine cinxerit, & necessitate, ac desperatione ad rem ferro decernendam compulerit: vtque amisso oculo præcipuum illius celebratissimæ victoriæ instrumentum fuerit: captaque Tenedo, quæ nuper inexpiabili clade in barbarorum manus recidit, ac Lemno, non aliter quam si Venetus signa mœnibus inferret, Bizantij trepidatum sit, est à nobis, præterito anno, hoc in loco abunde demonstratum. Cuius rei merito, toti maritimo negotio triginta annorum iuvenis impositus est: magnũ quidem, sed pro oculo datum.

Vt vero conceptam de se omnium expectationem, non impleuerit modo, sed anteiuerit, vtque consilij præstantia, animi magnitudine, atque ingentibus ausis Orbem obstupefecerit, narrationis series deinceps explicabit. Magna ipsum fama præcesserat, maior inuentus est. Nam vbi primum ad classem est cum imperio delatus, omnium in se ora conuertit, animosque in spem erexit, iuventæ vigore fauorabilis, ingens visu, ipsâque oculi iactura speciem honestante. Vixque inito magistratu, in omnem occasionem rei benè gerendæ intentus, cum Turcicam classem Hellesponto egressam comperisset, solis triremibus, ac celsioribus rostratis, relictis, quo expeditior foret, onerarijs, nullam moram insequendi hostis facit. Sed aduersa tempestate, adipiscendi spe deiectus; cum interim nunciatum esset, Punicas militares onerarias nouem,

quod

quod totius rei maritimæ apud Turcas robur ac firmamentũ est, non procul visas, sex alijs, quæ cæterarum cursum æquare non potuerant, longo interuallo sequentibus; earum cursum intercipere, & validissimum subsidium hostibus auertere aggreditur.

Et quamuis impar certamen futurum erat triremium aduersus celsarum nauium, turribus, ac tabulatis subuectam molem, fortissimis epibatis velut è castello propugnantibus; tamen sex maiorum rostratarum robore, virtute militum, ac fortuna sua fretus, instructam aciem venientibus opponit. Nec detrectauêre certamen Mauri, gens ferox, & ingenij ad pugnam auidi; quippe perpetuo latrocinio maria persultare sueti. Ita stolida fiducia, non expectato cæterarum subsidio ingenti alacritate concurrunt. Sed minuit furorem excussus inter fulgetra primus tormentorum turbo, quo diu quassatæ piraticæ naues, cedere sensim, atque altum petere cœperunt. Imperator extemplo dat signum inuadendi, ipseque in Prætoriam inuehitur: triremes hostilibus nauigijs adplicantur, res ad manus deducitur, recrudescit certamen, impigre obsistentibus barbaris haudquaquam ad talia rudibus. Tandem nostra superat manus; hostilis classis igne, ferro, ac fuga dissipatur.

Qui ardor, qui impetus animi, quæ sublimitas, quæ celeritas igne quodam præceps! Nondum elapsis à certamine quindecim diebus, refectam propere classem secum rapit, frustraque Punicas naues prælio elapsas, & Purpuratum maris præfectum, quem pauor longius abstulerat, insecutus, ad oppidum munitissimum, quod Suazichium incolæ vocant oppugnandum, animum adiecit. Id in continenti situm littori adiacet, ac duplici latere mari alluitur, sinusque portũ efficit, vel magnæ classis capacem. Crepidinem portus geminæ turres muniunt, fauces obiecta ingens oneraria cum piraticis lembis tuebatur. Imperator ad contemplandum loci ingenium munitionibus succedit, atque inter volitan-

tes pilas impauidus cuncta otiose speculatur. Inde celsioribus nauigijs præmissis inuehitur, ac deiecta oneraria, igneque missili submotis statione hostibus, copias exponit, datque signum oppidi aggrediundi. Non tulere impressionem, atque ardorem præliantium barbari, ac præfectus ipse, vbi captam onerariam vidit, rei summæ diffisus turpi fuga oppidum congestis illuc vicinorum locorum opibus præda refertissimum destituit. Ea inter milites, ac nauales socios diuisa: nihil ex capto oppido præter gloriam Mocenicus retinuit: geminâque intra mensem victoriâ potitus, nil actum credens, cum quid agendum superesset, in vniuersi certaminis aleam inuicti animi impetu rapiebatur.

Et initio quidem ingens facinus, & Veneta gloria dignũ animo conceperat, Chium oppugnandi: sed crebris nuntijs reuocatus, Turcas ad recuperandam Tenedum omnes vires terra marique conuertere, illuc præuertendum statuit, gnarus boni ducis esse parta tueri, quam de alieno dimicare. Totamque rem in eo verti ratus, si Hellesponti claustris hostem obsideret, illuc cum omnibus maritimis viribus contendit. Ibi ita classem faucibus obiecit, vt nonnisi per infestum nostrarum nauium agmen, ac fulminantium tormentorum procellam exitus pateret. Sed aquæ inopia classis in vndis fatigabatur. Nam cum dispersæ Turcarum manus vicina litora insedissent, & dispositis tormentis nostros arcerent, aqua rerum vilissima sanguine erat permutanda. Proximum Troiæ flumen aquationi destinatum fuerat: sed præter erectas ibi quoque munitiones, contrarij Aquilones sæuiebant.

Itaque Imperator coactus est, relictis in statione onerarijs, & galeatijs Imbrum Insulam petere. Vnum diem aquatio tenuit, quæ etiam maiori classi sufficeret. Sed fortuna nostris conatibus infesta tantam venti vim excitauit, vt ad octo dies regressum arceret. Turcæ insperato beneficio vsi destitutas triremibus naues inuadendi, solito ferociores

Ca-

Castellis erumpunt. Præsidebat maiorum nauium classem M. Bembus, vir animi periculis interriti, reique naualis apprimè sciens, æque consilio, & manu promptus. Qui tanto viribus impar, venientes barbaros intrepide excipit. Et quamuis ipsius nauim à cæteris seiunctam septem hostiles, in queîs Prætoria, circumstetissent, admiranda fortitudine ferro, atque igne, ita adsultus submouet, licet vulnere cruris debilitatus, nulla vt propius succedere, & rem cominus periclitari auderet, nemo abesse Imperatorem sentiret. Ex parte altera galeatiæ pilarum tempestate, atque igneis missilibus in aduersas detonantes, ingentem stragem, cruentos fluctus ciente pelago edebant. Vbi vero nauigia, aut casu impulsa, aut destinato inuecta, infestis proris concurrerunt, ac repercussu illisa & resilientia, corporum certamen miscuerunt, cuncta fors regere, passim cædes, ac vulnera, & plurima mortis imago vagabatur. Eum denique nostri corporibus, atque animis connixi impetum dederunt, vt quinque onerarijs, totidem constratis partim captis, aut incensis, partim demersis, aut litori illisis, reliquæ intentis velis turpissima fuga abriperentur. Inter quæ Mocenicus, tormentorum strepitu excitus, inuito vento ac pelago præceps in certamen ferebatur. Eum procul conspicatæ Turcicæ triremes ratæ purpuratum maris præfectum directo Tenedum cursu Rhodo aduentare, magna lætitiæ significatione obuię effunduntur. Sed vbi D. Marci signa propius fulsere, nemo enim nostros aduersa tempestate Imbro soluere potuisse credebat, nouitate periculi perculsæ, remis velisque connixæ, effusissima fuga litori proras obuertêre.

Imperator ventorum, ac fluctuum euerberata pertinacia, fortunæ obiratus, quæ tantæ victoriæ spectaculum, quam arbitrium delegauerat, pugnandi cupidine ardens, id vnum consummandæ victoriæ deesse arbitratus, si naues certamine elapsas, aut caperet, aut incenderet, septem triremes, antequam proximum promontorium flecterent, aggredi

constituit. Res erat extremi periculi, & si dicere fas est, temeritati propior. Nam quinque munitiones tormentis instructæ, intra grandioris sclopi ictum subeundæ erant: nec digna periculo merces. Sed animi nimius, & præferuida iuventa immodice fortis, maioris semper discriminis aleam deposcere, successusque vrgere, & fortunam lassare solitus: & quia multa prouenerant, quam summæ rei præfecto conueniret animosior, magnæque animæ, quæ melius reseruata foret, prodigus, recta in hostem contendit. Et quamuis præmissarum nauium alteri malus tormento diffractus sit, alterius aliquot milites in eius conspectu lacerati, vrgente fato impauidus succedit. Sed iam venerat horæ terminus extremæ. Nam maioris tormenti pila, non in eam spem emissa, sulphurei pulueris cadis illapsa, excitato incendio, vesaniẽte flamma, convulsam momento puppim distrahit, atque vnicum Imperatorem, & quatuor patricij sanguinis, præter ignobilem turbam per inane iactatos disijcit, vnâque publicam spem intercipit.

Hæc est Lazari Mocenici Apotheosis, non mimica, & sæuissimis Tyrannis ancillans, factura Deos, ne hominis quidem titulo dignos, ac deuotas Tartaro vmbras impactura sideribus: sed libera, ac plaudente Orbe, inusitatæ virtutis meritis impar. Sic noster Achilles Dea natus, breuis æui, in conspectu Troiæ, non imbelli Paridis dextra, sed tonantis fulmine Acheronta fugit. Ante funeratus, quam mortuus, sine mortis sensu extinctus, non ad rogum, sed in æthera, succollante flamma elatus, idemque sibi cinis, ac rogus, feretrum, ac tumulus, pœnâque expiatus, & radians, bustoque renascens, non Aquila Cæsarum satellite, sed magnæ matris Leonibus inuectus origini suæ redditus est. Sic Venetus Hercules, non in Oetæo vertice, sed in Asiæ, atque Europæ confinio, non muliebri fraude, sed nimia virtute, vivus, ac videns consecratus, æternos animam collegit in Orbes, nusquã, & vbique sepultus, ac ne qua mundi pars hoc pigno-

re

re vacarèt, per omnia elementa diuisus, & quasi non posset tellus tantum ferre sepulcrum, Cœlo conditus.

Eludant, vt libet, qui Venetos natura imbelles, toga, quã sago, consilio, quam manu præstantiores, foro, atque ambitionis officijs occupatos, Cœli solique clementia remollitos, ad belli munia impromptos, ad pericula segnes, sæpiusque auro, quam ferro pugnantes, credi volunt. Nisi enim innumera Venetæ fortitudinis exempla tot seculis extitissent, vel vno hoc bello, densatis procerum funeribus, satis declaratũ esset, quanta sit gloria gentis principibus, pro patria in ferrum, atque ignem ruere, mortem contemnere, ac lacessere, nihil metuere nisi turpem famam, vitamque pro laude pacisci. Quanto acrius libertas defenditur, quam domini.

Potuerat Mocenicus, totque alij incliti duces, ac pręfecti, diri exempla fati, domi discinctum otium conterere, vitamque desidem, & concessis voluptatibus refertam agitare: pulcherrimæ, atque amœnissimæ Vrbis delicijs frui: in re lautissima, ac principali paratu iuventam mollius curare: pleno honorum gradu ferri: gaudere ambitu: Comitiorum aura impelli: denique belli rumores ex tuto captare. Potuerat celsiorum nauium Pręfectura, totque periculis perfunctus, emeritę militię requiem non impudenter optare, ac duo vulnera patrię numerare. Potuerat Imperij maritimi summam adeptus, fortasse etiam debuerat, sibi parcere, vt omnibus consuleret, pericula alijs delegare, mentemque non manum classi commodare: maxime postquam altero lumine cum fortuna deciderat, ac mortis dimidium in corpus receperat: cum tot mortalium millia vno oculo regerentur, causariam missionem honestissime sperare, ac poscere, vt dignitatem supremę proximam adeptus, fastigij illius candidatus, partis opibus, atque ingenti gloria in ore ciuium frueretur.

Hæc omnia patriæ donauit antequam supremum munus erogaret. Maluit in remotissimis oris, tenui ligno, ac ventis vitam credere, marisque fortuitorum pleni fidem infamem

tentare: in id certaminis genus descendere, in quo ferrum non tota fatorum pars est: interdum mucido nautici panis frusto ventris latratus sedare: scatentem vermibus aquam casside potare: per transtra, & foros Imperatorium corpus proclinare: æstu, siti, inedia, algu ętatis florem macerare: nobile caput quotidie periculis obiectare: cominus hostem petere, vulneraque & cędes fœnerari: denique non iam Spartana, sed Veneta nobilitate, obstinatus, aut vincere aut mori, grandinem sanguinis, vt cum Pindaro loquar, à chara patria propulsans, in opere animam effundere. Sic Veneti animas patrię auctorati dimicant: sic libertatem, religionem, Italiam oppositu pectorum ab hoste communi tuentur: sic publica fata redimunt: sic itur ad astra: hęc est ad superos via.

Ecce novum sidus exoritur, ac minora signa pręradiat, ingentium animarum, quę aut pręcesserunt, aut longo agmine comitātę clarius Cœlum fecêre: transcripto illuc Venetę iuventutis flore, quę vt olim in re simili Pericles dixit, sic e ciuitate, vt ver ex anno sublata est. Hęc tamen, nos miseros, nemo suspicere, nemo oculos pręlachrimis attollere audet: quoties tot luminibus, quot stellarum collucentium oculi illinc micant, orbatam Remp. cogitat. Nam licet supremus Heros, velut machina subductus sit, nondum Tragœdię exitum videmus, quam quidam nimis secure spectant, quidam amant. Ergo huc preces, huc vota flectamus diuosque rogando faciamus.

Tua fortissime Imperator Cœlo recepta imago, Vos, ò, Indigetes animę, quibus virtus vitâ potior semper fuit, mors votum ac merces, has terras, hęc maria, vestro cruore irrigata, hanc patriam à vobis seruatam propitio lumine respicite, atque isthinc in perduelles, ac fœderum ruptores tela euibrate: vos à magno Deo nostris culpis infenso misericordiam extorquete; vti exoratus, Venetam ac Christianam rem fortunet ac sospitet, formidinem, fugam, cla-

dem.

demque in impios, ac Numinis sui contemptores vertat. Nos inuiti superstites, vestra vestigia adorantes, cum res poposcerit, sanguinem patrię dabimus, interim quod proximum est, memoriam vestri, fideli literarum custodia in omne ęvum sacrabimus. Dixi.

IANVS CLAVSVS
Prolusio XXIII.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

SExtus decimus annus agitur, ex quo Veneta res tristissimo bello conflictata, Ottomannicam vim, qua olim clarissimarum gentium imperia corruerunt, magnaque Orbis pars pressa seruitio gemit, non sustinet modo sola, sed reprimit, atque infringit, nec tam pelagi ditione, quam vetere victoriarũ gloria spoliatam intra Bizantii claustra coercet, & vt sic dicam Neptuno flagra, ac Thracio Marti compedes minitatur. Tot annorum spatio, immensæ potentiæ exiguam manum obsistere potuisse nulla posteritas credet: nos ipsi hodie dubitaremus, nisi tot fixa de barbaris trophęa in oculos incurrerent: nisi tot captæ Vrbes, disiectæ classes, fumantes oppidorum reliquiæ, constratum cadaueribus mare, decolor sanguine Oceanus flueret: nisi tormentorum tonitrua è proximo aures impellerent, fulgetra aciem perstringerent: & si poetarum more loqui fas est, Odrysia Luna suo, atque externo cruore fœdata nitorem conderet, atque impiam gentem æterna nocte damnaret.

Atqui funesti belli initio nemo erat, qui destitutæ ferè ab omnibus Reip. præmaturas inferias, ac mortis carmen non caneret: quique hoc libertatis sacrarium primo Thraciæ tempestatis turbine, ac superfusæ barbariæ diluuio pessum ituram timidissima miseratione non ingemisceret. Quos enim

animos, quas vires inopinato deprehensis, ac longæ pacis otio torpentibus, & tanti belli, quod iam biennium coquebatur simulatione per summam perfidiam deceptis, vix hostium aspectum, vix superba ora laturis? Hæc tunc, quibus vtriusque partis vires cognitæ erant, anxii, ac solliciti reputabant: quidam fortasse, tantæ fortunæ fulgore præstricti, ne quid durius dicam, lætabantur.

Sed esse cordi superis hoc Christianæ rei columen nunquã certioribus iudiciis approbatum est. Quippe tanta inuictæ virtutis constantia, tam præsentibus animis ad hanc diem certatum, vt repressum Turcicũ furorem, redditas ex æquo clades, ac toties infortunio mactatos hostes vix fidem inueniat. Illud omne miraculum exsuperet, potuisse etiam raptores Orbis, omnium rerum diuinarum, atque humanarum prædones penitus profligari, bellumque patrari, si aliquid humanæ opis Venetis alicunde accessisset. Sed truces inimicitiæ, semperque magno luenda populis Regum cupiditas, & incertamine dominationis, ac gloriæ, odium vltra humanarum iratum fidem sæuiens, omnem auxilii spem hactenus intercepit, fidemque dicto asseruit, non virtute sua, quã vitijs nostris, ac discordiis Ottomannicum Imperium coaluisse. Quæ inter Reges prope triginta annorum contentio, omnia diuina, atque humana permiscuit, nec duo modo florentissima Regna mutuis cladibus attriuit: Italiam certantium votum, ac summam, omni calamitatum genere pessundedit: sed vniuersum terrarum Orbem concussit, ferroque & igne, & quæ hæc consequuntur fame, ac pestilentia prope ad solitudinem redegit.

Tantane animis cœlestibus ira?

Cumque maiorum exemplo, non dico Bizantium, ac Solymos Ausonijs tropheis spolianda esset, atque ibi Crucis vexilla sistenda, vbi sepulchrum barbaro pede proculcatur: quale votum hodie non sanæ mentis habetur. Sed cum Scythica rabies Italiæ immineat, ac per Venetorum corpus ad

Orbis

Orbis excidium grassetur: illaque parricidiorum furijs agitata bellua, Latio dementes ruinas, & Christiano nomini funus meditetur. Quis non ingemiscat, ac tacitis questibus indulgeat? Duos maximos Reges communibus sacris, nec vno sanguinis pignore iunctos, victrices dextras in sua viscera conuertere: populosque eadem tabe contactos, debitum liberando Orbi sanguinem alienæ cupiditati impendere, & circa Christianæ rei bustum, furialibus armis velut in arena concurrere.

Ita cum pars altera secundis rebus mersa intumesceret, altera aduersis pressa vindictæ cupiditate flagraret, abscissa omni concordiæ spe, duratæ in exitium mentes: læti occasione barbari, victis, ac victoribus insultandi. Cum igitur consumptis, ac prope deploratis votis humanum genus mœrore, ac metu contabesceret, præter omnium expectationem primò Christianæ pacis spes affulsit, tum voti fiducia ab vltima desperatione marcentes animos erexit.

Totum hoc optatissimæ tranquillitatis beneficium, secundum superos duobus viris Christianus Orbis debet, quorum nomina æternitatis fastis adscripta grata posteritas venerabitur. Hi sunt Iulius Cardinalis Mazarinus, & Aloysius Mēdesius de Haro, duo Ledæa sidera, quorum exortu fœdissima tempestas, quæ prope suprema Europæ incubuerat disiecta, compositæ Regum mentes, ac nouo sanguinis fœdere illigatæ, contusæ barbarorum spes, illisque acerrimum discordiarum nostrarum telum ademptum, & beatissimi seculi initio, pace terrâ, marique parta sanctior Ianus clausus est.

Hoc fortuna loco tanta duo nomina famæ
Composuit, miseri nec est spes irrita Mundi.

Huc igitur mentes, huc vota, infelices tot bellorum reliquiæ, ac vitio parentum iam rara iuventus, & à Pacis templo, pacis studia ac Musarum meditamenta auspicare, & vna mecum in venerationem composita, Orbis liberatoribus ac

genijs

genijs salutaribus hoc memoris animi tributum effusissima gratulatione persolue.

Et Iulium quidem Mazarinum sine piaculo præterire non possumus; quem in hoc natura, bonique diui terris commodasse videntur, vt ostenderent, quid summa virtus, in summâ fortunâ efficere posset; qui tamen totam fortunæ claritatem vni virtuti ferret acceptam. Cuius animi vigor præstantissimus, & quod olim de altero Iulio dictum est, sublimitas omnium capax, quæ Cœlo continentur, nominis præsagium impleuit. Licet Iulij illius, qui largitione, ac vi domitos Quirites ad sua flagra deduxit, virtus patriæ exitio fuerit, huius Orbi salutaris. Qui non longa Principum serie tumens, sed modicis initijs, incomparabilis ingenij præstantia, solertia, ac fide, omnes honorum gradus emensus, in proximo Regiæ maiestati fastigio aduena stetit, vt attonitis omnibus, non maximi modo Regni, sed ad extremum rerum humanarum arbiter, Orbem consilijs, atque operibus fatigaret, cuncta nutu regeret, iura, legationes, fœdera, exercituum præfecturas, Imperij opes, & arcana in manu haberet, gentes quas vellet bello quateret, & cum visum esset, opima pace refoueret: quodque alias inauditum, non modo cum Italiæ Principibus, sed cum Regia domo, genus, ac sanguinem misceret.

Qui ad omnia summa natus, ab adolescentia maximis negotiis innutritus, qua ætate ceteri virtutis rudimenta ponũt, emeritæ laudis præmium tulit. Nam licet literis, ijsque reconditis, & exquisitis, atque omni disciplinæ cultu impensissime imbutus, iam tum æquales anteiret, qui neminem parem, aut secundum habiturus erat, indolem res humanas moderaturam præmature exeruit: & in contubernio magni viri, qui ad componenda Regum dissidia à Pontifice in Insubriam missus erat, imperitantium artes, atque arcana dominationum edoctus, futuræ gloriæ prolusit.

Nam ardente bello, & de Casalis, veluti de Orbis posses-

sione

sione certantibus Regibus: Hispanis Vrbem circumsedentibus, Gallis ad soluendum obsidium infesto agmine properātibus, nequicquam tentata pacis mentione, cò res adducta erat, vt nonnisi vniuersi certaminis alea decidi non posset: vt illud pereuntis Italiæ bustum, nouis ossium aggeribus cumularetur. Iam signa canere, manus conferi, misceri prælium, ac cruentari ceperat, incredibile dictu, Mazarinus flexis ducum mentibus, ac perscriptis pacis conditionibus aduolans pugantibus se infert, & velut Maiæ nepos Cœlo delapsus, inter volitantia tela, ac pilarum grandinem discurrens, magna voce, res ex sententia compositas proclamat, furentes dirimit, atque innumeras animas momento temporis ab internecione vindicat, vtroque exercitu seruato gramineam promeritus.

Rem seculis inauditam! Nam qui bellorum procellas consilio disiecerint, & discordes animos subita tranquillitate composuerint, multos vetus memoria commendat. Sed qui conserto prælio, væsano Marte percitos, ac vindictæ cupiditate cęcos, tubarum sonitu, ac tormentorum crepitu, obstructis auribus animisque, à mutua cæde retraxerit, iræ dulcedinem interpellauerit, hic post veteres Sabinas vnus repertus est. Discordes populos, atque insito odio iuratos hostes, nō ab extrema modo rabie repressos, sed eodem loco, quo mutuum sanguinem hauserant, armatas in exitium dextras, excussis gladiis iunxisse, bona fide ruisse in amplexus, atque obortis lachrimis, fluentem cruorem diluisse, cum tot qui interfuēre superfint, vix hodie creditur.

Inauditam laudem, inusitato honoris genere complexus est Vrbanus VIII. Pontificum Maximus, cum vt tantæ rei memoria testatior esset, eam in Vaticano pingendam mandauit, vbi Mazarinus forma imperio digna, atque illa facie toto Orbe secunda, inter ruentes acies paciferas oleas prætendens, atque pro omnibus caput deuouens spectatur, duobus exercitibus abominando exitio seruatis, laureâ triumphis omnibus

bus anteferendâ.

Magna quidem olim Miltiadis gloria habita eſt: quod cum in porticu Pœcile, pugna depingeretur Marathonia, imago eius in decem Prætorum numero prima poſita eſt: ſobria adhuc honorum Rep. nec largitione magiſtratuum corruptis moribus, trecentis poſtea ſtatuis vni Phaleræo poſitis. Ne hîc commemorem à Sylla Quiritium carnifice, depictam in villa Tuſculana, quæ poſtea fuit Ciceronis, oblatam ſibi Marſico bello gramineam coronam, fædiſſima ciuium proſcriptione poſtea detractam. Quota portio laudum Mazarini, non vnius diei triumpho Vrbem inuecti, ſed in Vaticani ſacrario, non de cæde ac ſanguine hoſtium, ſed ob ſeruata tot Chriſtianorum millia perpetuo triumphantis? Scires à ſene terrarum Orbem pacandum, qui iuvenis vtriuſque gentis fatis interceſſiſſet.

Inde Pontificis, Regumque certamine congeſti in iuvenem honores, purpuraque licet approperata, ſerior meritis, ac publica expectatione viſa. Sed, vt opinor, hoc ſidus Galliæ debebatur, vt quæ ſalutis publicæ, ac ſecuritatis fundamenta Richelius, alterum ſeculi miraculum iecerat, hic ad faſtigium perduceret, ac demum incertum fieret plus ne Gallia ciui, an extero deberet. Certe ſuperis Regni præſtitibus prouiſum eſt, ne inchoata felicitas vna cum auctore interciderct.

Nullum quidem vetus, aut recens ætas tulit cum Richelio comparandum. Qui incredibili, ac prope diuina virtute, Regnum illud inteſtino ſcelere, ac furiali bello convulſum, Regiam maieſtatem procerum conſpiratione imminutam, ac prope oppreſſam, non ſeruauit modo, ſed in priſtinum decus reſtituit: atque eradicato omni perfidiæ, & impietatis aconito; producto pomærio, illuc Gallica ſigna intulit, quo ne ſpes quidem, ac cogitatio priorum Regum peruenerat, genteque æmula tot cladibus contuſa, ac prope afflicta, Gallicum nomen iiſdem ac Solis terminis circumſcripſit.

Ce-

Ceterum Richelius in eum Regem inciderat; in quo virtus, ac fortuna ex æquo certauit. Qui fortitudine, & clementia, non parentis modo Gallici Martis fulgorem æquauit, sed acta prope obscurauit: vt clarissimarum toto Orbe victoriarum Richelius mens, Ludouicus dextera fuerit. Ita purpurati consilijs, Regis inuicti auspicijs, ac ductu Rhea in libertatem asserta: Rupella studiis asperima belli, illa Reip. sentina, religionis scopulus, Henrico Magno ne spe quidē tentata, vltra Tyriæ obsidionis fidem admirandis operibus continenti iuncta, nec tam aduersus Anglorum potentiam, & coniuratæ impietatis conatus, quam naturæ vim ventorumque ac pelagi rabiem cum ipso Oceano sub iugum missa: atque inde è latibulis, ac lustris eruta sectariorum hydra, numerosum malum, supplicijs fęcundum, igne, ac ferro mori docta, Gallici Herculis est opus. Quid Italiæ claustra ad Susam perfracta, atque immistæ nubibus Alpes suo sidere armatæ, media hieme perdomitæ? Pinarolum in ore trium exercituum captum: Casale ter obsidione liberatum: Sabaudia subacta: Ruscinonensis Comitatus, Perpennianum, totque oppida Hispaniæ erepta: Vallis Tellina victricibus copiis infessa: denique Germania & Belgium nequicquam victorijs peragrata fuissent, nisi Cardinalis consilijs fortissimus Rex triumphalem manum præsens commodasset; nisi in Vrbium obsidione, licet ægra valetudine patientiæ exemplo hostes superasset: nisi in prælijs ante signa, & vbi plurimum laboris, ac periculi dimicans, nominis fama, interdum solo aspectu armatas acies exterruisset.

Vtroque rebus humanis exempto, Mazarinus Richelij supremis monitis, Ludouici tabulis inter muliebrem tutelam, rudimentumque primum puerilis regni Galliarum regimini ad motus est, gentis, vt veteres crediderunt, inquietæ, auidæque faciendi principis, vel imperij. Turbidis adhuc, ægrisque ac suspensis rebus: principibus de more circa rerum summam, ac Regni arbitrium digladiantibus: non paucis

cis publicæ libertatis prætextu cum hoste consilia miscentibus, haudquaquam ad talia segni, hasque opportunitates animose mercante. Fatali Aulæ illius indulgentia, nec tam parata defectioni venia, quam magno semper auctoramento redempta contumacia.

Cum ergo maius ab intestinis dissidijs, quam externo bello Reip. discrimen immineret, sparsaque in Regiæ penetralibus discordiæ semina, cuncta secum tractura inualescerẽt: qua ille dexteritate, qua consiliorum altitudine tumentes animos componere aggressus, ac fomenta adhibere, vt pacem ferre vellent, neu despecta Regis infantia cuncta pro libidine traherent, raptarent, sed ciuiles iras in hostes verterent?

Cuius rei admiratio ita demum solida perueniet, si quis cogitet, vbique terrarum, sed ibi præcipue peregrinæ virtutis odium, semperque recentem felicitatem ægris oculis introspectam, superba procerum fastidia, atque interdum per ipsum Regis caput petitam insidiis ministrorum fidem. Itaque tantarum rerum contemplatione necesse est obrui reputantem, quomodo homo Italus, non dico tam breui in id potentiæ euectus sit, sed grauissimo externo bello, simul domestico certamini tandiu par esse potuerit, atque in Aulæ lubrico tot impellentibus consistere, perque eas turbas, atque insidias, non modo Regis, sed sui potens animum in tot curas diuidere: tot bella per Hispaniam, Galliam, Belgium, Germaniam, Italiam consilijs, ac nutu administrare, succisos ærarii inopia ac peculatu belli neruos reparare: potentissimũ hostem non vna clade percellere: & procerum insectationem, obtrectationem Senatus, etiam sequioris sexus machinamenta, & plus quam viriles fraudes, insanę plebis humile venenum, tot malorum conspirationes perferre, eludere, & vno veluti spiritu difflare.

Incurrit quidem in eum fortuna Galliæ magis quam ipsi calamitosa: sed cum toto impetu desæuiisset, ita concussit,

vt

vt post casum validior exsurgeret, rebusque aduersis, quam secundis admirabilior appareret. Hoc enim demum pror edita Galliæ salute, gentisque gloria ab ortu, ad Hesperium cubile porrecta, sæuæ mercedis accepit, vt sacrum caput iniquissima proscriptione peteretur ad necem, bonaque acerbissimæ voci præconis subijcerentur. Poterat ille quidē Regis Maiestate, cui sceptro potior ministri salus, totque exercituum fide in statione persistere: sed maluit Gallico sanguini parcere, pro quo nunquam suæ saluti pepercisset, ac sæuienti tempestati vela submittere seque à furentibus subducere, donec acrius sui desiderium subiret, ciuesque iuxta, & hostes intelligerent, Mazarinum Gallia, Galliam Mazarino carere non posse.

Ita ingenti animo inuidię cedens, vt olim magni illi Heroes testula labefacti, ab ipsis hostibus non tanquam exul, sed Principis in morem exceptus est, tum virtutis miraculo, tum quia sacrarum ædium ruinæ non secus, ac stantes adorantur. Ibi in alieno solo, tum maxime pro Rep. excubans, ita se gessit, vt amotum rectorem nec ciues senserint nec hostes. Donec fortuna Gallicum pudorem absolueret, Magnusque exul, iactatum perfidiæ fluctibus, ac pene à suis obsessum Regem, non tam inermi consilio, quam sex milliū bellatorum exercitu contracto discrimini eriperet, nec tam de hostibus, quam de ingratis ciuibus triumpharet.

Quæ diei illius species, quod illustrius popularis leuitatis documentum? cum Vrbs illa, quæ vt Mazarinum eiiceret penè obsequium in Regem exuerat; quæ bonorum direptione, ac distracto in Phariæ æmula bibliotheca, Musarum mūdo nihil furori reliquum fecerat: quæ conuiciis, ac maledictis insontem petulantissimè lacerauerat; quæ veluti sacrum, atque intestabilem deuouerat: eadem reducem effusissima gratulatione, ac quæsitissimis honoribus, cum ne maioribus quidem Regem posset, exciperet: humeris suis in Regiam reportaret, nec iam exulem, ac turbatorem, sed Gal-

liarum

liarum sidus appellaret.

Quæ sunt consecuta etiam ab hostibus confessionem expresserunt, vnius hominis virtute, ac perpetuis excubiis nõ modo Gallici Regni securitati prospectum, sed victricibus armis toto Orbe circum latis, clarissimarum victoriarum vestigia vbique impressa, vt demum bellis omnibus terra, marique compressis, optata gentibus pax, cum eius spes decoxisset, eiusdem nutu concederetur. Qua claritate nihil equidem in rebus humanis sublimius duco.

Sed quo me admirationis æstus attonitum, atque angustiæ temporis, ac tenuitatis virium immemorem rapit? Quæ ingenij vis quæ tanta facultas hæc mente assequi, ne dum oratione complecti valeat? Ergo Mazarino Gallicis rebus præsidente mentemque ac diuos præbente, capta Grauelinga, in Belgii viscera penetratum, & coniuncto cum Batauis exercitu ad occupandam Hulstam aditum patefactum: Elbam Insulam in Italia Gallici iuris factam: in Germania vltra Rhenum, ac Danubium signa promota. Rocroiano prælio cæsos hostes Lutetiæ imminentes: Theonisuillam, Duncherkam, totque oppida situ atque opere firmissima expugnata: & cum Sveci vt Daniam inuaderẽt Germaniam reliquissent, totum illud bellum Gallicis viribus sustentatum: repressam Bauari ferociam, atque in indutijs spem ponere coactum: reuocatos Svecos, ac præter omnium opinionem inenarrabili ingenii vi compositas res, & ex tanto bellorum turbine repentinam serenitatem vniuersæ pacis omen, Septentrioni redditam præclara ingenia æternitati procudent, si modo parem rebus scriptorem, quod vix sperare audemus, ætas nostra nanciscetur.

Vocat enim nos, nec se diutius sileri patitur alterum gentibus caput adoratum, totque votis expetitæ pacis sequester Aloysius Mendesius de Haro, Austriacæ maiestatis iam sola fides, Iberus Atlas, in quem Rex Regum vtriusque Orbis pondus reclinauit, & vt omnia vno verbo complectar,

cum

cum Mazarino à superis compositum par. Quanquam sicut genus, ita vtriusque dispar fortuna. Quippe Mazarinus eo ritu Richelio optio datus est, quo vir virum legit, non tam consiliorum, quam fortunæ heres. Vt ille ingentibus actis Gallicæ felicitati viam struxerit, quæ ab hoc demum consummata est.

At Mendesius Imperij secundum deorum opes maximi gubernaculis admotus est, cum nauigium illud, cui Catholica res, ac mundi salus est credita, horribili post hominum memoriam tempestate iactatũ, ita quateretur, vt prior proreta, siue arte ambiguis malis victa, siue fatorum inuidia penè clavum amitteret, ventisque ac fluctibus ludibrium deberet. Non modo enim ventorum deprælliantium rabies, pelagique funditus convulsi insania rati incubuerat: Sed à latentibus perfidiæ scopulis, seditionum æstu, ac vadorum insidijs extremum imminens discrimen. Cum toto mundo concita pericula facto agmine ingruerent, & in vnius Regni perniciem Regna pene omnia conspirarent.

Hinc ab Arctoo cardine Suecus Germaniȩ suȩ infestus hibernum increpans bacchatur: illinc Gallicus turbo stridens, Cœlum terramque miscet: inde ab vltimam Thule Anglici intonant nimbi: atque ab extremo Oceano noctem, hiememque ferens Batauica procella erumpit. Tum crebris populorum motibus, ac turbis veluti impactum breuibus nauigium, remis fatiscens sentinam trahit. Catalaunica seditione latus abscissum: Lusitaniȩ defectione carinȩ pars diuulsa; atque auriferi Orbis iactura, excussa armamenta: Panormi, ac Neapolis furijs saucius malus, claudum remigium, ac prope soluta compages.

Prima salus, tanta mundi ruina erubescendam fortunȩ ratem non periisse, proxima Hispanum Typhim non desperasse. Qui clauo affixus, & hȩrens, dum tempestas mandata fatorum peragit, ruentis cœli tumultum, & coniurati Orbis minas interritus excipiens, prope naufragȩ puppis habenas regit,

git, atque vndarum moles, ac decumanos fluctus, qua frangens, qua declinans, non incolumis modo portum subit, sed refecta rate, domiti imperiosi æquoris terga triumphali carina persultat.

Si vera dicenda sunt, Imperij illius, intra quod Sol nascitur, & cadit, frena moderari: & vastam illam molem, quæ magnitudine laborat sua, vno veluti spiritu animare: tot prouincias interfuso Oceano disiunctas: tot Regna immani terrarum tractu diuisa: atque vltimos deficientis Orbis terminos: & hinc occiduos Indos, illinc nascentis diei radijs afflatos, commercio, sed magis legibus iungere: tot populos lingua, moribus, ingenio dissonos in officio continere: tot Vrbes ferocissimis gentibus conterminas: tot colonias hostili solo intersitas tueri: tot exercitus, tot classes, consilijs, ac nutu regere, etiam altissima pace, non arduum modo, atque anceps, sed naturæ vires, atque humanę mentis captum supra est.

Quid cum fortuna sęuire, & cuncta miscere cepit? & tantæ felicitatis inuidia lymphatæ gentes ad arma consternantur? Nec simplici motu Orbis concutitur, atque ad Orbis decus opprimendum furiali mente vndique concurritur? Quid cum intestina rabies externi furoris additamentum fit: ac perfidię tabes visceribus serpens, in ipsa Imperij vitalia grassatur? Quid demum cum terræ filij væsano conatu Iouem Olympo detrahere moliuntur? Quę mens, quod pectus, quę consilij vis tot monstris par, ac superior in alio inuenietur? Furenti fortunæ animum non submittere, tot responsare periculis, oculos à custodia terrarum nunquam deflectere, intestinum scelus procul habere, eadem opera tutari socios, atque hostibus terrorem, ac luctum portare, ruentis imperij cursum sistere, ac demum efficere, vt fera munera militiai

Per mare, & terras omnes sopita quiescant

non humana laus est, quique hæc præstat vno minor est Ioue.

Hæc

Hæc magna ingenia delassabunt, ac posteritatem miraculo defigent, omniumque gentium literis, ac linguis ad Cœlum feretur, Mendesij singulari sapientia, ac fortissimis consilijs, tot terroribus circumuentam Rempublicam expeditam: tot vulnera vno tempore sanata: tot Vrbes, quæ in hostium potestatem venerant, receptas, aut obsidione liberatas: tot in hostico captas, signaque hostili Regiæ prope admota: tot copias profligatas, atque occidione deletas: implacabiles seditionum furias momento temporis compressas. Italię Principes, sibi, ac patrię aduersa consilia coquentes, molli brachio correptos, & cum à socijs deserti, atque ad extrema redacti, iustum Hispanicę indignationis fulmen exhorrescerent, publicę tranquillitati donatos, ac pristinę dignitati restitutos. Alios Principes Italicorum bellorum desultores, imperio profugos, ac patria extorres, copiis & liberalitate Regium in morem sustentatos. Casale, certaminum summam, post tantum auri, & sanguinis exhaustum, sicut olim Placentię arcem, ac Senas, magnanimitatis exemplo, cui comparari non possit aliud, suo Principi assertum, atque suppeditatos in pręsidium sumptus: nec vno documento, contra aduersos Ibericę cupiditatis, Orbis Imperium inhiantis, rumores, declaratum, Hispanam maiestatem non sibi, sed alienis commodis victrices Aquilas circumferre, atque Europę tranquillitati, & religionis tutelę, inexhaustas Indorum gazas, ac tot populorum animas profundere, ac sociorum salutem suis vtilitatibus antiquiorem habere. Ita rebus licet angustis, cognati Cęsaris maiestatem toties ope fultam; nec tam Germanię, quam superis, ac templis infestissimos hostes ab ipso Imperij iugulo detractos, & pacem petere coactos.

Sed pręcipue omnium linguas in pręconium soluet, illa in tanto culmine facilitas, hoc est vera optimi, & clementissimi, quotquot olim fuere, eruntque Regis imago: rarumque sub illo Cœlo, effusa, atque obuia comitas, populorum

vota prouocans, tanto gratior, quanto grauius alterius, qui aulę potiebatur fastidium, rarus sermo, luctantia verba, durę fores, contractę frontis nubes, & vltra gentis supercilium, tristitia, ac senium.

Hęc & similia, pręcipue ex eadem humanitate, ac posteritatis cura, literarum patrocinium, ac magnificum ingeniorum cultum, quodque eius cuncta regentis potentiam, nemo senserit, nisi aut leuatione periculi, aut accessione dignitatis, quibus audacia, ac vires curatius exequentur, ac perpetuę memorię commendabunt. Nobis in pręsentia satisfuerit, Mazarino bene gestę, Mendesio conseruatę Reipublicę Christianę testimonium reddidisse.

Sed vt vnde incepit, eodem reuertatur Oratio: quantum vobis clarissima mundi lumina humanum genus debeat, omnes intelligunt: quantum humani generis decus, ac delicię Veneta Resp. expectet, quantum debitura sit, non est facile explicatu. Frustra enim tanto molimine suscepti labores, si vobis modo res acta esset, & diuinę huius concordiæ fructus in sociorum tutelam, & Christiani Orbis securitatem non redundaret. Quorum sociorum sicut res admodum perturbatæ, ita spes in maximorum Regum ope, ac vestra virtute sunt sitæ. Ita ad hanc diem res à Venetis gesta est, vt nihil magnitudini animi, nihil constantiæ, nihil consiliorum sublimitati addi potuisse ipsi hostes fateantur. Nihil pro libertate, ac Deo inausum, nihil intentatum: omnia diuina, atque humana dura necessitas, & stans supra caput fatum experiri coegit.

Ingens auri, atque argenti pondus, magnis Regibus inuidiosum, longa pace, ac parsimonia, fertilique tot gentium ad hæc litora appulsu, atque extremi Orbis commercio, accumulatum, egestum omne est, atque exhaustum. Tum ad voracissimos sexdecim annorum belli sumptus explendos, ne fidissimi populi grauius premerentur, omnibus conficiendæ per honesta pecuniæ, ingenijs consumptis, Reip. patrimoniũ distra-

distractum, & mille annorum census hastæ subiectus, ipsaque Regibus æquiparanda, ambita Principibus nobilitas, cum populis communicata. Proceres cum publica pietate, & interse certantes, profusis leuando ærario opibus, mensarum instrumento, ac matronali mundo diuendito, nihil sibi reliqui facere, præter bonam mentem, ac libertatis studium, quam nemo cum Turcarum Regno commutaret. Quid aliud restat, nisi vt sacræ ędes spolientur, totque seculis intacta donaria in hastarium veniant, & conflato sacrorum ministerio ipsæ aræ vectigales fiant?

Nec minus sanguinis, quam auri prodiga eadem nobilitas, certat quotidie patrię spiritum impendere. Tot nobilissimorum ducum laudatis antiquorum mortibus pares exitus, tot libertatis victimę, decussus patricius flos, & non priuatis funeribus orba Republica, tot ingentes animæ sideribus transcriptæ. Vincendo quoque atterimur. Instat crudelissimus hostis, & vt olim Xerxes terras armis obsidet, cœlum sagittis, maria vinculis: Reges, nisi succurritis mundus captus est.

Quid cunctamini, & bonos socios quorum virtus, ac fides nunquam in periculis vestris cōtremuit bacchanti furiæ prædam destituitis? Moueant vos tot pro patria interemptorum manes inulti, quique mortuis inuident tot captiuorum millia per diros cruciatus excarnificata. Moueat nobilissimi regni, & quondam centum Vrbibus, ac Tonantis cunabulis inclyti, ipsis barbaris, ne dum Regiæ mansuetudini facies miserabilis. Cuncta rapinis vasta; incendiis torrida, ruinis consepulta. Prorutæ domus, euersæ fortunæ, profuga nobilitas, omnis humanę opis indiga. Raptati liberi, nurus infanda passæ, matronæ superbissimorum hostium pedibus aduolutę. Vetustissimarum religionum templa solo æquata, aut lustris ac stabulis prophanata. Raptæ e claustris virgines, & Deo dicatus pudor peregrini latronis spolium: quędam ante aras in ore superum iugulatę, tristior earum conditio,

quę barbaricę libidini, atque incestis thalamis seruatę, ingens vbique superum inuidia. Cretensis regni reliquię intra Vrbis conseptum conditæ, aut de scopuli vnius nido pendentes.

Subeat tot fœdè morientium, tot fędius viuentium miseratio, & si dicere fas est, subeat communium sacrorum pudor & Christiani nominis reuerentia. Subibunt scio Francorum animos antiqua decora, ac toto Orbe decantatæ transmarinę in barbaros expeditiones, Sanctorum Regum captiuitate, ac fato memorabiles, ipsumque Byzantii raptum, & cum Venetis partitum imperium. At Hispana maiestas, tot asserti Orbis titulis pręradians, vltro vota pręueniet, & quam alias laborantibus socijs opem tulit, nouo beneficio cumulabit, & ad commune incendium extinguendum accurret, atque in sociorum discrimine sibi dimicans, breui è Dyctæo rogo transcursu, pestem proxima quæque correpturam, submouebit.

Non alia profectò ratione contaminata Christiano sanguine arma expiari possunt, quam si in Christi hostes vertantur, atque impijs pectoribus honesta vulnera excipiantur. Nec tutius vtriusque gentis, quæ otij impatiens, si foris desit, domi hostem quærit, securitati consuli, quam si imbutæ præda manus, truces cædibus animi iras effundant in barbaros. Externo bello Christiana pax constabit.

An quæ sexdecim annis Ottomanica res ambiguo Marte, ac mutuis cladibus cum vna ciuitate contendit, iunctis præterea duorum Regum viribus par esse poterit? Absit, dicto inuidia, & Christiana bella sileant, mille acies grauiores quam Turcarum vestra sociata virtus auertet; ac superbum regnatorem Asię auito solio deripiet, nec Byzantii modo culmine proturbabit, sed in Scythicas solitudines trepidum conijciet. Modo sit perpetuus conuentæ pacis amor, & ciuilis cura concordię. Venetam Remp. nunquam beneficio victam esse vestri annales loquuntur, nam quid bello valeat

hoc

hoc supremo calamitosæ virtutis experimento declarauit. Tum vestris auspicijs iam pene desitum Salutis augurium humanum genus concipiet, vestro Numine PAX missa per Orbem

Ferrea belligeri compescet limina IANI.

Amplissimo ac Præstantissimo Senatori
BAPTISTÆ NANIO EQVITI

Octauius Ferrarius F. P.

TVa singularis humanitas vltro venerantium vota prouocans, cunctantem impulit, vt paucis pagellis nomen tuum præscribere, & obscuris ingenij conatibus tantum claritudinis circumfundere auderem. Licet enim literaria meditamenta, quibus quotannis studiorum instauratione proludimus, iuuentutis votis, ac penè conuicio diu debere non potuerim, ac plutei claustra refringere passus sim: nunquam tamen ea tanti feci, vt digna putarem quæ viris principibus nuncuparentur.

Satius igitur esse duxi sine nomine, veluti capite minuta emittere, quàm in mustaceo videri lauream quæsiuisse. Sed ingentium tuorum meritorum memoria animum pulsabat, nec quiescere patiebatur, antequam ea præsentibus, ac post futuris testatam facerem. Idquidem alio iusto opere exequi destinaueram, ne tanti nominis fulgor Rhetorum commissionibus obsolesceret. Sed spissum illud, ac materia restibilis, & lenti moliminis, ægre dispungitur.

Dum ergo hæsitarem, res incidit, quæ omnem pudorem absolueret. Tuus scilicet reditus in patriam optatissimus. Nam cum Vrbs, ac prouincia tota excita sedibus suis insolita omnium ordinum frequentia, flagrantissimis studiis in occursum tui, triumphum in toga meriti effunditur: & ipse quominus huc aduolem ineuntium studiorum compede præpedior: religio fuit saltem Aduentoria te non adire, eademque Musarum gaudium & gestientis Academiæ effusissimam

gratulationem testari.

Alias ergo plenius tua, ac maiorum decora, atque immortalia in Remp. merita persequar, teque ipsum tibi reddam. Congestos in iuuenem honores, immaturo rei summam permissam, idque innocentiæ, grauitati, constantiæ datum. Sed præcipuè legationes in Galliam, & Germaniam, quibus splendidiores Sol non vidit. Vbi tu inaudita munificẽtia, ac profusissimis sumptibus populos obstupefecisti: sicut Regibus ingenij præstantia, rerumque vsu, ac facundia miraculo fuisti. Aucto in immensum fulgore, postquam iterum extra ordinem ad eosdem gratulatum missus es: magnum Regalis fortunæ blandimentum, cui tu non minus acceptus, quam tibi libertas, omni fastigio potior. Super omnia erit postremæ legationis fructus: hoc est admirabili tua prudentia, animi vigore, ac dexteritate, impetrata ab Rege maximo aduersus publicos hostes, terra, marique auxilia.

Hic satis fuerit in studiorum omen, ac solatium, interiorem vitam tuam, ac reconditas literas suspexisse, atque illam semper egregio publico exercitam eloquentiam: qua sicut exteros Reges tibi deuinxisti, ita in augusto hoc Regum consessu, summæ rei arbiter omnium mentes, atque ora in te circumagis, & flectis. Ac ne quid dignationi deesset, ad prodendam posteris, rerum, quarum magna pars fuisti, memoriam, iuuenis delectus es: vt quamuis gloria iam superuiuas, ac posteritati intersis, omnes de te loquantur, & scribant: etiam post fata audiaris, in ore, in manu omnium verseris: viuat, vigeatque eloquentia sacrata scriptis, nec vnquam publica vox intercidat. Quis enim melius hæc scribat, quam qui sic gerit?

Hinc nobis ex alto suffunditur rubor, quoties leuia ista, atque vmbratica, iudicij tui aciem subitura cogitamus. Sed & libelli olim simulachrorum genibus affigebantur: nec vlli vnquam vitio fuit Deos colere quoquo modo posset. Et hæc pretiosa fiunt quoties templis appenduntur. Vale publicæ rei ac literariæ spes, & columen.

Patauij Kal. Nou. MDCLX.

MVSARVM SECRETVM
Prolusio XXIV.

SAepe in bicipiti somniasse Parnasso memini: quidque in Helicone actum esset ex hoc loco vobis cum fide retulisse: & per ambages, Deorumque ministeria, ac fabulosum sententiarum tormentum, liberum spiritum poetarum more excutiendo, studiorum auspiciis prolusisse. Nunc ille iuvenilis impetus, ac velut instinctus, simul cum ætate deferbuit, & despumauit: atq; obrepente senecta, cum sanguine mens friget, hebetque, & oblita nugarum, dulci ludo amoto, rem vt se habet, sine fuco, ac fallaciis eloqui amat, interim mordaci vero radere aures non dubitat.

Ite hinc inanes Rhetorum manipli, ite
Inflata rore non Achaico verba,
Ite hinc inanis cymbalon iuventutis.

Cum Venetijs præteritis mensibus ad virum primarium officij causa inuiserem, vt ille, inquit, te libenter aspicio, vt opportunus venis! Literasque illico ostendit à viro nobilissimo ex celeberrima Academia scriptas, quibus ille postulabat, vt si aliquem nouisset, qui literas politiores in eo Gymnasio summo loco, ac summo stipendio profiteri posset, eum indicare non grauaretur. Nam post clarissimum Sigonii ingeniū, post breues Dempsteri, & aliorum, quos fama obscura recondit, conatus, qui eminentem locum impleret triginta annorum spatio adhuc quæri. Tu quidem inquit ille artificii societate, atque harum rerum vsu, hac me cura exonerare potes, simul ab Vrbe illa, atque Academia non exiguam inire gratiam, si quem muneri parem demonstraueris.

Cum ego paulum subticuissem, moxque ancipitis consilii inuidiam deprecarer, precibus eius, qui imperare poterat, permotus dixi, credere me, non paucos esse ad eam Spartam

or-

ornandam idoneos: sed magna ingenia plerumque in obscuro latere, & alios quidem sorte sua contentos docendi laborem adspernari, aut infra dignitatem putare: quosdam fortunæ iniuria, ac re angusta domi premi, quo minus emergere, atque in hominum cognitionem venire possint. Ceterum si ex scriptis, atque ingenij monumentis iudicium ferendum sit, neminem me in præsentia videre, cui ad id munus suffragari possem.

Cum hæc non sine rubore, atque intimi sensus angore protulissem, in ore omnium qui aderant, fuere autem non pauci, indignatio eminebat, qui si non malignum, nam noscitabar ab omnibus, at contumeliosum Italiæ iudicium incusare cœperunt. A quibus cum ego leniter contenderem, vt si quem ipsi nouissent, cui ea prouincia committi posset, ne id decus publico inuiderent: haud enim verisimile esse, si quis extaret, sedulam Gymnasii Curatorum cuncta scrutantium diligentiam tandiu latere potuisse. Cum illi deprehensi hæsitarent, ceteri huc flexerunt, vt causas præsentis desidiæ excuterent, & cur pulcherrimæ literæ penè perijssent, cur vili reliquarum artium annona, eruditus, rara auis in terris esset, seriò disquirerent. Quid tum ex tempore responderim, postquam totam commentationem ad incudem reuocaui, hic repetere, e re vestra, ac literaria esse arbitratus sum: si modo vos tam patienter audiueritis, quam sunt illa à me libere disputata.

Vt ergo Aratus ab Ioue, sic ego ab oratorum maximo exorsus sum. *Honos* inquit ille *alit artes, omnesque gloria, & præmijs ad studia incenduntur*. Multas quidem excelsas animas, victura seculis nomina auorum ætas tulit, Politianos, Victorios, Vallas, Barbaros, Manutios, aliosque complures. Nimirum Nicolaum V. Leonem X, Cosmum, ac Laurentiũ Medices eadem ætas tulit. Sicut vetusta secula Marones, Flaccos, Ouidios, venerata sunt, quia in Augustum, & Mœcenatem inciderant. Vetustiora Ennium, quia Scipiones

ac Fuluios fautores dederant. Vetustissima, vt de ceteris sileam Aristotelem, quem tamen, quantus erat Alexandro Macedoni imputarunt. Nam Veneta res omnium seculorum fastos occupauit: & cum alibi Principes Musis propitii, magna pars infensi nascantur, & occidant, hic cum libertate studiorum pretia æterna sunt.

Quis ergo vetat in maxime libera omnium gente, de studiis ingenuo homine dignis liberrimè loqui? Divûm inclementia, divum, has euertit opes. Hoc est Principum illiberalitas, hæc tropica instituit. Optimæ literæ paulatim despici, & contemni cœperunt, earumque cultores, non aulis modo submoueri, consilijs eiici, Vrbibus exterminari, sed vulgo ludibrium debere, ac tantum non in pistrinum, atque ergastulum compingi. Itaque Musæ, memoria parentum, inopia, & squalore confectæ, conclamatis vasis, sacra manu, victosque deos ferentes; pars Galliam, pars Batauos exulatum iere, ibique in coloniam transcriptæ, præter miseras in hoc angulo reliquias, barbariem, ac senium Italiæ reliquerunt. Profunda inscitiæ altitudo incubuit, pauca ingenia caput exerunt.

Et queremur posthac Ariostos, Tassos, Iouios, Guicciardinos, aliosque quamplurimos, quorum famæ venerabundus Orbis assurgit, veluti Oracula defecisse: Italiam in Italia quæri?

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.

Quis iam eruditum vnius assis pretio licebitur? *Quis dabit Historico, quantum daret acta legenti?* Certe Oratori nil nisi verba dabuntur. Eadem in poetas, sacrum genus largitas, ac mansuetudo, qui vbi è se exire cœperunt, inedia curantur.

Nimirum cessere illa tempora; nec iam fidem inueniunt, cum *& titulis & fascibus maior habebatur, donandi gloria. Odisse quam donare vilius constat.* Cum Athenienses, teste Pausania, quod à Pindaro laudati essent in quodam asmate his ver-

verbis; *sedula, ac veneranda Graciæ columen, Athenæ*, plurimis donis coluerunt, ac statuam in publico posuere. Nec mirum illis temporibus florem poetarum fuisse, cum maximis muneribus honestarentur, & honoribus amplissimis augerentur. Vt non infacete quis dixerit, ætate nostra vocalem illum musarum chorum conticuisse; quando, quæ auaritia marsupia potentium clusit, eadem venas Heliconij laticis obstruxit. Cum poetarum alij in Regum contubernio degerent: alij paruo beati, vt Homerus atque Hesiodus, Regum amicitias spernerent, ac potentium hominum opes, gloriæ quam sibi apud omnes gentes maximam comparauerant, posthaberent. Cum Menandrum Aegypti, ac Macedoniæ Reges certatim ambirent, classeque ac legatis ad se pellicerent: ille abnueret, Regiæ fortunæ prælata literarum conscientia. Cum Plinius minor, Martialem in patriam discedentem, quod paucis versiculis ab eo ornatus fuisset, viatico prosecutus est. Adiicit ille, fuisse moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel Vrbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare: suis temporibus, vt alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exoleuisse. *Nam postquam*, inquit, *desijmus laudanda facere laudari quoque ineptum existimamus*.

Ita olim Syracusius senex dulcissimus, conquestus est: Musas quidem domo cupide recipi, verum indonatas remitti. Non enim homines propter præstantia facta cupere, vt ante laudari: sed lucro victos circum spectare, vnde ipsi argentum auferant, illud subinde iactantes. *Mihi modo sit quod habeam, Dij benefaciant poetis. Didicit iam diues auarus Tantum admirari, tantum laudare disertos*.

Festiuum est quod sibi euenisse facũdissimus Muretus scribit. Qui cum in Vrbe Philosophiam, quæ est de moribus profiteretur, viri primarij, quibus à Principe mandatum erat, vt præmia professoribus pro sua cuique dignitate decernerent: Quod Philosophi præcipue morales pecuniam contemnere dican-

dicantur, constituerunt periculum facere, ecquid Muretus verè Philosophus esset, ac nummorum contemptor: exiguam ergo mercedem destinarunt, vt si id ille ægre tulisset, ex eo conuincerent, eum pecuniam non aspernari. At ille non minus facetus quam eloquens. Bene habet, inquit, vt Philosophus pecuniam contemnam, sed tam eam quæ denegatur, quam quæ exigua offertur. Nam si alterutrum necesse sit, gratuitum otium gratuito labori anteponam. Satius est enim sine stipendio otiari, quam exiguo auctoramento immensos labores sustinere. O attentos principalis ærarij dispensatores, ò ingeniorum tortores, & carnifices, quibus in re literarum capitali ludere vacuum fuit! Et fortasse disertissimus Romuli nepotum ære dirutus fuisset, nisi Poloniæ Regis legatus in tempore subuenisset. Qui cum eum plausibili oratione Romana subsellia quatientem audisset, amplissima conditione in Poloniam Regis nomine inuitauit. Ex eo iniectus Principi tubor, qui vberiori stipendio oblato, decus hoc Latinũ, ac suadæ medullam Sauromatis, & glaciali Oceano inuidit.

Resurgerent haud dubiè magnæ illæ animæ, si Principibus aliter videretur, si honoribus, ac stipendijs ad summa quæque excitarentur. Hæc eo liberius, ac libentius dico, quod Veneta Resp. fouendorum ingeniorum, ac reparandarum literarum vnicum hac tempestate exemplum est. Nam vt tot alia inauditæ liberalitatis exempla prætercam. Quis Principum, ac Regum, præfiscine dictum sit, mille sexcentorum aureorum, summo omnium disciplinarum honorario, Rhetorem mactaret? Dira septendecim annorum belli vastitate, turbatissimis ærarij rationibus. mussantibus interim, aut ringentibus, quibus literæ nostræ Musarum scruta, ac friuola, disciplinarum fex, & rudimenta, denique Grammatica suppellex esse videntur. Neque intelligunt inepti præter septem, ac viginti annorum labores, non homini, sed pulcherrimis studijs hoc decus additum, quæ prope extincta, munificentiæ exemplo, cui comparari non pos-

sit aliud refouentur. Tam parcis alibi, ac restrictis procerum animis, tam anxia in raudusculo diligentia, tam misera, ac ieiuna eruditorum spe, tanta huius artificij contemptione, tam supina & proiecta gloriæ, ac posteritatis incuria.

Altera pereuntium quotidie literarum labes est, summa huius studii difficultas, qua absterriti iuvenes artes & minus laboriosas, & lucrosiores sectantur. Quod scilicet eruditio siue pædia disciplinas omnes, illumque scientiarum Orbem vasto ambitu complectatur, sitque vere polymathia. Vt nemo plane doctus, atque eruditus dici mereatur, nisi eas omnes plusquam delibauerit. Sane Vitruvius Architectum suũ ita producit, vt literatus sit, peritus graphidos, in geometricis versatus, optices haud ignarus, arithmetica excultus, historias callens, Philosophię initiatus, musicę sciens, medicinę haud expers, Iurisprudentię nequaquam rudis, Astrologię cœlique rationibus exercitus. Eadem omnia exigit Quintilianus ab Oratore, quem instituit.

Venit in mentem quod narrat Apuleius, extitisse olim sophistam Hippiam nomine, qui pręter artium liberalium cognitionem quibus non perfunctorie fuerat imbutus, nullum ferè opificium fuisse, quod ille ignoraret. Venit hic aliquando Pisam, cum Olympici ludi ederentur, celeberrimo totius Gręcię conuentu, non minus cultu visendus, (verba Madaurensis sunt) quam elaboratu mirandus. Nihil eorum quę habebat, emerat, sed suis sibi manibus ipse confecerat: & indumenta quibus indutus, & calceamenta quibus inductus, & gestamina, quibus erat conspicuus. Annuli etiam aurei, quem læua manu ostentabat faberrimo signaculo, & orbiculum circulauerat, & palam clauserat, & gemmam insculpserat. Neque hæc tantum ipsi sibi concinnauerat manu sua, quæ vtcumque ab arte laudabiliore possunt commendari, sed & strigilem, & ampullam oleariam fabricauerat, quibus in balneo vteretur.

Non ego quidem Oratorem, atque eruditum ad ista humilia,

lia, & sordida detrudo, atque in officinam compingo, sed liberalibus disciplinis omnibus, si non imbutum penitus, at non leuiter tinctum debere esse contendo. *Hunc qualem nequeo monstrare, & sentio tantum.* Quorsum ista? Si medicæ facultatis princeps, vitam breuem esse conquestus est, artem vnam longam, quota vitæ portio singulis doctrinis, ac disciplinis sufficiet? Vita breuis est, ait Romanus Philosophus, nos eam ludo, inertia somno, voluptatibus breuiorem facimus: & magna eius pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

Quo magis eorum socordia, ac dementia admiranda est, qui postquam in meridiem sterterint, atque intra Vrbem peregrinantes omnes eius angulos à summo ad imum quasi ædilitatem gererent perreptauerint, & aut in foro vagis ambulationibus, aut rumorum auidi in tonstrinis, ac pharmacopoliis, fabulis ac sponsionibus diem oscitantes triuerint, eruditi videri volunt, & de viris doctis cum supercilio, ac fastidio sententiam ferunt. Nullam diem domi se continere, ac ne horam quidem apud se esse possunt: odere penates, eosque ac seipsos vitant fugitiui. Non illos æstus, ac Syrius furens, non Aquilo terras radens, non bruma niues agris allinens, non fœdus imbre dies, ac nebulæ putres limine cohibent, non si hibernus Iupiter ruat tectum pati possunt. Cuncta domicilij tædio leuiora sunt. Intendentibus se tenebris lassi fabulis, sed non satiati, larem repetunt, serius etiam reuersuri, atque abnoctaturi diutius, nisi infessæ armatis viæ, ac nocturni terrores, brutaque fulmina addere gradum cogerent. Qui hoc vnum boni præstant, quod errones, atque emansores maturè domuitionem capessere compellunt.

Atque vtinam bene noctibus vterentur, qui diem insane prodegerunt. Sed frigus cogit luculento camino assidere, sub noctem irriguum mero corpus habere: præstat cœnam præuenire, atque in ea se plusculum inuitare, quam libris im-

pal-

pallescere, ac lucernarum fuliginem bibere, plus vini quam olei consumere: mox septem stragulis inuolutum in cute curanda plus æquo operari. At simul clarum mane fenestras intrat, eodem momento se de lecto proripit ac domo, omnesque Vrbis vicos, fora, Ianos, angiportus lustrat, atque in nihil agendo totus occupatur, tempusque fallit, & fallitur. O seri studiorum, putatis doctrinam per tegulas, & impluvium de cœlo in sinum deuolaturam, vobisque dormientibus, hæc deos confecturos creditis?

Dicet aliquis ex trossulis istis, ac Sibaritis, qui nunquam orientem solem viderunt. Quid, te domi perpetuo damnabis? & cœtus tędio atque ingenii tristitia, veluti in latomias detrudes? teque vivum sepelies, longasque superstitis exequias duces? Vt intra domesticos parietes condito, inscribi possit, Viuens fecit, aut illud, Hic situs est Vatia. Illi ipsi scriptores intra quos, ipso situ, atque otio in tabem iturus, te abdis, iam fato functi & compositi, monere debent, vt viuas. Quid enim aliud bibliotheca, quam commune sepulchrum? Homo animal ciuile est. Colendæ veteres amicitiæ, nouæ comparandæ, officia humanitatis commercio alternanda: inuisendi ægroti, mærentes alloquio leuandi: versantibus in iudicio aduocatio commodanda: ducendum funus: nuptiarum, laureæ, honorum solemnia frequentanda: collegia, sodalitates, experimenta, suffragatio: & si nihil horum est confabulationibus, ac rerum nouarum aucupio tanquam pabulo reficiendus animus: bella terra, marique pugnata memorando, vacuæ aures permulcendæ.

Addite dulce quibusdam esse animi causa in ciuium mores inquirere, ac prætereuntes naso suspendere, dicta iacere, & iocorum amaritudine, ac periculosis salibus male ingeniosi famam aucupari, malleque amicum perdere, quam verbum. Domorum aduersa, atque occulta opprobria in lucem trahendo maleuolentiam pascere, interim quid in tergo pendeat non videre, & his omnibus veluti oblectamentis

tædia

tædia vitæ discutere.

Longe mihi, & cuicumque cor sapit alia mens est A. optimi. Scilicet illi, qui si non fastigium in literis occupare, at aliquod saltem nomen inter eruditos tueri velit, summam temporis parsimoniam atque honestam auaritiam adhibendam esse, horasque quam nummos attentius dispensandas: atque vt homines simus, hominum commercia fugienda: vt aliquid cudamus, quo nos vixisse testemur, vitæ blandimenta abrumpenda. Præstat à pluribus noscitari, quam multos nouisse. *Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi.* Ita domum veluti qui thesauro incubant, sedulo custodiendam: raro, nisi cum necessitas exigat, pedem limine efferendum, rationem cum mortuis crebro deducendam, vetusque illud testudinis vsurpandum. *Domus optima, domus dulcissima.* Quam tardigradam, domiportam, Veneris simulachro Phidias adstituit, vt discerent mulieres animal vagum, ac turbæ appetens, seruare domum: rectius illam Mineruæ adfinxisset, documentum studiosis, tuendos sibi religiose penates, ac voluntarium exilium intra domesticos parietes indicendum.

Non solum quia tempus, quod discursationibus per Vrbem impenditur, studiis misere deperit, cuius iactura, vt irreparabilis, ita inæstimabilis est, sed quia defatigatio corporis ad animum transit, & est quædam mentis lassitudo. Tum quod diuersis rerum imaginibus animus auocatur, & inanibus simulachris à solida contemplatione abducitur: amoris, iræ, atque odij affectibus velut in salo iactatur. Ille me minus familiariter aspexit: hic officiose salutatus vix labra deduxit, vix pileum dimouit, & contumeliosa humanitate satisfecit. Siccine terræ filium de via mihi non decessisse? Ille vero tot à me cultus officijs aduersarum partium est, & frigidam suffundit? *Hancine ego contumeliam tam insignem in me accipiam? mori me satius est.* Ita totus in fermento iacet, atque in impetu doloris est. Inter hæc, quæ mentis agitatio, qui cogitationum æstus, ac pene furor?

Est ergo secessus, & arbitrium sui, atque imperturbata publicis occupationibus quies, nec purpura nec auro venalis, studiis omnibus necessaria: sed solis humanioribus literis dono superum obuenit: reliquis artibus, ac disciplinis optata magis, quam concessa. Nam iuris legumque periti, si eos demas, qui interius sacrarium colunt, & Themidis mysteria tradunt, quam misere occupati, quam districti, quam parum sui, & vilissimi cuiusque importunitati obnoxij? Vt cum suum vnicuique pro potestate dispensent, sibi otium, ac tranquillitatem donare non possint. Nam siue foro operam, ac vocem locarunt, & linguam causis acuunt, insanis concertationibus, clamoribus, ac iurgiis dies absumitur: litigatorum turba limen obsidetur. Libellorum fasces, *dubium grandi cum codice nomen*, querulus cliens, imperia viduarum. Quid cum *sub galli cantum consultor ostia pulsat, altumque somnum pallidus rumpit reus?* Ita qui omnibus præsto est, vix sibi vnquam adesse potest. Quod si fortuna liberalior, & genius qui temperat astrum, cum tribunalibus admouit, vt ciuica iura respondeat, ac rebus humanis imposuit: magnæ fortunæ magna seruitus, ingenuæ cruces: causidicorum altercatione obtunditur, conuicio aures pulsantur, & vt querebatur Cæcilius, subsignandi libelli, scribendæ literæ illiteratissimæ, interrogandi rei, torquendi, damnandi: inter sontium questus, lachrimas, squalorem, imo inter lictores, & carnifices degendum. Hanc vos vitam putatis, cui non semel mors extrema rerum linea, votum est?

Quid Medicorum postquam virtute, ac fortuna in ora hominum venere, nisi quis tradere artem malit, quam exercere, vt exercita, iurisque non sui, ac morbis quos pellunt, similis vita est? Dubia adhuc luce surgendum, interdum nocte concubia, more veredarij discursandum, pererrandæ domus, lustranda nosocomia, sententiæ disceptandæ, inter muliercularum querelas, ægrorum conuicia lux conditur. Qui medicum inter pendentia fata, mortis arrham, ac Libitinæ

iura,

iura, magnam studijs operam, vt opus Medico non habeat, impendere, ac iucunde viuere posse putat, is helleboro dignus est.

Solis ergo bonarum literarum cultoribus viuere datum est, vitæque bonis, ac solidis honestæ voluptatis gaudijs, ac beatissima tranquillitate perfrui: cæterisque mortalibus negotiorum æstu iactatis, quietis portum tenere, atque inde insanos fluctus, ac furentem Neptunum secure despicere, & inania curarum ridere, ac veterum libris *ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ*. Qui enim re sua quamuis angusta contentus, in otium honestum, seque ipsum recessit, remotusque à sollicitudinibus, & curis, & necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, nihil audit quod audisse, nihil dicit quod dixisse pœniteat. Hominum ineptias ac stultitias, quæ deuorandæ sunt illis, qui cœtus frequentant, non morose, sed ingenuo liberoque fastidio respuit. Non illi dolent oculi, nec ea spectare cogitur, quæ nemo sine suspirio, ac gemitu, vt frontem feriat, aspicere potest. Fortunæ ludum insolentem, bonorum præmia penes improbos, malos repente felices, Musas profugas, literarum senium, & contemptum, liuorem, ac maciem, & cetera, quæ nonnisi philosophico stomacho concoqui possunt. Non discurrit, non æstuat, non tumultuatur, non insanum lubricumque forum, ac famam pallentem experitur. Sed sibi canit & Musis, & vt Plinius junior aiebat, neminem ipse reprehendit, nisi vnum se cum parum commode scribit, nulla spe, nullo timore sollicitatur, nullis rumoribus inquietatur, secum tantùm, & cum libellis loquitur. Subijcit, *o Regiam sinceramque vitam, o dulce otium, honestumque, ac penè omni negotio pulchrius?*

Vere in seposita vita, ac Musarum Secreto, sine satellitio, sine regni curis, regnum est. Sibi habeant ergo sua regna Reges. Rex est, qui Regem non vidit; *nec curat alto Regiam trucem vultu*. Rex est, qui sibi imperiosus fortunæ, ac cupiditatibus responsat, qui superbis liminibus non assidet,

qui impotentium cœnas non captat: Rex est, qui vt olim Tertullianus de pallio dixit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debet: nulla rostra præoccupat, nulla prætoria obseruat, cancellos non adorat, subsellia non contundit, causas non elatrat, non iudicat, non militat: de populo secessit, nec aliud curat, quam ne curet. Rex denique Regum.

Quoties verò laxandi studiorum labores, & corpus animi fultura curandum. Aut domi per hortuli limitem repetat, & vt ille scholasticus, omnes viticulas atque arbusculas numerat.

Aut rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat.
Hoc equidem reor,
Vixisse ritu, prima quos mistos Deis
Profudit ætas.

Neq; interim ignaua eius opera, sordidumq; & ex Epicuri hara otium est. Scilicet patriæ, & imperio, reiq;publicæ atq; omnibus viuit, qui sibi natus videtur. Strenuam exercet inertiam: & aut in publico mortales instituit, acroases facit, mille oculi loquentem spectant: aut nidum seruans, noctes atque dies in omnium doctrinarum meditatione versatur, ac posteritatis negotium agit, toti, vt Romanus ille Stoicus, se inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem mittens, & cum Aphricano identidem dicit, se nunquam minus otiosum esse, quam cum feriatur, nec minus solum quam cum degit solus.

Quis credat? In hos sanctos vitæ recessus improbus liuor irrumpit, ac veluti manes reuellit. Nam vbi quis mature receptui canens, se ab hominum conspectu subduxit, statim illud e triuio: atra bile homo percitus furit, ac Bellorophontis morbo laborat

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans

Laruæ hunc, atque intemperiæ agitant. O medici mediam pertundite venam. Cum contra secessus, ac literatum otium,

animi

animi languentis medicina ſit, mentiſque mœrore ſauciæ, ac miſero curarum tumultu vexatæ dulce lenimen, atque Homericum nepenthes. Vere enim Græcus Amphides dixit, nullum infortunij ſolamen ſtudijs dulcius eſſe poſſe mortalibus; mens namque literis dedita haud ſentit mœroris oram ſe ſui præteruehi. Nec aliter ingenioſiſſimus poeta in exilio quam carminibus miſerarum obliuia rerum quærere, ſeque à contemplatu mali reducere ſolebat.

Intempeſtiua quoque non inuidioſa modo eorum ſapientia eſt, qui cum Ariſtotele, quod homo animal natura ciuile ſit, eum, qui à ciuitate alienus degat, aut improbum eſſe, aut homine maiorem contendunt, ſiue vt idem paulo poſt loquitur, aut belluam, aut Deum. Quorum primum ſi verum eſſet, veteres illos anachoretas ſiluicolas, vitæ exules, viros ſanctiſſimos, atque innocentiſſimos eodem præiudicio damnaremus. Nam horum temporum pluſquam ciuiles ſunt, ac nihil minus quam ſoli. Ergo alterum ſumamus, & eum qui minimarum rerum egens ſecretum colit, dulceſque inſedit latebras, ſi non Deum, at homine maiorem prædicemus. Bellua eſt qui ita inter homines degit, vt omnem humanitatē exuat, qui in genus ſuum ſæuit, qui cognatis animantibus non parcit, qui ſi poſſet ſolitudinem faceret, qui denique homo homini eſt lupus. Bellua eſt, qui vitam ſilentio tranſigit: cui votorum ſumma quid edat, quid bibat: qui ſolo palato ſapit: cui anima pro ſale data eſt. Verum qui minimum hominis habet, ſeque ab hominum colluuione vindicat: qui partem hominis præſtantiorem, hoc eſt mentem ac rationem exercet, is ſupra hominem eſt, & ad Deum proxime accedit.

Proinde veſtrum eſt optimi Iuuenes ſtatuere, vtrum incultu, ac malarum rerum induſtria inanique diſcurſu, & multum ineptis laboribus bruta animantia referre velitis, an tempeſtiuo ſeceſſu, & otio honeſtiſſimo atque altiſſima tranquillitate, Deorum vitam imitari. Nam vt non minus acute, quam ſapienter olim Atilius dixit: *Satius eſt otioſum eſſe, quam nihil agere*. Dixi.

Amplissimo ac Generosissimo D. D. NICOLAO CORNELIO D. MARCI Procuratori.

Octauius Ferrarius Perpetuam Felicitatem.

VEnetam magnanimitatem veneranti mihi, atque inexhaustos, vt simplicissime dicam, plusquam regiæ munificentiæ fontes, florentissimæ iuventuti in studiorum omen indicanti, nobilius argumentum visum est, quam vt inter paucos periret, ac Gymnasij angustijs coercitum ibi tantum audiretur. Sed præstare credidi beneficentiam, quæ ad omnes pertineret, vbique narrari, ac virtutis eius, quæ neque modum nosset, neque terminum caperet, famam, solis terrarum Cælique finibus circumscribi.

Itaque non dubitaui totum eum sermonem à scholarum vmbraculis in Solem producere, quodque audacius votum est, tibi nuncupare, hoc est clarissimo exemplo publicam magnificentiam in compendium mittere. Cuius magnificentiæ magna pars, ac præcipua, Domus tua habetur, non vltimum Vrbis miraculum, imò propter quod Vrbs ipsa inuisitur. Nam sicut hæc inter reliquas Vrbes longè caput extulit; ita tua domus surgentes in Cælum moles maiestate sua obterit, ac veluti in ordinem cogit, nec saltem æmulationis gloriam relinquit.

Siquidem Roma olim M. Lepido, & Q. Catulo Coss. cum nulla pulchrior domus esset, quam ipsius Lepidi, intra trigintaquinque annorum spatium, eandem centesimum locum non obtinuisse scriptores produnt: quin cum pulcherrima, & laudatissima certantes centum domos, ab alijs innumerabilibus postea victas, indignantur. Hanc, primum & vltimum Venetæ generositatis conatum, aucta in immensum opulentia, ac profuso ad omnia, quîs pècunia prodigitur, censu, irritatis etiam ipsa contentione ingenijs, nulla domus æquare ad hanc diem potuit, ac de principatu deijcere. Adeo repente sum-

ma

ma facta est, & extra exemplum stetit.

Computare hic excisa montium viscera, parietes marmore solidatos, nexas auro trabes, felicem machinatorum audaciam, pictorum opera, atque impendia regalia: qualem denique Menelai domum fuisse, adolescens ille insularis apud summum vatem memorat: tanti operis iniuria foret. Sane Italum Principem huic regiæ inuidisse, ac pro ea centum aureorum millia parenti tuo obtulisse, adhuc in ore fama versatur. Qui ne cunctatus quidem, vt deliberasse videretur, licitante generosior, inuidiosam hanc summam repudiauit: nec modo extra inuidiam est, sed ad Veneti imperij maiestatem pertinet, priuatum hominem, centum millibus habitare.

Non ergo immerito ciuium, atque aduenarum consensus, illi Magnæ Domus titulum fecit. Neque enim angustior Lar Corneliam gentem excipere debuit, vnde reges matrimonia procarentur, ex qua Senatus nurus adoptaret. Quantacumque illa demum, inferior domini dignatione est, nec hero maius ornamentum ostentare potest. Nam quæ tua, in tanto culmine, moderatio est, ita regium domicilium imples, vt pauperis cellam colere videaris: atque e tanta laxitate in te recedens, tecum simplicissime habitas.

Nisi quod, ne quid deesset, vasta conclauia clarorum ingeniorum monumentis constipasti: vt iam ædes ciuitatis capaces penè Bibliotheca occupet. Intra eam tu, quantum à publico munere vacat, abditus, fruge Cleanthæa, ac fortioribus præceptis animum firmans, discis pares domui opes contemnere, & hæc fortunæ blandimenta infra sapientiam putare. Summa summarum gloriæ tuæ fuerit, domum à maioribus, qua nullam isthic pulchriorem Sol aspicit, accepisse: eandem innocentia, castisque moribus, largitate, doctorum virorum hospitio, & condito musarum sacrario, templum reddidisse. Ex quo si huc aspectum deflectere non grauaberis, in patriæ laudibus te quoque agnosces, ac publicæ munificentiæ præconio, de fama tua rectissime iudicabis. Vale.

Patauij Nonis Nouemb. M D C L X I.

VENETA MVNIFICENTIA
Prolusio XXV.

QVod sæuissimo bello circumquaque strepente, ac furiali turbine optima post homines natos, atque amplissima ciuitate concussa, nobis hic veluti summa tranquillitate, atque intimo pacis sinu laudandarum artium studia recolere, studiorumque auspicia renouare, literarios labores redordiri, ac veterem cum Musis rationem deducere licet: eiusdem Reipublicæ beneficium, ac miraculum est, quæ octodecim annos cum gentium victore, orbis terrarum auido Tyranno ex æquo contendens, pretiosissima rerum, literas, ac disciplinas in hanc Palladis arcem contulit, ac veluti extra teli iactum collocauit. Vt olim Græcos, ac Troianos heroes, deorum ope circumfusa nebula tectos in medio prælij ardore, inter volitantia tela, sine noxa versatos esse, Homerus vates prodidit.

Sed haud scio, an maius miraculum sit, voracissimis tam longi belli cuncta absorbentis impendijs, alios etiam extra bellum sumptus tolerari potuisse: nec tot modo exercitibus, & classibus, verum etiam togatæ militiæ stipendia erogata, eo impensius, quod cum Resp. militaris ærarij rationes inspicere, atque attemperare cogatur, pacis studijs, supra veterem liberalitatem, noua cómoda indulgendo, non satis computare Imperij reditus videatur.

Cum igitur alias hoc in loco non semel Venetorum procerum toto hoc bello incredibilem, atque inauditam animi magnitudinem, & constantiam aduersis rebus, quam secundis admirabiliorem, nullius quidem præconij indigam, tanta claritas superfluit, sed inflammandis iuventutis studijs, admiratione timidissima percensere, totoque orbe clarissimarum victoriarum laudibus personante, venerationem ac

gau-

gaudia miſcere auſus fuerim: haud alienum inſtituto opere, noſtræque pietati magis conſentaneum arbitratus ſum, ſingularem eorundem, ac prope diuinam munificentiam ad contemplationem vocare, atque ab hoc ſtudiorum incitamento, ſtudiorum primordia auſpicari.

Nam Veneta res, ſicut intactæ libertatis gloria, conſilij præſtantia, ac rerum fulgore Reges omnes, & liberas ciuitates facile æquauit, aut vicit: ita perpetuo munificentiæ tenore, omnium populorum ac principum luminibus offecit, & vel hac vna indeficientis liberalitatis laude ſe ipſam quoque ſuperauit. Eam ex triplici fonte promanare animaduertimus: Principum, ac Regum, totiuſque prope humani generis hoſpitio: bellicæ virtutis præmijs: demum fouendis ingenijs, literiſque ac ſtudijs ab inopia atque interitu vindicandis.

Grata enim in Deum, diuoſque omnes, veluti cum ipſis ſuperis, minime ambitioſe decertans magnificentia, humana mente ſatis concipi nequit, nedum prophano ſermone violari debet, aut poteſt. Arctata Vrbs maxima adorandæ vetuſtatis templis, nouis ſtipata delubris, conſita vndiquaque Sacellis. Templa Cœlo ſuo proxima, marmore, ac puriore metallo nitentia. Templorum maximum, Venetum Capitolium, Tarpeiæ libertatis ſedi adſtitutum, Marcium mauſoleum, Aedes aurea, minime iactanter ſcriptoribus appellata. In qua tamen minima pretij pars aurum ſit: licet illud apſidem, tholoſque omnes conueſtiat, ac parietibus illuſum à ſummo ad imum renideat. Minima inquam templi indicatura aurum eſt: ſi quis peregrini marmoris cruſtas, columnas ex alabaſtro: ſi Numidici, Parij, Spartani lapidis tabulas, ſi Thaſium, atque Ophitem reſpiciat. Si opere Muſiuo, tota templi teſtudine, in penicilli iniuriam effigies radiantes. Si erudito emblemmate variegatum: ſi onyche & chalcedonijs ſtratum pauimentum calcandas gemmas præbeat. Si hinc ærea limina, atque ex ſolido orichalco refixæ hoſtili cardine

va-

valuæ, inde clarorum artificum ſpirantia ſimulachra occurrant. Si veluti ab ignobili ſpectaculo in ſe oculos auertat ſingulare Romanæ maieſtatis, atque humani ingenij opus, templi ſupercilio incumbentes Corinthiæ quadrigæ, Neroniani arcus, mox Bizantini hippodromi ſpolia, non templi modo, ſed totius Vrbis pretium æquaturæ.

Et nondum penetralia ſubiuimus, nondum ſacras fauiſſas, ac mille annorum intacta cimelia luſtrauimus, nouis ſubinde donarijs, prodigo etiam inter belli inopiam cenſu accumulata. Congeſtos veluti in ludibrium gemmarum aceruos, pocula non gemmata, ſed gemmea, ignes lapideos, vnionum ſtruem, & margaritarum coagmentatione intextos thoraces. Vt merito exclamare cogamur, non quod aſſentator vates Flauiorum poſtremo impie gratificatus eſt: ſi quæ Cœlo, ac ſuperis data ſunt, repetantur, patrem deorū conturbaturum, nec vnciam totam qua decidat, habiturum. Sed quod extra controuerſiam eſt, in nulla Vrbe magnificentius, atque auguſtiùs Numen coli, nec vllas Cęlitum populo gratiores colonias vſquam terrarum haberi.

Has ſuperis ſedes Numinum maieſtate dignas Veneti Patres ſtatuerunt. Sed Regibus, ac ſummis poteſtatibus, ex orbe toto ad Vrbis miraculum oculis fruendum quotidie confluentibus, excipiendis, totam Vrbem hoſpitium poſuere: & cum libertatis arcem conderent, liberalitatis templū in veſtibulo aperuere: vt vel hoc vno res Veneta publica ſit, populis omnibus hoſpitali fœdere, communicata. Nulla enim vnquam tam ſepoſita gens fuit, & ab orbe noſtro diuiſa: nulla natio montium iugis atque interfuſo oceano diſiuncta: nulli principes ac Reges, quos Vrbis incomparabilis pulchritudo, illecebris omnis amęnitatis maritimæ terreſtriſque, ad ſui ſpectaculum non pellexerit, traxerit, rapuerit.

Vrbis ipſius, veluti terris, marique ambigua loci lege, exemptæ, vtriuſque arbitræ, ſitus mirabilis, vel ipſis ciuibus

nihil

nihil admirantibus. Innatans profundo moles, atque instabili elemento æternitatis æmula compago, ſcandentes æquore arces, tecta Cœlo minantia, ac multiplici contignatione, Vrbs vrbi impoſita. Nudata mœnibus Sparta, virorum robore, ſed magis concordia mœnita: fluentibus muris, ac reciproco vndarum aggere vallata: humili vadorum, turrium minas æquantium foſsâ, cæciſque breuibus inacceſſa. Inter currentibus riuis, veluti venis, torpentis ſtagni grauitas euentilata, ac mille pontium nexu pars altera rerum telluri iuncta: eremigata continens, inambulatum pelagus: atque ijſdem emiſſarijs, extremis terrarum finibus admota ciuitas, nauigabili gentium commercio, atque hoſpitali litorum omnium adpulſu, fertilis: rurſus rerum toto orbe naſcentium mercator Oceanus ſe Vrbis meditullio inſinuans, vt vbi nihil naſcitur, nihil deſit. Alter veluti cymbarum populus, ac penſilibus thoris, impulſæ lacertis roſtratæ lecticæ.

Priuatæ ædes pictura auroque, & marmore cum templis certantes, & in libera ciuitate plures Regiæ. Nec principalis modo ædium paratus, ſed nobilius ſpectaculum regiæ intus formæ, omnibus ſimulachris emendatiores: ac ne triſtis, atque horrida pudicitia eſſet, maris ſui ſpolijs oneratæ, in aquis vrentes Nereides. Contra fortior ſexus viriliter incomptus, ac ſingulari ciuilis modeſtiæ temperamento, ſapienti panno inuoluta nobilitas, par caueæ orcheſtra, ſoloque frontis honore, ac magiſtratuum inſignibus à plebe diſtincta, non ſtipatu, ac ſupercilio grauis, immixta populo, Vrbem vt ſuam incolit, domum tanquam hoſpitium. Vt ſi quis ædes, ædiumque ornatum ſpectet, pluſquam principes: ſi cultus, non ad noua, peregrinaque & hoſtilia exempla cōpoſiti, ſed duodecim ſeculis inuiolati ſimplicitatem, & cum pileolo pinguis tunicæ teſquorem intueatur, minus quam priuatos exiſtimet, hoc ipſo magnis Regibus æquandos.

Arx ipſa naualis, propter quam vnam, ſi non tot alia eſſent Venetiæ viſerentur, Lemniâ nobilior officina, Martis pe-

penus, armorum horreum, nauium textrinum, nil toto Orbe habet simile, aut secundum. In qua ferrea hastarum seges succrescit, classes nascuntur, ligneæ arces Oceanum peragraturæ ædificantur, æratæ triremes, intra paucas horas, non alueo modo, atque intexta costarum crate, forisque ac tabulatis compinguntur, sed armamentis omnibus ad summum vsque carchesium, quibusdam oculorum præstigiis aptantur: vt quæ paulo ante abies, & pinus in montibus steterant, momento temporis in mare deiectæ, ignotis litoribus insultent. Vbi fulmina terris erumpunt, cuprique fluentibus riuis, stricturæ chalybum stridunt, rerumque naturæ durissima pars igne mollitur, ferrumque excoctum flammarum semen concipit, ac fulminum fomes, exiguus puluis in vtero luctans, non tonitrua modo, ac turbines ciet, sed pilarũ procellosam grandinem armatis legionibus incutit. Vbi ventorum sinus, atque habenæ texuntur: antemnarum labor torquetur, nauigiorum frena cuduntur: liquentis picis stagna, quadam Inferorum imagine ebulliunt. Vt cum in Vrbe amplissimâ, immensa ciuium, ac peregrinorum turba degat, plus tamen armorum in arce sit: quidquid denique arcendæ, aut inferendæ morti, tuendo, ac perdendo humano generi, in sua mala solers ingenium excogitauit, ancipiti ministerio peragatur. Cum tamen omnis generis armorum, telorumque strues vastissima conclauia stipent: cum tormentorum, ac pilarum montes exurgant: cum quatuor millia mortalium hæc fabrica exerceat: cum ferrum cuncta occupet, plus tamen auri consumitur, propter quod ferrum excuditur.

Quem non ab vltimis terrarum oris hæc admiranda spectacula, magno Reip. stantia, ab omni æuo non euocarunt? Quot illam Pontifices maximi, aut profugæ maiestatis asylum, aut sacrarum in barbaros expeditionum diuersorium, aut temporarij secessus solatium habuere? Quot Cæsares, ac Reges, vel dissimulata persona, vel professo fortunæ fulgore,

re,

re, supra ipsam fortunam culti, hospitalem tesseram iunxerunt, ac fastigij obliti, contrarijs votis libertati fauerunt? Certe Henricus Rex III. cum à Sarmatico ad Gallicum regnum præcipiti festinatione transiret, aliquot dies huic diuerticulo, gaudijs properantibus impendit, vbi profusissimæ munificentiæ studijs obrutus, & spectaculorum magnitudine, ac varietate attonitus, fassus est, se aliquid maius inuenisse regno, quod reliquerat, & ad quod proficiscebatur.

Porro regulorum, procerumque, ac purpuratorum numerus iniri non potest, quot quot olim & hodie, aut honesta lustrandæ Vrbis cupiditas, sedibus suis exciuit: aut à Veneti Senatus oraculo, Delphica cortina certiore, petendi consilij, opisque exposcendæ necessitas huc adegit: vnde omnes ferè votorum compotes discesserunt, nemo certe post hominum memoriam indonatus abiuit. Neque enim Principibus modo, sed eorum legatis, ac ministris, loca lautia præbita, sumptusque suppeditati: omnes in discessu xenijs, atq; vberrimo congiario ditati, non alias toto Orbe Fortunatas insulas reperiri, nullumque pelago, ac Venetæ liberalitati fundum esse, ad suos reuersi prædicarunt. Sane cum bellum aduersus Veronenses Scaligeros gerebatur, LX principum, ac populorum Legatos vno tempore Venetias venisse, grauissimi scriptores prodiderunt.

Vt iam vna ciuitas cum magnis regibus, intra quorum fines tam Sol, qua aurum nascitur, quibus rutilas arenas opulenti amnes deuoluunt, in munificentiæ certamen descendere possit. Cui cum amplissimus census sit, nullis populorum lachrimis coactus, maior tamen animus est, qui nihil suum esse existimat, nisi quod donauit: pro cuius salute reges ipsi ac principes excubare deberent, quando eius opes, commune omnium patrimonium dici potest, quæ cum nullum beneficium fænerare soleat, non pauca tamen perdidisse visa est.

Hoc quidem Venetorum in exteros reges, ac populos sin-

ſingulare beneficentiæ exemplum eſt. Illud peculiare, ac domeſticum in eos, qui aut bellica laude, aut literarum gloria publicam liberalitatem prouocarunt. Et primum quidem militaris virtutis auctoramentum ceteri principes laudant, pauci admodum imitantur. Nam ab ipſo Vrbis primordio, quicumque Veneta ſigna ſecuti, ſtrenuam in bello operam nauarunt, aut aliquo inſigni facinore inclaruêre, nō duces modo, ac copiarum præfecti, ſed manipulares, & caligati, ſtipendijs aucti, & ordinum gradu altius promoti, opima ſemper præmia, ac largum ſanguinis pretium tulerunt. Nec quæ horum temporum ingrata ſæuitia eſt, finita militia, membris capti, ac vulnere inualidi, mulcato, ac debilitato corpore, ad noſocomia diuertere, aut truncas manus corrogandæ ſtipi porrigere coacti vnquam ſunt. Sed manentibus ſtipendijs, aut præbitis publicè alimentis, inopem ſenectam effugerunt.

Quibus vero humanorum operum pulcherrimum contigit, pro patria oppetere, ne in morte quidem Venetæ benignitatis immunes vnquam fuerunt. Nam liberi paternis ſtipendijs ſuccenturiati, filiæ illocabiles dotatæ e fiſco, orbaque parentum ſenectus, non vno ſolatio affecta, publicam pietatem adoptauit. Vt hunc tenerrimum Senatus affectum, præcipue poſt Tarrenſe prælium, non noſtri modo ſcriptores, ſed Italorum hiſtoricorum ſummus, non ita Veneto nomini propitius, eximia laude proſecutus ſit.

Neque in milites modo male à fortuna mulctatos, aut egregia morte perfunctos, ſed in plures populos, poſt vrbium ſuarum excidium patria, ac fortunis extorres, ſe Veneta magnanimitas extendit: ciuiumque in rebus extremis fides, & conſtantia, tutiſſimum ſemper Venetijs receptum, & calamitoſæ virtutis perfugium nacta eſt. Nam vt antiquiſſima ſileantur, incredibile memoratu eſt, quo pacto Chalcidenſes olim, & Scodrenſes, patrum memoria Cyprij, noſtra Cydonij, Rhithymnenſes, & Cretenſium pars magna, Tur-

carum

earum superfusa barbarie, oppressi magis quam victi, patriæ in cineres cadentis rogo semiambusti, atq; ex horribili naufragio in hæc litora eiecti, non immanissimam modo captiuitatem effugerint, sed omnis humanæ opis egeni, cum coniugibus, ac liberis, & humanissime suscepti, & liberaliter recreati, atque ab vltima desperatione, ad vitam, vitæque cultum sint reuocati.

Nam turba inops ciuibus infusa, ac per Venetam ditionem distributa, opificijs admota, frumentatione, & causarijs liberalitatibus sustentata est: primoribus vero, arcium, atque Vrbium præfecturæ cuique pro conditione, ac pristina fortuna, decretæ, plures sacramento adacti, turmisque & cohortibus impositi, quibusdam opima sacerdotia assignata, non pauci in professorum censum adscripti, nullus non publico beneficio subleuatus, magna pars perituri, nisi periissent.

Ex quo factum est, vt nemo optimo, & gratissimo principi, vitam ac spiritum impendere dubitet, mortisque capacia pectora in ferrum, atque ignes ruant: quod periculorum superstites, emeritam famem non reformident: si fatum vrgeat, liberos, ac reliquas necessitudines publicæ beneficentiæ hereditatem creturos intelligant. Populi vero tam iusto, mitique imperio subiecti, pro mœnibus, pro aris, ac focis, vsque ad extrema humanæ necessitatis duramenta, fidem obfirment, haud ignari, post bella tutam à baculo, & tegete futuram senectam: si patria cadat, numquam ipsis, ac posteris communem hanc patriam defuturam.

Sed hęc leuia videri possunt, prę vt ingeniorum culturę, ac optimarum artium studiis promouendis, totos munificentiæ sinus Resp. omnis sapientiæ alumna eadem, ac parens, effuderit. Quam quidem laudem eius propriam, ac peculiarem quorundam principum restrictus animus effecit. Namque ab ipso primordio, eadem libertati, ac literis cunabula posuit, quibus conseruandis pertinax superum fauor, atque peruigil

uigil hominum industria excubauit. Scilicet alterum alterius auxilio, atque ope mutua indiget, nec tam libertas sine disciplinis, quam doctrina sub dominis vigere potest. Libertas literis pretium ponit, quibus vnis eius bona intelliguntur, eoque animosius defenditur.

Ceterę gentes, quę regnantur, ferme liberalibus studiis arcentur, quo patientiores seruitutis sint, curuæque in terris animæ ingenuas artes auersantur: quibus vero subtilior sensus est, eas tantum discunt, quas non esse suspectas dominantibus intelligunt, aut vnde assentationi pretium accedat, corporeque nexi, ingenia quoque in mancipatum tradunt. Certe cum apud Turcas, & Scythas proiectissimum seruitium sit, stupor, atque inscitia captiuitatis nota est, ac plusquam barbarę dominationis firmamentum habetur, quo addictiora mancipia habeantur, excisis funditus literis, omnem illis humanitatis sensum adimere: vt famuli turpes, non dimidiata mente, quod Homero placuit, sed toto rationis lumine spolientur.

Nil ergo mirum est, apud acerrimos libertatis custodes, tantam literarum studiis dignationem semper habitam fuisse, vt inter arcana imperij pignora adsciuerint, atq; iis propagandis nullis vnquam sumptibus pepercerint. Et quamquam cœli huius, solique clementia clarissima ingenia, ac literarum miracula per omne æuum eduxerit, Bembos, duos Iustinianos, non vnum Barbarum, omnis barbariæ depulsorem, Quirinos, Maurocenos, Manutios, Egnatios, Crassos, aliosque quam plurimos: ne quid de ijs dicam qui vitali aura vescuntur, vrbemque ac seculum exornant. Hoc heroum prouentu minime contenta Resp., peregrinæ virtutis ęstimatrix, cum in hac vrbe Athenas, doctrinarum omnium colonijs deducendis, conderet, musarumque larem, ac Prytaneum institueret, in quo perpetuus ignis, & custos imperij flamma vigilaret, ex Orbe toto ingeniorum delectum habuit, atque omnis doctrinæ principes viros, & quod vsquam egregium

gium ex vltimis terrarum oris amplissimo congiario conquisiuit: ac veluti in auctione musarum, animosissime licitando, hominum florem delibans, vt Orbem locupletaret, Orbem ingenijs spoliauit.

Confluentibus velut ad viuaria, quicumque sapientię censu indicantur: quando nusquam terrarum maiori pretio virtus meret, nec alibi quæstuosior doctrinæ negotiatio, ac luculentiori conditione eruditionis artificium exercetur, vt auidæ doctorum spes, & improba quoque vota vincantur. Facessat enim intempestiua sapientia, paupertatem in literarum studio laudantium, eamque virtutis paucis contētæ magistram prædicantium. Quod sola gloria, ac nominis amplitudo satis magnum laborum, ac vigiliarum præmium censendum sit. Facilius enim inuenietis, qui diuitias accusent, quam qui contemnant. Honos quidem alit artes. Sed quod ille aiebat, Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro Venit honos. Nec tam fama, ac sterilis gloriæ cupido, quam Venetus Leo flauo metallo irradians doctos mortales pellicit, validius, quam argentum concisum in titulos, faciesque minutas. Aurum barbati inhiant magistri, quique rerum humanarum contemptum tristi supercilo profitentur, auctorati eunt, & maiora appetentibus, vita in tumultu est. Pauci abditæ terris laminæ inimici sunt, plures sibi ac musis plaudunt, quoties nummos in arca contemplantur: magna pars pauperiem ingens opprobrium putant: & fortasse aliqui rei magis quam famæ famelici, non tam bouem Academiæ insigne, quam aureum vitulum venerantur.

Huius intelligens sapientissimus Senatus hanc maxime escam hamis imponit, ac profuse largiendo cum doctorum cupiditate paria facit. Hinc inaudita alibi, vbique inuidiosa stipendia, nec equestres modo, sed Senatorij census vmbraticis hominibus decreti, & tamen cum plurimis abundè sit, paucis admodum est satis.

Sed quod omnem admirationem exsuperat, hæc omnia

non ſolum re populi placida, ſed belli triſtiſſimis, ac difficillimis temporibus cumulate repræſentantur. Alibi terrarum vbi Mars claſſicum increpuit, in literas, ac diſciplinas primus belli turbo erumpit. Aperto Iano gymnaſia clauduntur, doctorum vocibus tubarum cantus, ac tormentorum fragor obſtrepit: ferale iuſtitium Academiæ indicitur: quodque miſerrimum eſt, docentium cenſus in militis ſacculum diruitur. Culta muſarum noualia miles occupat: barbarus has ſegetes. Ità Phœbæi artifices, quibus menſtruum ſalarium fundus, ac patrimonium eſt, ante captam Vrbem fortunis omnibus ſpoliantur. Pulſis magiſtris Pieridum loca, ſolitudinis horrore, ac ſilentio vaſta, gramen velut in peſtilentia obſidet, niſi quæ iumentis ac ſarcinis conſtipata, alto ſordentia ſterquilinio, inceſtus Martis furor præſepibus profanauit.

Vt ante paucos annos obſeſſa Vrbe nobiliſſima, eademque ſtudiorum altrice, celeberrimum Gymnaſium in piſtrinum verſum eſt: atque ibi vetere laborum imagine, & quadam ærumnabilis artificij ſocietate, truſatiles molæ conſtitutæ ſunt, vt vbi alendis ingeniis farinæ flos, ſapientiæ medulla conficiebatur, ibi nequam homines polentam pinſitarent, & vnde literarios proceres fames expulerat, ieiunia plebis ſoluerentur, ſolique doctores in piſtrino eſurirent.

Credent ne poſteri, atrociſſimo duodeuiginti annorum bello, in hac ciuitate literarum, in hoc diſciplinarum omnium domicilio perpetuo Alcedonia fuiſſe? & cum nullum hominum genus belli calamitatum expers ſit, ſolis literarum cultoribus bellum fama modo auditum? cumque omnes tributum pendant, ijſdem vectigal perſolui? Nam cum ſæua ineluctabilis neceſſitas, ad explendos ſumptus, vix magnis regibus ferendos noua vectigalia, oblationes, indictiones, ſcripturam, decimas exculet: profeſſores omnium immunes, ac beneficiarij, non vetera modo ſtipendia tuentur, ſed vberioribus quam in pace honorarijs, mactantur: vt

quon-

quondam capta vrbe, obsesso à Gallis Capitolio, extrema fame vrente, panes, ostentandæ fiduciæ extra munimenta iactatos, accepimus.

Illud quidē annis proxime elapsis, ad Venetæ munificentiæ gloriam clarius illustrandam accidit, vt Academiæ reditus expensis superarentur, ac Musarum peculium, intactus bello fiscus, tam Gymnasij moderatorum profusam largitatem, quam doctorum cupiditatem explere non posset. Dum vitio gentis humanæ vnusquisque, se alteri meritis parem putat, suamque artem ceteris, aut anteponit, aut æquat, nec eiusdem operæ, aut ingenij eandem mercedem postulat, gratiaque, ambitu, prensatione, ac pene odio noua incrementa efflagitat, publicamque benignitatem obtundit, ac veluti ærarium perstringit. Ex quo factum est, vt literarij census rationes non nihil turbarentur, ac difficiliores quotidie fierent. Ita quæ singulis mensibus pecuniæ numerabantur, serius expungi cœperunt, ac tarda nomina fieri, vt vnius fere anni reliqua excreuerint.

Quæ tametsi grauia, ijs præcipuè essent, qui sibi amici, in mensem vivunt, victuque ac cultu splendido, sicut muneris dignitatem tuentur, ita haud multum heredem iuvant: vt alij suo sibi succo viuendum crederent, quidam nouas tabulas expectarent: nemo tamen mutire, nemo publicam fidem conuenire ausus est: satis gnarus, ipsos belli duces, trierarchos, & copiarum præfectos, qui Reip. sanguinem fęnerarent, milleque periculis apud horridas gentes, per incerta maris, ac præliorum vitam quotidie obijcerent, longe grauioribus stipendiorum difficultatibus conflictari.

Cum præter omnium expectationem non postulantibus, vixque credentibus totius debiti summa repræsentata est, quæ, in vniuersum viginti ferme aureorum millia conficiebat. Cuius incomparabilis beneficentiæ fructum, tam arctis rebus ac penè dixerim hac paupertate, secundum Serenissimum Senatum, amplissimorum Gymnasij moderatorum

prouidentiæ, atque indefesso de literis benemerendi studio debemus. Qui publicanorum animosius licitantium opportunitate vsi, sine ærarij detrimento, rem magnis difficultatibus implicitam, contra omnium opinionem felicissime expedierunt. Neque enim vt opinor, deerant, qui vtilitatibus fisci in literarum iniuriam adessent, ac tantam pecuniæ summam belli necessitatibus destinarent, meliusque eam collocari putarent, si ornandæ classi, ac militari tributo cederet, quam si studijs inertibus, atque vmbratili desidiæ impenderetur.

Facile quilibet alius Princeps, cui vilis literarum annona, sibi persuaderi passus esset, vt de alieno largiretur. Sed apud Venetum Senatum auaris monitis aditus obstructus semper fuit: qui insigni quadam, inaudita, noua animi sublimitate minutam hanc diligentiam veluti sordes auersatus, atque vt omnium parens indulgentissimus, non minus sibi studiorum, quam imperij dignitatem cordi esse præfatus, extremo liberalitatis conatu, eodem tempore de hostibus, ac de fortunæ acerbitate triumphauit.

Ergo extemplo omne doctorum creditum expungi Patres decreuerunt: Trium viri literarij, ijdemque monetales auctores facti sunt. Viri ex vniuerso Senatu delibati, vt literarium Senatum legerent, Senatorium censum augerent, Latias tribus recognoscerent, atque Ausoniæ stirpis lustrum conderent: studiorum vectigalia, atque vltro tributa, locarent, demum Musarum templa serena sarta tecta prestarent. Vel hoc vno promeriti, vt tantæ nomina famæ æternitatis fastis præscribantur. Andreas Pisanus, æquitate, constantia, morumq; suauitate demerendis hominibus genitus, & cum alijs summis honoribus, tum Patauinæ Præturæ duratura, in longum memoria rerum fastigio proximus. Ioannes Donatus, nominis augurio blanda eruditorum spes, mirabili seueritatis, ac mansuetudinis temperamento, idem virtutis largus æstimator, ac prolapsæ disciplinæ reparator acerrimus.

mus. Demum Baptista Nanius vir ad omnia summa natus, bono publico facundus, literarum amor ac deliciæ, quas tantum diligit, quantum ab illis probatur, par famæ toto Orbe diffusæ, quæ illi parem adhuc quærit.

Nos ergo non tanquam debitum, sed tanquam beneficium accipimus: id vero à tantis viris datum, serio triumphamus. Cuius beneficij sicut magnitudinem intelligimus, ita eadem obruti referendæ gratiæ nos impares testamur. Quãquam ergo diuersa docentium vocibus Gymnasium perstrepat, omnium tamen vox vna est, hac noua largitione depulsam inopiam, ac præsenti ægritudine, futuri metu marcentes animos erectos esse, spiritumque ac sanguinem literis, & disciplinis restitutum. Id cum omnes gratulabundi fateantur, mihi omnium nouissimo hanc prouinciam viri clarissimi collegæ demandarunt, quia humanitatis studia professo, conuenire id officium visum est, quando nihil humanius, atque ad diuinitatem propius accedit, quam vetare studia pulcherrimarum artium esurire.

Ergo hoc in loco veluti in Curiæ vestibulo procumbens, Deum, hominesque meo, & collegarum nomine testor, adnisuros omni officio, ac potius pietate, vt nos honorificentissimo amplissimi ordinis iudicio, clarissimoque decreto non plane indignos præstemus, totque beneficia nouis munificentiæ exemplis cumulata, nec ingrata habeamus, nec irrita.

Grande tibi etiam me tacente, florentissima Iuventus, incitamentum, vt toto pectore in studia incumbas, quæ tanti fieri à Senatu sapientissimo intelligis, vt inter primas Imperij curas adsciscat, & cum damnosissimi belli impensis, atque erogationibus non sufficiat, ne tantillum quidem debere doctoribus sustineat: atque exhausto ærario, diuitias maximas esse putet, tuendis literis, atque ingenijs, solum Principem fieri pauperiorem. Dixi.

Amplissimo ac Præstantissimo Senatori BAPTISTÆ NANIO EQVITI, & D. M. Procuratori

Octauius Ferrarius Felicitatem.

VRbis Venetæ literarios Fastos excutienti mihi, atque inde libanti hominum florem, & veluti æternitatis album dispungenti, Tu, ingens vbique occurrebas, qui patriæ fastos tam condis, quam imples, & ad scribendum, non argumentum modo præbes, sed exemplum. Quippe dum aliorum memoriæ consulis, tuam in æuum prorogas, famamque dispensans, fœneras; cum præsens ætas tibi rependat, quantum ventura secula debebunt; scriptaque de te carmina, scriptas historias quotidie legas, tibique superstes, posteritati tuæ intersis.

Vt veniat in mentem nostrorum vatum ingeniosissimi, & plane Itali Homeri nobile commentum, quo ille, æternis fortasse carminibus cecinit, humanæ vitæ vellera, Parcarum colo depexa, & velleribus pendentia Virorum nomina, pretioso metallo expressa, à grandæuo, sed incredibilis velocitatis sene, excusso gremio, Lethæis aquis, quotidie demergi, illico peritura, nisi præsto essent olores, qui sacro rostro, pauca admodum prædonis insidijs subducta, leni volatu, ad proximum Immortalitatis Templum deferrent, cum æuo duratura Anathemata.

Niueus siquidem olor, Naniæ gentis insigne, quanquam alij, Capitolij custodem, & rei Romanæ seruatorem anserem prædicent, præpete penna, præclara ciuium facta humo tollit, & ab iniuria obliuionis defendit. Nisi tu oloris ille pullus es, quem Socrates in gremio suo plumescere per quietem vidisse fertur.

Patere ergo Summe virorum, cygnis suauissime canentibus graculos interstrepere, meque tua vestigia adorantem, Veneta nomina, Parcarum manu recisa, Lethæis vndis, ac temporum gula eripere,

atque

atque in tuo, hoc est Immortalitatis Delubro sacrare. Neminem enim viuentium, quorum est copia digna huius Imperij gloria, laudare ausus sum, nisi in publicum, & in commune; tum quia dies vltimus de omnibus iudicat; tum, ne si minus de aliquo dicerem, ingrata oratio, si de omnibus, esset infinita. Veritus quoque sum, ne multos offenderem, si paucos excerpsissem. Quotus enim quisque non hac persuasione fruitur, vt se inter primos numeret? Vix in mortuorum censu odium deprecari licuerit, ob eos qui prætermissi sunt.

Vtique tu dignus eras, cuius vnius viuentis imago, qualis Apelleis est color in tabulis, vt olim Varronis in Pollionis bibliotheca, spectaretur. Sed sicut pudori datum est, ne tuum, idest Virtutis nomen, Peplo inscriberetur; ita illud præscripsisse nulla fuerit inuidia. In titulo præfigendo magnos auctores secutus sum, in primis Aristotelem, qui poema, quo Heroum tumulos celebrauit, Peplum vocauit; siue ille omnis sapientiæ princeps fuit; siue alius in tantum nomen adoptatus. Ceterum vt destinata perficerem, tu præstitisti Domine, qui non ita pridem, eos à me fluctus depulisti, queis si non obrutus, in alienas terras abstractus fuissem. Ergo

Me tabulâ sacer
Votivus paries indicat uvida,
Suspendisse potenti
Vestimenta Maris Deo.

Patauij Idibus Nouemb. M D C L X V I.

P E P L V S V E N E T V S
Prolusio XXVI.

SAluos nos omnes, & incolumes esse, nec vitales modo auras carpere, & cærula templa tueri; sed Sacra hæc Musarum delubra reuisere, & literarios conuentus denuo celebrare, vix adhuc credo; atque oculorum fidem tentans, insperato gaudio perfusus, vobis hanc felicitatem etiam at-

que etiam gratulor, Viri doctißimi, florentißima Iuventus. Quippe Chaldæi fallax natio, ac dira canentes phanatici, hunc annum, qui in extremas metas præceps voluitur, rerum humanarum supremum esse, & diem quo cuncta perirent, instare, atque vt cum Africano loquar, seculorum clausulam, ac mundi halosin imminere, consensu prædixerant; peioris fati manifesta fide, quando, præter maleficos, tot siderum, in humani generis perniciem conspirantium, aspectus, toties diri Cometes horrendo crine arserint, Solque ipse crebris defectibus, obscura ferrugine, in Orbis funere atratus prodierit.

Itaque vt facile credimus, quæ timemus, attonitis omnibus, & proximi exitii horrore perfusis, nemini vacabat de literis cogitare, & in mortis vicinia, studia, quibus, imò propter quæ viuimus, recolere. Excussi manibus calami, reuolutaque Musarum pensa, damnatæ inutiles chartæ, vigilataque scripta Vniuersi rogo, *Ossibus astra misturo*, abitura in cinerem, & fauillam.

Mihi quidem, decurso iam ætatis spatio, extremos prope cardines prementi; nec tam senio, quam morborum iniuria in mortem fracto; immo non ita pridem credentium rumore, in censum Libitinæ relato, vt viuenti exequiæ ducerentur, mihi inquam nec graue, nec immaturum videbatur,

Admoto occurrere fato, vitaque repletum,
quod superest donasse Deis.

Miserebat me tui, nobilissima pubes, si te in ipso iuventæ flore, nondum degustato vitæ fructu, atra dies turbine raperet, mundique ruina inuolueret.

Hæc agitantibus, ac summum expectantibus diem, & ad omne murmur, quasi nutante axe, momento cœlum ruiturum esset, pauentibus, interim fatalis annus elabitur, nullis monstris, aut prodigiis, quæ supremam seculorum horam, noctemque æternam præcurrerent, minax, non siccitate, aut aquarum proluvie; non corrupto aeris tractu fluentibus

morbis;

morbis; non famis, ac belli furiis, imminentis lethi prænunciis terrificus; sed pace inter reges parta renidens; sed vbere glebæ, atque arbusti honore, rurisque muneribus opimus; sed Cereris, Bacchique certamine, beata fœcunditate luxurians, rumpentibus horrea messibus, & quamuis exundantibus cellis, pendente in brumam vindemia. Non iam cœli iniurias, fundosque mendaces, & elusa vota querentibus agricolis; sed annonæ vilitate imminutos census, rerumque omnium affluentiâ, inductam inopiam lugentibus auaris. Quæ quidem, non depositi, ac prope expirantis seculi, sed reddita iuventute virescentis indicia sunt, & argumenta. Magno scientiæ sideralis ludibrio, ac dehonestamento, quæ sicut aliàs non semel mendacii, ac vanitatis cõuicta est, ita hoc vno plane decoxit, & tam fidem, quam pudorem consumpsit. Diræ volucres, & inauspicatæ, Orbis busto incubantes, ac deficientis Vniuersi vespillones?

Sed, si verum admittimus, breue confinium artis, ac falsi facile apparuit. Non enim rebus humanis, sed literis ac disciplinis funestum, ac prope supremum annum haud forte dixerunt, quibus sublatis, mortalium genus ad interitum vergere necesse sit.

Quippe, sicut Menippus, qui ab actis Musarum est, ac Parnasi diurna perscribit, nuper præcipiti epistola nunciauit, proximis diebus in Helicone tumultuatum, ac turbarum licentia, atque implacabili seditione, prope ad extrema ventum est.

Nam cum Apolline præside, Reip. literariæ is status constitutus sit, vt penes optimates, exclusa plebe regimen habeatur, confluentibus illuc ex toto Orbe, & nascendi sorte, & sapientiæ studijs nobilissimo quoque, nescio quo fato paucis ab hinc annis euenit, vt desidia, & languore, ac literarum contemptu, proceres, patricius sanguis, Reip. munia negligerent, raro in Senatum ventitarent, Magistratus, ac Præfecturas, veluti infra se despicerent, & sic publicas curas,

ras, atque imperii onera in humillimum quemque, ac forensem turbam reiicerent.

Postquam scilicet vana persuasio cunctorum animos inuaserat, ac veluti tabe infecerat, doctrinam, & literas priuatam rem esse, ac penitus plebeiam; & aut ignobile otium, aut sordidum, atque illiberale artificium, aduersus inopiam, ac propulsandæ fami inductum. Quandoquidem nullus ferè gratis studia exerceat; sed plerique omnes manum ad stipem porrigere non erubescant. Tam qui responsa vendunt, ac Themidis tripodes mouendo, quæstum faciunt: quam qui salutis institores, mortalium fata negotiantur; cum non paucis lingua in redditu sit; plurimi irarum, ac iurgiorum mercatum exerceant; alij calamum cum fide venalem habeant, & vt olim leges, ita narrationes ex Historia, pretio figant, & refigant: nonnullis ipsi mortui stipendium pendant; alij demum Iouem mendicantem protrudant, & in partem capturæ Superos vocent. In omnibus ipsa merces, auctoramentum seruitutis videatur; cum non multum interesse nobiles credant, vtrum quis humeros locet, an linguam; nisi quod hæc opera ignauior sit; illa tamen paucis nummulis, hæc multo auro conducatur.

Hac persuasione inducti Patricij, paulatim Parnaso, tanquam officina, taberna, aut pistrino absistere; vt pauci in quatuordecim sederent, pauciores in Orchestra spectarentur, cauea Theatrum occuparet. Quod vbi literaria plebs animaduertit, æmulatione discors, & nobilitati infensa, animos tollere, atque in spem maioris fortunæ assurgere; sibi honores, sibi rerum summam deposcere; ac de mutando Reip. statu consilia miscere. Ergo multa seditionis ora, vocesque: suo labore, ac vigilijs rem literariam stare, suo sudore, ac sanguine, ingruentem inscitiam, ac barbariem ab aris, ac focis submoueri; nec temperabat conuiciis: desidem nobilitatem, & luxu fluentem, nil præter supercilium, & fumosas imagines, hoc est, alienum decus, in Heliconem af-

ferre;

ferre; & aut studiorum rudes silentio vitam transigere; aut literis tinctos, vbi rancidulum quiddam extuderint, latinas Tribus despicere, miserosque tribules, inopia, & annonæ caritate vexare, ac sumptus malignè, alimenta carceris, suppeditare.

Atqui in Rep. literaria, non alium, quam ingeniorum censum spectari. Nobiles alibi nasci, in Helicone fieri. Nobilissimum esse, qui aliquo præclaro facinore notissimus sit. Ordines, non opibus, aut genere, sed doctrina distingui. Diuitias plerumque ignauiæ velamenta esse; paupertatem, industriæ cotem, ac virtutis magistram. Præstare mendicum esse, quam indoctum: illum enim fortunis, hunc humanitate spoliari. Aequam esse studiosis omnibus libertatem, communes Deos, & libros. Venisse tempus, quo fuci, ignavum pecus, præsepibus arceantur. Propterea neminem à Rep. literaria excludi oportere; vtque vere res populi sit, popularem statum inducendum; nec alia, quam eruditionis prærogatiua, honores, & magistratus mandandos: ac sublatis centuriatis comitiis, cuncta tributis peragenda.

Adstrepebat his, irasque & maledicta commodabat, extrema concio, ac vulgi pars despicatissima, libertini, & capite censi, servum pecus, sine re, sine fide, obscura initia, impudentibus ausis obliterare quærentes, ac nobilium iurati hostes; non Reip. cura, quam assentando diuitibus, ne esurirent, perditum ibant; sed humili veneno summa capita adspergere, & doctorum insectatione, venire in ora hominum cupidi. Ita, sicut olim apud Milesiorum auctorem, mulierum secta, moresque, de Asini iudicio pendebat; tunc quoque auritus grex, Patres, regnumque Senatus proterue impetebat.

Furentibus Apollo interuenit, & cum nouissima meritos infortunio mactare posset, & sanguinem à capite mittere, molliori via curare insaniam aggressus est. Nam vt re magis, quam verbis, literarum studium non esse rem plebeiam, ac for-

didam ostenderet, ex adytis Delphicis, quod nonnisi rebus extremis fiebat, proferri Peplum iussit; in quo Venetorum Heroum, qui seculis omnibus rem literariam, cum libertate, literarum altrice, & propagatrice excoluerant, augusta ora textili auro, diuina Musarum arte, acu picta spectabantur.

Non quidem omnium, numerum enim ne ipse quidem Apollo, arenæ maris conscius, iniret, nec quorumcunque, qui scribendi labore, aliquod nomen apud posteros meruissent; vix enim totum Templum, nedum peplum, iis ostentandis suffecisset; sed eorum modo, qui studiorum claritudine, & victuris æternum ingenij monumentis, Musarum pomœria produxerunt, sibi immortale nomen peperêre, Venetæ Vrbi, reparatarum per Italiam literarum, & conseruatæ eruditionis decus adscripserunt. Non dignitatis, aut census prærogatiua, sed nascendi sorte, & temporum serie, in ordinem digesti.

Et quanquam conditæ, condendæue Vrbis primordijs, cum Italicæ nobilitatis flos, superfusam diluvio quodam barbarorum rabiem declinans, relictis omnibus fortunis, raptos ex hoste Latii Penates, religionis sacrarium, & altera sacra, libertatem intra æstuaria condidisset, proceres illi constituendæ publicæ rei intenti, arcendis hostibus, & maritimis longinquis expeditionibus districti, laudanda facere mallent, quam scribere. Vt quondam populus Quiritium, diu literas, ac disciplinas, aut ignorauit, aut contempsit; mox producto imperio, iisdem impensius imbutus, non tam armis, quam studiorum gloria gentes omnes superauit, & quo Romana signa non penetrauerant, ingenij fasces porrexit.

Sic prisci Veneti, qui docti esse mallent, quam videri, etsi non antequam composita Rep. ac finitimis bellis compressis, ad scribendum animum adpulerunt, facile tamen apparet, singularem, incomparabilem, ac prope diuinam eorum hominum sapientiam fuisse, qui à paruis initiis tantum Imperium

perium dedêre, eamque regiminis formam constituerunt, quod vnicum seculorum omnium exemplum, ac miraculum attonitæ gentes venerantur. Quæ schola, quæ porticus? quod Lyceum? Tot leges, atque instituta, humano generi emendando suffectura; ipsius Reip. temperatio, & ordinum mirabilis exæquatio; non à rudibus, vt isti blaterant, nautis, & piscatoribus, sed nonnisi ab incredibili doctrina, sapientum omnium placitis, atque exacta ciuilis prudentiæ cognitione proficisci potuerunt.

Non pauci quidem per ea tempora res patrias patrio sermone composuerunt, eo verius, quo simplicius, tam sine ira, & studio, quam sine ornatu, & lenociniis; vt facile appareat, & animum, & scribendi modum antiquum fuisse.

Sed summam radiantis pepli oram prætexebat, Bernardi Iustiniani effigies, qui primus aliquid Veneta maiestate dignum concipere ausus, eo sermone, qui nusquam terrarum peregrinatur, circa Vrbis originem, atque incunabula versatus, Scriptorum defectu, atque incensis non semel tabulariis, incerta, & obscura initia, e profundo vetustatis eruit. Profugas Latii reliquias, ex continentis naufragio, in medio pelago tutissimum portum nactas; dispersum insulis, affixum scopulis populum; mox paulatim in medium consulendo, Vrbis Oceano iura daturæ, fundamenta molientem, cum finitimis luctantem, & modo Tribunorum, modo Ducum instabili imperio, sæuius ipso freto æstuantem, pari fide, & elegantia descripsit. Præcipue barbarorum irruptiones, Alpesque apertas, Latio immissas, structas nascenti libertati vndique Regum insidias, & reliquos patriæ casus, atque euentus memorabiles, & magnæ fortunæ pericula executus est.

Idem Beati Laurentii patrui, non sanctitate magis, quam doctrina Cœlum meriti, vitam posteris tradidit, vt, centum fere annorum spatio interiecto, Petrus ex eadem familia, Historiam, gentile decus, certioribus vestigiis insistens, cultiori

tiori sermone, ac Senatoria grauitate, ad sua tempora perduceret.

Cingebant latera, licet æuo superiores, duo viri, ingenti conatu, furenti Oceano tradere vela ausi, nouasque gentes, & ignota litora detegere, Marcus Polus, & Aloysius Mustius. Ille Trapezunte, & Alexandria primo adita, extremos Scytharum fines, & inhospitam tellurem lustrans, immensas inde diuitias, nec minorem famam reportauit; casusque suos, & longæ peregrinationis errorem, Vlyssæo parem descripsit. Mustius, quamuis poetica laude inter primos, nobiliore ausu, duorum & viginti annorum iuvenis, adusque vltimos Aethiopas penetrauit; cuius exemplum Columbus æmulatus, novum Orbem gentibus aperuit. Extat Mustii liber, quamuis suppresso nomine, cærula ponti peragrata, vltimos deficientis naturæ recessus exploratos, portuum situs, & opportunitates, facilesque nauigantibus adpulsus complectens. Quod hodie nomen, post tantum æui in eo viro reflorescit; de cuius integritate, sapientia & beata quadam facũdia, nulla vnquam ætas obticescet.

Proximum locum occupabat Hieron. Donatus, amœnioribus literis, ac Theologicis studiis inclytus; cuius opera, & singulare in rem Catholicam studium enituit, cum de principatu Romanæ Sedis, & processione S. Spiritus aduersus Græcos, acerrime disceptatum est. Amplissimis Legationibus memorandus, ea præcipuè, qua Iulium II. Pont. Reip. infensum, & vniuersi Orbis vires in exitium Veneti nominis cientem, placauit, & ab extremo prope discrimine patriam liberauit. Idem, præstantissimorum, per Europam ingeniorum amicitia, & cultu, sed præcipuè Alexandro Aphrodisæo in latinum sermonem conuerso, omnium consensu, immortalitate DONATVS.

Hinc spectantium oculos tenebant Hieronymi Molini duo; alter sapientiæ studiis; alter carminum gloria percelebris. Lucas, ex eadem gente, vtroque præstans. Sed præfulgebat

gebat Dominicus Molinus, si non Venetorum vltimus, at extremus naturæ conatus, & fugientium literarum Iupiter Stator. Veneti nominis titulus, Senatui, populoque literatorum caput adoratum; cui sponte fasces ita submisit, vt nullus memoria nostra, per Europam doctrinæ fama spectatus fuerit (nec vlla ætate vberior doctorum fœtus fuit) qui Molino innotuisse, librosque ipsi certatim inscribere, grande decus, & laborum pretium non existimauerit, ipsum magis quam fortunam eius secutus: quippe, cum Regum opes æquaret animo, in summa gratia, atque auctoritate, non inuenit heredem. Ita singulari exemplo, quamuis pudore, ac modestia; præterea amplissimi Imperii curis perpetuo distentus, nullos ingenii fœtus publici iuris fecerit, præcipuum in peplo locum obtinebat. Tanto præstat, cum nihil scripseris, scribentium in se ora, cultumque conuertere, ac totius elegantiæ studia prouehendo, & pertinaci in viros doctos fauore, Principis magis, quam Scriptoris laudem implere.

Sed peplum ipsum prope implebant Contareni proceres; sicuti Ducalium Fastorum paginas eadem gens occupat, & nunc Principem optimum, durissimis temporibus commodat; inter quos Franciscus olim, de rebus in Etruria gestis commentarium edidit, quem in exercitu, cui cum summo imperio præerat, sub pellibus conscripsit, dum pro Senensium libertate, Veneti optimo exemplo pugnarent. vt magna scribere, & facere, non tantum Cæsareum sit. M. autem Antonius sapientiæ affectatione, Philosophi nomen promeritus, illud hereditarium posteris transmisit, gloriosius, quam si Africę, aut Asiæ spolium reliquisset. Ex qua domo nunc, tanquam ab Oraculo, sanioris doctrinæ responsa Vrbs petit; duoque fratres, iam grandi natu, non eorum more, quorum oratio philosopha, opera ignaua est, sed vitæ sanctitate, atque innocentia magis, quam verbis philosophantes, cognomen hoc titulis omnibus augustius tuentur. Alter etiam Historiam patriæ texendo, sanctioris philosophiæ *iter longum per præcepta,*

pta, breue & efficax per exempla esse ostendit; idem auctor, & exemplum. Libet igitur hic, quod olim de Scipionibus Cicero prædicauit, exclamare, O generosam stirpem, & tanquam in vnam arborem plura genera, sic in istam domum, multorum insitam, atque illuminatam sapientiam!

Verum Contarenos omnes, veluti minora astra, inusitato fulgore præradiabat Gaspar Cardinalis, cùm morum integritate, tum literaturæ miraculo, non Veneti modo, sed Romani Senatus sidus fulgentissimum. Qui cum in hac Vrbe se Pomponatio in disciplinam tradidisset, & doctissimorum hominum contubernio vsus assiduè, omni disciplinarum genere subactum ingenium ad Remp. attulisset, tres, & triginta annos, natus Orator ad Carolum V. in Germaniam est missus. Gerebat Cæsar ea tempestate bellum cum Galliæ Rege Francisco; cum quo de imperio, sed magis de gloria, Italiæ exitiali contentione, tot annos certauerat. Eius contentionis, quæ res diuinas, atque humanas miscuit, causa, & fructus, Vrbs Mediolanum erat; quam Carolus, & Leo Pont. sociatis viribus, Gallo eripere conabantur, cui se Veneti adiunxerant. Itaque ad Reip. hostem Contarenus proficiscebatur; & quidem simultates acerbius exercentem, iisque implacabilem, quod Venetorum opibus res Gallicas firmari, & victoriæ moram obiici crederet.

Nihilominus doctrinæ, integritatis, & candoris fama, quæ eum præcesserat; tum prudentia; & dexteritate admirabili, ita animum Cæsaris cœpit, vt breui se in eius familiaritatem penetrauerit; nemoque eo gratior, & acceptior in aula haberetur. Eundem in Hispaniam secutus, cum quinquennium in ea Legatione exegisset, vix dici potest, quo pacto iratum, & victoria tumentem lenierit, quantoque vsui difficillimis temporibus Reip. fuerit. Nec multo post ad Clementem VII. captâ, fœdeque direpta à Cæsarianis Vrbe, & carceris iniuriâ rerum humanarum spectaculum præbentem, Legatus, illa temporum, ac morum colluvione,

con-

consilii præstantia ingens afflictis rebus leuamentum accessit.

Ac postquam Pontifex Cæsari conciliatus est, Bononiam venit; vbi cum Carolo, illuc ad capienda de manu Pontificis Imperij insignia appropinquanti, obuiam processisset, effusa humanitate, & porrectissima fronte exceptus, quod nemo fieri potuisse credebat, pacem Reip. nomine cum eo confecit; idque totum, excellenti naturæ, & doctrinæ admirabili acceptum tulit.

Itaque eum Paulus III. Pont. acerrimus virtutis æstimator, non modo non prensantem, sed penitus ignarum, ac ne cogitantem quidem, in Senatum allegit.

Erat tunc Gaspar Venetiis, & Consiliarius, in Comitio de more sortibus præerat, quibus magistratus creantur; cum novus omnibus, & inopinatus, ipsi incredibilis nuntius allatus est, eo honore auctum esse, qui summo proximus est, quem ille diu insita modestia, atque animi celsitudine renuit, ægreque admodum, amicorum consilio, & propinquorum accuratissimis precibus animum flexit, vt se in Pontificis potestate futurum diceret.

Inde, quod nullus illi rerum diuinarum, atque humanarum scientia par haberetur, Germania per id tempus, impiorum hominum, de Religione diffidentium, scelere, ac furore misere lacerata, & concussa, vnus Contarenus dignus visus est, qui serpentem pestem coerceret, ægrisque mentibus medicinam faceret. Et quanquam subita Turcarum in Pannoniam irruptio, institutum colloquium, & spem pacis interrupisset; ac viri maleuoli, quos Contareni gloria vrebat, rumoribus distulissent, ipsum nimis aduersariis indulsisse, non modo viri dignatio eâ calumniâ, non est labefactata, sed in maius aucta; vt Carolus Cæsar, cum deuictis Gallis, Mediolanum, triumphantis more inueheretur, illum vnum, vel reluctantem lateri affixum perpetuo haberet, totumque iter, iucundissimis cum eo sermonibus conficeret.

Pontifex verò ob nauatam strenuè operam Bononiæ Legatum creauit, quæ amplissima Pontificiæ ditionis præfectura est; vt non multo post, tertiò in Hispaniam ad Cæsarem destinaretur, ad bellum inter ipsum, & Gallorum Regem componendum. Sed mors interuenit, hocque rei catholicæ, ac literarum lumen clarissimum extinxit, ingenii monumenta extinguere non potuit. Libros enim de immortalitate animorum, aduersus Pomponatium Magistrum, ipsi aduersario laudatos, tum alios prope innumeros omnem fere humanam, ac diuinam sapientiam complexos, præcipue de Magistratibus, & Rep. Venetorum, omnium seculorum posteritas in honorem Veneti nominis admirabitur; nec satis vnquam capiet, quomodo homini, quâ grauissimis Reip. munerib. ac christianæ Religionis negotijs implicito, quâ maximis legationibus perpetim distento, vacare potuerit, vt ea literis mandaret, quæ vix alius, animo vacuo, atque altissimo otio, à bibliotheca, & literis recens, productis æui spatijs conficere potuisset.

Secundum hunc visebatur Andreas Mocenicus D. Mar. Procurator, qui bellum Cameracense, quod penè Reip. supremum fuit, quoque visi sunt Superi Venetorum constantiam, inuictum animum, atque in tuenda libertate pertinax studium explorare voluisse, latinis literis grauiter, & diserte posterum memoriæ consignauit, & cum patriæ annalibus nomen suum in æuum longè propagauit. Neque vero poeticæ iucunditatis expers, horrentia Turcarum arma, atque hinc Venetas acies, & pectora mortis capacia, heroico carmine veluti classicum canens, commemorauit.

Hærebat lateri Andreas Nauagerius, cui post Sabellicum, Venetæ Historiæ scribendæ munus à Senatu demandatum est. Orsusque ab Caroli VIII. ingressu in Italiam, vnde duo clarissima Italiæ lumina, Iouius, & Guicciardinus, dispari sermone, sed pari laude initium duxerant; siue operis magnitudine deterritus; siue quod nondum extremam manum

acce-

accepisset, cum apud Franciscum I. Galliæ regem legatione fungeretur, morti proximus, inutili modestia, flammis aboleuit. Carmina tam sæuo incendio subtracta, ac post mortem edita, suauitate, cultu, ac nitore, veterum laudi decertantia, quantus in ea facultate esset indicarunt. Quanquam ille Martiali poetæ immerito sub infensus, multa eius exemplaria conquisita, quotannis stato die, tardipedi Deo voueret, infelicibus vstulanda lignis, ac veluti Historiarum rogo proluderet.

Neque ingenio minor, sed inuecta in Penates purpurâ illustrior, Bernardus, indidem domo, grauissimis legationibus, quarum insignis ad synodum Tridentinam fuit, Musarum amœnitatem immiscuit, & Veronæ Episcopatum, innocentia clarum, cultioribus literis nobilitauit.

Cæterum, veluti ab ignotis capitibus, in se ora, atque oculos omnium auertebant, Barbari duo, omnis barbariæ depulsores, Daniel, & Hermolaus; vterque Aquileiæ Patriarcha. Et Daniel, quidem philosophantium summus, post libros Rhetoricorum Aristotelis, summa cum laude, commentarijs illustratos, Vitruvium ingenti ausu explicare aggressus, rem maximis difficultatibus implexam, ac profunda caligine demersam, incredibili labore, vsque ad rudiorum captum, expediuit, & Vitruvium veluti ab Inferis excitauit.

Hermolaus vero, vt disertissimi Mureti verbis vtar, qui, quæ Vrbs Orbis terrarum lumen est, eius ipse Vrbis maximum lumen fuit. Quod enim literarum genus, prodigioso ingenii captu intactum reliquit? Totam Philosophiam in compendium redegit; Geometricarum Quæstionum volumen edidit; de Astronomiæ, ac Medicinæ conuenientia disputauit; poeticam etiam non infeliciter attigit, epistolis, & orationibus, facundiam, & minime fucatum Latinitatis nitorem; Themistio, & Dioscoride Latinitate donatis, Græcarum literarum peritiam singularem ostendit. Sed in quo omnium expectationem, seque ipsum superasse visus est, Pli-

nij opus immensum, Herculeo labore explicare ausus, diuini illius rerum naturæ interpretis, interpretem egit; atque opus, quo nullum perfectius Latinæ literæ habent, ab innumeris, quibus scatebat mendis, repurgans, rebusque obscurissimis, ac prope deploratis facem allucens, illud naturæ miraculum, nouo miraculo, Camœnis Quiritium redonauit; omnium doctorum virorum sui æui, sed præcipuè Politiani, & Phœnicis ingeniorum, Pici, amicitia, cultuque, & veneratione celebratissimus. Dignus profecto laudatissimi Iouii præconio, qui nullam cuiusque defuncti effigiem, maiore merito in Musæo suo spectari testatus est. Ipsum eruditorum omnium, omnibus numeris longe doctissimum appellans, quod Plinium, vt dicebamus eductum e tenebris, & multo squalentem situ, immenso radiantis ingenii lumine penitus illustrarit; qui quantus in Physicis, Dialecticis, atque Rhetoricis fuerit, tot nobiles exuberantis ingenii fœturas testari. Impeditissimam Geographiæ siluam, inaccessam multis, nullique penitus exploratam, glorioso labore penetrasse; traductoque Dioscoride, ex ipso telluris, & naturæ germinantis gremio, salutares, & noxias herbas ægris mortalibus demonstrasse. Sed longe maximo inuicti animi præconio dignum, quod Romæ, cum grauissima legatione fungeretur, Aquileiæ Patriarcha renunciatus, quod id contra leges Venetas esset, suffragiorum seueritatem æquo animo tulerit. Verum quominus debita purpura frueretur, sæua mors inuidit, vt patria tellure carerent eius ossa, qui patriæ nomen per totum Orbem extendisset.

Hac tamen claritate, nequaquam Francisci Barbari luminibus offecit; qui licet Præfecturis, & Legationibus, durisque militiæ atque Imperatoriæ artis muneribus, defensâ diu, ac liberatâ per summam laudem Brixiâ, ætatem contriuerit, incerta otij momenta Musis impertiuit; librisque de re Vxoria, ac Latinis epistolis, & aliquot Plutarchi Vitis è Græco conuersis, vidit

Inter

Inter victrices hederam sibi serpere Lauros.

Sed quo te, Petre Bembe Cardinalis, piaculo taceam, quove maxime pręcellentem insigni prędicem? Scriptis magis tuis, quorum similia nulla sunt, quam Romana dibapha, aut cuiusquam pręconio Eminentissime. Quid enim operibus tuis sublimius, doctius, omnibus denique numeris pręstantius? Tu doctis omnibus, claritate nominis, aut tenebras obduxisti, aut lucem fœnerasti. Salue primus omnium facundię latialis, atque Etruscarum literarum parens appellate. Tu Græcarum studio incensus, in Siciliam, vsque ad Constantinum Lascarem audiendum nauigasti, ibique per triennium commoratus, incertum reliquisti, qua lingua præstantior esses; cum trium principatum tibi consensus eruditorum deferret; à quibus recte statutum, & pronunciatum est, à reparatis literis, neminem in Europa, ante ipsum te, Latine, ac pure locutum esse; cum peruersa ratione corruptissima quæque placerent, & pro Cicerone, ac Virgilio, Apuleius, & Statius locum occuparent; & aut Scholarum barbaries cuncta obsideret; aut quæ vetus querela fuit, corrupta Oratio, & dulcibus vitiis abundans in vsu esset, & in comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similium, aut ambiguarum, puerili captatione consisteret. Te vnum, velut e Cœlo delapsum, iudicij præstantia, optimi cuiusque imitatione, latine loquendi accuratam, & sine molestia diligentem elegantiam intulisse.

Qui flos, quod lumen? Quis magis latinè, purè, dilucide, suauiterque locutus est vnquam? Quodque rarissimum ac multis seculis inauditum fuit, non Oratoria modo, sed poetica laude, tam Latine, quam Etruscè, omnibus præstitisse; vt sicut pedestrem sermonem Gratiæ finxisse videantur; ita Deas studiis præsidentes, nulli dulcius nectar instillasse. Tuum ingenium, ac facundiam Leo X. Pont. admiratus, præcipuum Pontificatus instrumentum, ac decus adsciuit, teque Latinarum epistolarum scrinio, vna cum Sadoleto, viro tui persimili, præfecit; tuoque ore, & calamo, Vica-

ria Numinis Maieſtas, ad Principes, ac Reges locuta eſt; neque à Ciceronis æuo Romana Oracula purius, atque incorruptius ſunt edita; vt ſummus hominum, Scriptorum ſummum à manu haberet. Qua fama permoti Veneti Patres, tibi poſt Leonis obitum, in huius Vrbis ſeceſſu, beatiſſimo otio muſis operanti, Hiſtoriæ patriæ ſcribendæ munus demandarunt; in qua tu, ſicut vnum Cæſarem imitatus es, ita in te iuſtiſſime transferri poteſt, quod de eiuſdem Cæſaris commentarijs Cicero ſcriptum reliquit. *Nudi ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta. Sed dum voluit alios habere parata vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volunt calamiſtris inurere, ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit.*

Te demum, Paulus III. Pont. ſerò quidem, illa tantopere ab omnibus expetita purpura, diu reluctantem, ne ab inſtitutis ſtudiis auocareris, decorauit; ita tamen, vt ipſa purpura non eſſet maximus honorum, quos in vita adeptus fueras; nec facundiam modò, ſed in grauiſſimis chriſtianæ Reip. negotijs prudentiam tuam exercuit. Tibi ergo literatorum chorus aſſurgit; teque omni commendatione maiorem profeſſus, ad laudes tuas ſequendas, te ipſo laudatore opus eſſe teſtatur.

Io: Franciſcus Commendonus Cardinalis, ſi literis tantum vacaſſet, non alius ex Venetis, contra Bembum nominaretur. Sed octo nobiliſſimis Legationibus, Pontificis Max. miſſu, totum Orbem pererrans, coactus eſt ingenium in numerato habere, & tempus ſtudiis ſubtractum, Chriſtianæ Reip. vtilius impendere; & haud ſcio, an grauioris momenti negotia ab alio vnquam, maiore fide, ac felicitate pertractata fuerint, & confecta. Concilii Tridentini conuocandi gratia bis ad Ferdinandum Cæſarem miſſus; ſemel atque iterum in Poloniam, regni rebus perturbatiſſimis, vt Regem ipſum à repudianda vxore deterreret, & ad bellum Turcis inferendum accenderet, quo è viuis ſublato, in Comitijs,

mitijs, auctoritate, & eloquentia peruicit, vt ei successor, Catholicæ Religioni addictus crearetur, estque Henricus Gallorum Regis frater renunciatus. Nec multo post, repetere Germaniam iussus, quæ Religionis dissidijs distracta, vix vlla humana ope sanari posse videbatur. Ita intra paucos annos, quater prouinciam illam inuisit, resque ibi implicatissimas feliciter expediuit. Hoc negotiorum, ac vitę perpetuò discursantis ęstu, edere orationes vtraque lingua potuit, Romanę eloquentię imitamenta, quêis meruit, vt Bembo secundus quidem esset; sed ita, vt primo propior habeatur, quam tertio.

Quartus, licet ęuo inferior, e Veneto in Romanum Senatum translatus, virtute magis, quam Tyrio murice, spectantium oculos perstringebat, Augustinus Valerius Veronę Episcopus, Philosophiam olim in patria, magna cum laude professus, sanctioris eloquentię pręcepta accurate perscripsit, vitasque Veronensium Episcoporum, posterûm memorię commendauit; ipse inter sanctitatis, & pastoralis innocentię exempla futurus.

Hinc, veluti sidera, micabant duo Mauroceni fratres, virtute gemini, prudentia, grauitate, vitę instituto pares, scribendi gloria, & studiorum germanitate vnanimes. Andreas siquidem, Senator spectatissimus, Senatus consulto Venetę ciuitatis historiam, à Bembi fine condere iussus, iniuncto muneri, atque omnium exspectationi præclarè satisfecit. Bembo quidem, scribendi elegantia, haud ita par, quod viro in specula honorum locato, & ideo magna semper, ac varia domi, forisque curanti, comendæ orationi tempus defuerit. Sed operis magnitudine, consilii præstantia, libertate, & rerum maximarum vsu, nemine interior. Nihil vnquam falsi ausus, nihil veri non ausus, quod priuato homini nequaquam impune cessisset. Quippe continentia Regum bella rebus Venetis adnexa, & implicita, magnas necessitates, bellorumque causas, & modos, curasque ancipites tradens,

quibus ille magnam partem, aut interfuerat, aut præfuerat, vt aliquid gratiæ daret, nunquam animum induxit, ac potentiorum offensas, quas veri studio sibi subeundas videbat, insuper habuit. Paulus, Italica lingua res Vrbis ab origine repetens, tam probus oratione, quam moribus, scribendi libertate, cum fratre paria fecit; nec tam legentibus, blanda conquirens, animos demulcet, quam censoria seueritate, & quodam grato rigore instruit, admonetque officij. Cum alij plures olim in eadem gente, quà sapientiæ fortioris præceptis, quà carminum dulcedine famam in æuum extenderint. Vnus hodie omnium instar, literarum cultu, ac patrocinio, animique altitudine, & singulari in patriam pietate, vnico fortasse ad hanc diem exemplo, publica munia, priuato splendidissimo sumptu tolerans, familiam imperijs, ac triumphis semper fœtam, nouis adoreæ incrementis condecorat.

Nondum ad pepli medium ventum erat, cum Menippus, nouarum subinde imaginum, in oculos incurrentium fulgore perstrictus, ac multitudine obrutus, operisque magnitudine fatiscens, satis habuit, nomina modo indicare, & summa rerum fastigia sequi.

Ergo in primis nomenclator dictabat Sanutos duos, vtrique Marino nomen fuit, alterum summum Oratorem, & descripti Orbis peritia nemini secundum; alterum rerum Venetarum auctorem religiosissimum, Venetorum Principum rebus gestis ab obliuione vindicatis, belloque Gallico, atque Vrbanis Magistratibus, cum cura recensitis.

Marinum Sauornianum, qui doctis, & laboriosis de re militari, vetere, & noua commentationibus, victurum nomen famæ inseruit.

M. Antonium Michaelem, orandi æque magnum, & canendi; cui mens sublimior, Musarum instinctu afflata, atque non publica vena grandia sonans, rarum nominis huius honorem peperit.

Nico-

Nicolaum de Ponte Ducem sapientissimum, cuius maximas ingenij vires, fortuna principalis non onerauit, vt reconditas literas, & Geometrica studia, Imperij curis miscere potuerit. Legatio ad Tridentinam Synodum, vltra commendationem omnium protulit.

Quatuor Venerios, illustri laude conspicuos. Bertucium, qui res Venetas prodendo, ingenij, ac fidei laude, narratur ipse, ac proditur. Maffeum per ioca, per seria, vatem præclarissimum; Dominicum Italis fidibus, Thebanos modos aptantem. M. Antonium, naturæ verique indagatorem acerrimum.

Triphonem Gabrielem, non Socraticis modo artibus madentem; sed quem vitæ instituto, ac rerum humanarum cōtemptu, cum ipso Socrate comparare ætas illa non dubitauit. Et quamuis Socratico more nihil, aut exiguum admodum scriptum reliquerit; intra priuatos parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio est postea consecutus.

M. Antonium Amulium Cardinalem, qui grauioribus studiis, tantum dignationis adiecit purpuræ, quantum ab ea splendoris acceperat. In posteros quoque beneficus; constructis in hac Vrbe amplissimis ædibus, in quibus, liberali sumptu delecta pubes ad magnæ fortunæ cultum informaretur; nouaque subinde incrementa Reip. vsui subolescerent, ipsa futura Respublica.

Paulum Barbadicum, qui & propria laude, & alienæ virtutis æstimatione insignis, Andreæ Gritti Ducis, & Cardinalis Contareni memoriam intercidere non est passus; scribendi facundiam, grauiorum artium instrumento locupletans, & iisdem artibus decus omne virtutis adiungens. Magno totius stirpis blandimento; cum ex eadem domo proditurus esset hoc seculo, iuvenis, literarum, morumque mirabilis; quem ætate maturius, omnium expectatione serius, inter purpuratos allectum, Prouidentia rebus humanis, sed

præ-

præcipue huic Vrbi commodauit; vt fessis rebus subueniens, Sacrorum, morumque labentem disciplinam, re magis, quã verbis sanciret, iusti, rectique non præceptor, sed testis; vt ex qua Vrbe, omnem literaturam, atque ingenii cultum peteret, ex eadem sanctitatis, censusque in egenos profusi, ac pastoralis vigilantiæ exemplum vniuersus Orbis caperet.

Nicolaum Zenum, cuius extant Commentarii de irruptionibus barbarorum, quotquot Italiam toties misere persultarunt, accuratissime conscripti. Quanquam illæ gloriæ contemptu, nomen suum dissimulauerit, facti, quo de Republica optime meritus est, conscientia contentus. Idem, Geographiæ peritiâ, cum paucis comparandus.

Sebastianum Ericcium, Platonicæ doctrinæ studiis celeberrimum, atque eruditæ antiquitatis, nobili commentario promum condum. Quo ille, veluti Romanum lustrum condens, Consulares, atque Imperatorios Fastos recensuit; regnantium seriem, illumque triumphalem Cæsarum populum, augusta ora, & laureata capita, auro, argento, ære radiantia, posteris numerauit; symbolaque, & emblemata, sacros apices, & fugientium literarum ignotas prope formas, notasque, & compendia, feliciter, atque ingeniose explicuit.

Paulum Parutam, quo nemo grauius, & sincerius Historicum opus pertractauit; & in illa nuncia temporum, luce veritatis, vitæque magistra, incorruptius versatus est. Idem grauissimis monitis Politicis, ciuilem prudentiam, regnandi artes, arcanaque dominationum, Imperiorum formas, belli pacisque consilia, separato opere, complexus.

Ioannem Basadonnam, non exacta modo prudentia, atque administrandæ Reip. artibus, sed altioribus studiis inclytum, quibus humana mens Cœlo miscetur, orbesque æthereos scandens instinctu Numinis plena, diuina effata mortalibus communicat. Cuius eruditam, ac minime fucatam pietatem, hodie, ex iisdem radicibus æmulatur is, quẽ,

Maio.

Maioribus ire per altum Auspicijs manifesta fides. Namque haud illi vultus mortalis, nec vox hominem sonat; seu rostra quatit, siue in Senatu tonat. Qui, cum Romæ, veluti Divûm interpres Cillenius, Remp. procuraret, fœdæ tempestatis, quæ Christiano Orbi imminebat, sedandæ, præcipuum instrumentum habitus, ex Vrbe, quæ sua modo miratur, tantum reportauit desiderii, quantum reliquit exempli.

Se quoque principibus Venetis permistum agnouit, qui nuper immatura morte literas destituit, Io. Franc. Lauredanus; sacra laurus, *seram factura nepotibus vmbram*; sub quã se Camœnę, & doctorum grex reciperet; blandum Camœnis, doctisque nomen, mutuis venerationis officijs cultum. Quo vix aliud vberius ingenium ætas ista tulit, nisi illi nimis indulsisset. Et dum patrio sermone contentus, aut teneros amores ludit; aut multo sale Vrbem defricat; aut festiuis narrationibus adrepit, vt erat, suauis videri maluisset, quam grauis. Quanquam, dum Historiam tractat, aut Aduocatoris munere, pallentes reos legibus tradit, solidæ facundiæ expers non fuerit. Maior vtique futurus, non clarior, si ad illustrandas Latinas literas, tale ingenium conferre potuisset.

Extimam Pepli partem màgno agmine implebant, ac multiplici stemmatum flexura coronabant Veneti ex secundo ciuium ordine, (etsi doctrina non distat ordinibus) veluti minorum gentium, literarum gloria, atque ingenij monumentis, patricijs haud impares; suis magis quam maiorum imaginibus illustres. Quanquam eorum pars magna, auorum bona facta, ac seduli in Remp. ministerij merita, citare in pompam possent.

Familiam ducebat Leonicus Thomæus, cui nefas sit aliud elogium adscribere, quam quod illi à Petro Bembo sepulchrali carmine totidem verbis adscriptum est. Scilicet fuisse Leonicum, mitioribus in literis, pangendisque carminibus ingenio amabili. Philosophiæ vero in studiis, & Academica,

demica, Peripateticaque disciplina longè præstanti. Nam, & Aristotelicos libros græco sermone Pataùij primum omnium publicè docuisse, scholamque illam à malis Latinis interpretibus inculcatam perpoliuisse: & Platonis maiestatem, nostris hominibus iam propè abolitam restituisse. Multa præterea scripsisse, multa interpretatum esse. Multos claros erudijsse viros, præter virtutem, bonasque artes tota in vita nullius rei appetentem. Vixisse autem LXXV annos integrum. Puto ego Thomæum mature mori voluisse, vt à viro omnium laudatissimo, eius memoria veluti consecraretur.

Hinc quatuor è gente Ramnusia nouo iubare peplum illuminabant. Hieronymus Philosophus, ac Medicus præstantissimus, Arabicè, Græcè ac Latinè bene doctus. Nam magnam Auicennæ partem primus conuertit; cum prius Arabicum contextum sua manu, incredibili labore descripsisset. Inde Galeno medicas manus admouens, illum mortalium sospitatorem, ac salutis antistitem, à mala interpretum, & librariorum manu in morbo cubantem, veluti reuocauit ad vitam. Quanto laudabilius est sanare ingenia, quàm corpora: & de nexu vtriusque philosophiæ disputans, mutas artes non inglorius exercuit. Ac ne vllius literarij decoris expers ea domus foret, Paulus altiora secutus, Iustitiæ, & cognominis Deæ cultor religiosissimus, Ius ciuile doctissimis commentariis illustrauit, aucta in immensum claritudine, Io. Baptista procreato. Qui Græcè, ac Latine doctissimus, omniumque fere linguarum peritus, nullius prope disciplinæ expers, grauissimis negotijs à Senatu adhibitus, in magnis occupationibus, nobiles illos nauigationum commentarios conficiens, lectores incredibili voluptate perfusos, per Oceani fluenta, atque inhospita litora, totumque Orbem tutò circumduxit. Ipsa prole beatus. Quippe Paulum iuniorem reliquit, qui singulari facundia, paternum, atque auitum decus superauit; ac funebribus clarorũ

viro-

virorum laudationibus, sed præcipue commentariis, quibus Gallorum, & Venetorum recepta Bizantio, victricia arma posterum memoriæ commendauit, se ipso maior visus est.

Nec se ignorari patiebatur Io. Baptista Egnatius, qui tot præclarissimorum operum commendatione, adhuc per ora hominum volitat. Ouidio ac Suetonio illustratis, & Historiæ Augustæ Scriptoribus à situ, atque obliuione vindicatis, iis lucem præferens, qui postea in iisdem auctoribus summa cum laude desudarunt. Idem Romanorum Cæsarum, veluti censum agens, sua cuique decora, vitiaque, & labes, Latine, atque eleganter adscripsit; ac Venetorum illustrium exempla memorabilia posteris tradens, quod debebat patriæ persoluit.

Sed non satis erat, Triumviros literarum Manutios semel intueri, qui omnium oculos, ac mentes admiratione, ac quodam sacro horrore perfusas rapiebant. Nam quantum Venetæ ciuitati, ob libertatis, atque optimi regiminis exẽplum Italia debet, tantum non Veneta modo, sed vniuersa res literaria Manutiorum domui se debere profitetur. Quippe Aldus senior Romani generis, cum se Venetias contulisset, typographicæ arti, qua non humanitas modo, & memoria, sed hominnm immortalitas constat, rudi adhuc, atque imperfectæ summam manum imposuit. Et incredibili labore, atque inusitata diligentia innumeros Græcos, ac Latinos scriptores, aut nondum editos, ac situ putres blattarum, ac tinearum epulas, e tenebris eruit; ac veluti è pollinctorum fascijs expediuit. Aut rudi opere, ac veluti soloci filo impressos, noua & exquisita characterum forma recudit, & cum squalorem vetustatis, tum mendarum iniurias feliter absterſit. Doctus ipse in primis, nec vulgaribus literis instructus (neque aliter fieri poterat) vt Grammaticæ institutiones, & præfixæ editioni operum præfationes testantur, Asulani soceri, & doctorum virorum, quos domi nullis sumptibus parcens in id artificium alebat, opera adiutus. Atque

ita

ita inenarrabili beneficio infinitis voluminibus Orbem repleuit; & restitutarum à Venetis per Europam literarum præcipuum instrumentum fuit, dignus de quo nullæ vnquam literæ obticescant.

Cuius vestigijs Iolitus insistens, Ferrarij nominis portio non minima, libros Italica lingua conscriptos vulgando: typorum elegantia, Aldum vel æquauit, vel vicit. At nunc dicam ipsis non intelligentibus, literarum, quas superfœtante prælo propagant, plane rudes, ac Latinæ linguæ ignari, seruiles operæ, artisque ipsius opprobrium, de nobilissimi artificij possessione deiecti, tantoque honore spoliati, peculiarem Italiæ laudem transmarinis hominibus concessere, & lucri auiditate, ingenti lucro deuoluti sunt.

At Paulus, Aldi filius, inter literas, & literarum formas, inter ingeniorum fœturam, atque æternitatis instrumenta natus, & educatus, & præstanti ingenio, & flagranti studio, & doctus à puero, ne alienæ tantum suboli obstetricaretur, sed de suo Musarum horrea locupletaret, ita se studijs addixit, vt nihil cultius, ac perfectius ex Manutiorum officinis Manutij operibus prodiret. Quippe optimum ad imitandum sibi proponens, tam prope à Cicerone fuit, quam Romani maximus Auctor eloquij ab interitu, nisi Paulus ipsi salutares manus attulisset. Vt plurimum profecisse intelligas, cui ita Cicero placuerit. Certe in epistolis, quæ tam elegantes, ac puræ sunt, vt Musas ipsas Latine loqui putes, post Ciceronem, ac Plinium primæ partes ipsi omnium consensu deferuntur. Nam libri de Legibus, ac Senatu Romano, atque alia non pauca, in eo plurimas literas, nec eas vulgares, sed interiores & reconditas fuisse demonstrant.

Sed puto ego eum, eruditionis laude libenter Aldo filio iuniori, cessisse, qui paterna, atque auita imagine clarus, cum se ab ineunte ætate, optimarum artium studijs dedisset, ne laus illa Venetis modo finibus circumscriberetur, cum aliquando à Senatus secretis fuisset, Bononiæ, Pisis, ac

Ro-

Romæ magna nominis celebritate docentem, Europa admirata est. Leo X. Vaticanæ Bibliothecæ præfecit; cum ipse quæsitis per epistolam, scholijsque in Cæsarem, & Sallustium, totque aliis lucubrationibus, spirans bibliotheca haberetur.

Manutios longa pompa comitabantur viri nulli seculo silendi. Aloysius Grifalconius ab exacta linguarum cognitione Trilinguis cognomentum promeritus; cum vel vna excelluisse eximia laus habeatur. Sed Mathematicarum, & totius philosophiæ peritia à Francisco I. in Galliam à Leone X. Romam euocatus, vbique Venetum nomen ad astra tulit.

Io: Bernardus Felicianus qui Græcas literas prope fugientes sistens, plurimis scriptoribus iure Latij donatis, literariam Spartam nouis decoramentis illustrauit.

Quique nuper Venetum forum, quod fuit eius ingenii Theatrum, erudita voce spoliatum, atque orbatum reliquit; doctrinæ varietate, ac plurimarum rerum scientia, ac studiorum amœnitate, cum paucis comparandus, Nicolaus Crassus, quem multo elegantissimum poetam, ætatem nostram tulisse, vere videor posse contendere. Quique opere benignitatis plenissimo, Venetorum Procerum, qui honore rerumque gestarum amplitudine, cæteros præstiterunt, elogia contexens, Latini sermonis suauitate, & quodam natiuo lepore non est passus eorum memoriam, quibus æternitas debebatur intercidere; quorum famam, cum sua in omne æuum extendit. Quo extincto, Venetas Musas Latinè loqui oblitas esse, dicere fas est.

Claudebat pompam, ac veluti Phosphoros, nitidum tot siderum rutilantium agmen cogebat, Franciscus Sansouinus. Quo indicante, ac veluti delineante, peplum imaginibus distinctum, atque illuminatum stetit in eam faciem, quā ætas omnis insatiabilibus oculis suspiciet. Et sicut Sansouini parens, architectonices, artisque sculptoriæ miraculo molliter spirantia signa producens, nouo statuarum populo,

pu-

publicas, ac priuatas ædes repleuit, & cum ipsis superis, quos finxit prope adoratus est; sic filius ingentium animarum simulachra exprimens, ære, saxoque perenniora monumentta exegit, & cum paterna opera informis situs edaxque vetustas consumpserit, seculis innumerabilibus duratura.

Hic Menippus plenam, summa iam margine epistolam clausit, in ima cera adiecit, ad venerabilis pepli conspectum repente minacem, & in scelus erupturam seditionem compressam esse, omnemque ciuicum motum consedisse. Cæterum se ob superbam ingeniorum censuram Palatina bibliotheca, ac prope Helicone excussum fuisse.

Hæc & apud seras gentes populosque nepotum
Siue sua tantum venient in secula fama,
Siue aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest.



PA.

PANEGYRICI DVO:

ALTER PAVLO CAOTORTÆ

ALTER IOANNI PISANO


Patauina Prætura perfunctis

Dictus.

Sub nomine Claudij Encarpi vterque editus.

HIERONYMO LAVREDANO

Iulius Cribellarius Typographus S. P. D.



On adeo virtutum sterile hoc seculum est, vt simul cum recte factis laudationes quoque exaruerint, illudque nobis obiectari possit postquam laudanda facere desierimus, laudari quoque nos desiisse. Nam si alibi hac præcipue terrarum parte virtus libertatis cote acuitur, noua quotidie laudis materies oboritur, ipsaque laus virtutis merces & incrementum est. En tibi magna huius æui decora Paulus Caotorta & Io: Pisanus, qui soli absoluere ætatis nostræ pudorem possent, nisi aliæ quoque mentes laudis capaces existerent, & ad eorum gloriam pertineret esse alios, cum quis de virtute certarent. Vtrumque virtutis simulachrum ac nomen rudi colore imbutum sacrare tibi consilium fuit, quod alterum propinqua affinitate contingis, alterum obsequio, ac cultu promereris, magnum tibi incitamentum ad eam indolem exerendam, quæ in iuuenta eminet, & ingenti spe patriæ blanditur. Sic ipse in laudum partem venies, qui ipsa honorum rudimenta non sine laude posuisti. Hoc Lauredanæ

domus antiquum est, ea facere, & pati quæ laus excipiat, nisi sæpe minor sit. De te hoc spondent regia hæc forma, capaxque magnæ fortunæ ingenium, obuia comitas, vulgi fauor, patriæ vota. De me nihil addo, quem tot meritis penè obruisti: & cum non alia re possem, hos non obscuri scriptoris properos & ex temporaneos fœtus, quos ille parum humaniter exposuerat tuli, tibique adoptandos dedi. Hoc de te auctor meretur, si aliquid studio dandum est, quo te obseruat, atque in te amando nulli mortalium concedit. Vale feliciter.

PANEGYRICVS PAVLO CAOTORTÆ dictus.

Pietate & Iustitia Principes Dij fiunt.

MAgnarum Vrbium excidia, veterumque Imperiorum fata diris ante ostentis denuntiata scriptores prodiderunt. Sed non aliud certius imminentis exitij præsagium fuisse adnotatum est, quàm cum Dij præsides Geniusque loci excedere credebantur, & perituras sedes deserta veluti statione destituere. Ruentis à culmine Troiæ tristissimum omen illud fuit.

Excessere omnes aditis, arisque relictis
Dî quibus Imperium hoc steterat

Et illud

Troia perdidit primum Deos

Sic antequam Hierosolyma à Tito caperentur euênere prodigia, expansæ delubri fores, & audita maior humana vox, excedere Deos, simul ingens motus excedentium. Aeternum viuat, sæculisque perennet magna hæc Vrbs, non tam antiquitate, & rerum gestarum gloria, quam fide in Venetum Imperium nulli concessura: ingenti tamen mœrore con-

consternetur necesse est, luctuque & squalore deformis metu trepidet & contabescat; Quod tu Vrbis salus, & tutela, rerumque nostrarum grande decus, ac præsidium, post breuem moram has sedes relinquas, aditisque excedens omnium spes ac vota tecum feras. Nec si te Dîs Præstitibus, ac Consentibus comparauero verebor, ne aut poetica leuitate ludere, aut deformi obsequio assentari videar. Nam vos Rectores populorum, rerumque dominos, Deos esse nisi sacrarum literarum oracula confirmarent, res ipsa doceret, voxque illa Augusto digna, & augustissimo Deûm concilio, Pietate & Iustitia Principes Dij fiunt. Deus est mortali iuvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hæc legitima apotheosis, qua non post rogum & cineres, sed viui, ac videntes Principes consecrantur, quos æquata Dijs immortalibus potestas deceret. Hæc te mortalitate exemit, & veluti Nectaris poculo diuinitatis participem reddidit.

Nam quid ego hic de eximia pietate tua dicam, quam nisi hereditario à maioribus accepisses erat à quo posteritas exemplum caperet, quod esset miratura. Eaque insignior, ac notabilior est, quod hodie non pauci politica toruitate religionis nomine tamquam larua abutuntur, & prout expedire visum fuerit, Cœlum, & astra in partes vocant. Scis enim omnia post religionem ponenda, & apud prophanos quoque non dubitasse sacris Imperia seruire, ita se, inquit ille, humanarum rerum futura regimen existimantia, si Diuinæ potentiæ bene, atque constanter fuissent famulata. Itaque nulla re magis Troianum Heroem & admiraris & refers, quod nihil ex patriæ ruentis incendio, quam victos Penates, & Magnos Deos extulerit, quòd haud dubie vna cum illis terrarum Imperium circumferret, quorum monitis & instinctu rerum maximarum exordia auspicaretur. Hæc vitæ sanctitas moresque castissimi: serenæ frontis honos, orisque placida, qualis sacris admouetur, maiestas tibi subiectos populos adeo deuinxit, vt te mortalitate maiorem Dijsque

proximum quemadmodum Deos, non metuant, sed ament, ac venerentur. Nec tibi opus est ad conciliandum fauorem nocturnos cum Dijs congressus fingere, falsasque Numinum species obuersatas mentiri, cùm non tam impressum Principibus Diuinitatis characterem, quam dignam celestibus vitam debito cultu prosequantur.

Quid ergo præstabilius, aut pulchrius Deorum munus, quam castus, & sanctus & Dîs simillimus Princeps? Ita olim Aegyptus eosdem Reges habuit, & sacerdotes: sic Romana virtus Imperatoribus suis Pontificiam maiestatem circumposuit.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Et quamquam superûm delubra, ac puluinaria religiosissime colas atque à iuvandis mortalibus ad exorandos immortales crebro conuertaris, nunquam tamen ita desidem intra sacella vitam egisti, vt pro colendo Numine hominum curam relinqueres, nec tam anxia, ac muliebri superstitione, quàm benefaciendo mortalibus, mala depellendo, largiendo salutem, Deum non tam colis, quam probas, & refers. Itaque ad te prius aliqui, quam ad Deos vota sua referunt, & votis damnati, hoc superis debent, quod eodem gestientis animi affectu ab aspectu tuo, atque à templis arisque discedunt. Hæc pietas tua hæc religio: alterum quo Principes Dij fiunt Iustitia est, quæ pectus tuum omni affectu vacuum non secus ac delubrum insedit. Nemo Iouem nisi Tonantem credidit, cui si fulmina demas eundem ipsorum turba Deorum despicatui ac ludibrio habebit. Sed cum superbos fratres iaculatur, cùm montium allisorum strage terram partubus suis miscet, cum poli intonuere, & verendam Cæsariem non sine Orbis motu concussit, diuinitatis fidem inuenit.

Præceps in metas suas, & flagitijs impar æuum iam contra Diuos capita alta ferre non magnum crimen ducit: scelerum certamen est, vbi blanditur impunitas, & venalis ambitus

bitus mortalium capita licitatur, & locat. Quæ tu monſtra non laqueo feralique pegmate, ſed ſola integræ ſeueritatis fama expugnaſti, & vt ita dicam ſpiritu ipſo diflaſti. Nondum aduentu tuo nos beaueras, & iam expectatio tanta erat, vt male ſanas mentes vel ad frugem reduxerit, vel trepidos publicæ pacis infectores, & male ſibi metuentes ſine lictore, & faſcibus in alias terras aſportauerit. At vbi Vrbem es ingreſſus os, humeroſque Deo ſimilis, & non modo regio honore, ac diuinitatis afflatu decoram ſpeciem cõtueri, ſed pectus illud formidinis expers, mentemque propoſiti tenacem colere licuit, fugata impietas eſt, coercita effrenis licentia, & ſublatis peccandi cauſis omne delictum intra vnum, aut alterum exemplum ſtetit. Placidus hic rigor, & incruentus docuit vnco, & ſecuribus validiorem eſſe inconcuſſam Principis mentem, quam non gratia, non ambitus à recto tramite deflectat.

Sed quid ea repeto, quæ omnium animis altius impreſſa etiam poſterorum linguas in tui laudem ſoluent, & animos component in exemplum? Iuſtitia ergo, & pietas domus tuæ inſignes, ac peculiares ſemper fuĉre, ſed te præcipuè Deo ſimillimum reddiderunt, quem repente veluti machina de medio ſubduci inenarrabiliter deploraremus, niſi illud vnum maneret ſolatium, Diuos benemerendo de mortalibus ſemper & vbique eſſe præſentes, teque Veneto Cœlo redditum, Vrbem hanc beneficijs factam tuam benigno lumine aſpecturum, neque in irritum preces noſtras, ac vota caſura. Interim ad leniendum deſiderium, non caduco lapide, ac mortalibus materijs templum decernemus, ſed in fidiſſimis pectoribus duraturum virtutis tuæ ſimulachrum ponemus. Quare ijdem, & templa, & flamines non vltra inconditè adſtrepemus, ſed gnari Deos ipſos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & ſanctitate lætari, gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram, caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit

silentio venerabimur, & inter suspiria, ac vota linguis animisque fauebimus, id vnum ingeminantes, Paulum Caotortam.

Deberi Cælo fatisque ad sidera tolli.

PANEGYRICVS IOANNI PISANO dictus.

SOlem Orientem venerari solitos Aethiopas ferunt, ne se proximi currus torreret incendio: at postquam immodico æstu atram gentem afflauerat conuicijs, ac maledictis Occidentem prosequi consueuisse. Contra nos omnes Senator Amplissime, te Solem nostrum, cuius benefico sidere non Vrbs hæc modo, sed literæ, ac disciplinæ sunt recreatæ, vt Orientem faustis vocibus, & acclamationibus excepimus, ita Occasui proximum post breuissimum interuallum inuolui nobis & eripi misere conquerimur, & inconsolabiliter deploramus.

In quo Cymerios magis populos, quam Aethiopas imitamur, queîs perpetua ferme nocte damnatis eodem momento lux oritur & occidit, vt videatur Sol, postquam non tam tenebras diuidit, quàm continuat ideo affulgere, vt caliginis horrorem lucis ostentatione reddat grauiorem. Et licet Sol ille siderum moderator, ac publica mundi lux, iterato ferme Orbem suum lustrauerit, dum hic splendore tuo res nostras collustras, vna tamen lux nobis eaq; breuis fuisse videtur, quod te præside nemo caliginem, nemo tenebras senserit, nec de te aliud conqueri possumus, quam quod tam cito nos deseris.

Sed inter omnes quoscumque acerbissimi discessus tui tristitia percellit, Astreæ sacerdotes, & quotquot Iurisprudentiæ sacris initiati sunt grauius id ferunt, quòdque bonos Principes æternos optare magis quam habere liceat indignantur.

dignantur. Et quia satis constat arcanis Aegyptiorum literis, æquum sanctumque Principem Solis imagine designari licet hoc tibi multis de causis conueniat, Themidis tamen cultu, Iurisque & æqui moderatione te nostrum Solem propitium ac beneficum peculiari cultu veneramur.

Non hîc itaque vetustissimæ familiæ intaminatum tot sæculis lumen, Solis huius splendorem, ac iubar esse dicam, ne simul perabsurdè lucere Solem ostendere contendam. Ceterorum siderum regimen prætereo, quod clarissimæ gentis supremos in Augustissima Rep. Magistratus designat. Decidua rerum semina, ac genitalem Solis vim transire cogor, qua telluris gremium noua subinde fœcunditate reparat, idest lætissimum rerum omnium prouentum: immo quoties anni spes elusæ, & interceptæ fuerunt, discussam à te profusa largitione mendacem fundorum sterilitatem.

Quid temporum vices & statas tempestates loquar? Nisi quod sub te nemo æstum sensit, nemo hyemem, sed æquabili temperamento Ver continuauit Autumnum, auara quoque vota vicit Autumnus. Nam purissimæ lucis fontem tua refert abstinentia, animusque nullis sordibus obnoxius, quas facile mens contrahit, vbi auri fulgor nitore Solis decertat. Quid illa Regnatoris astrorum maiestas, cuius imagine Principum capita radijs vetustas incinxit, nil aliud quam maximę Reip. iubar indicat in sereno vultu tuo micans, quod vt mortales omnes beata luce exhilarat, ita contra tuentes perstringit, & audacium luminum temeritatem deiectat.

Hæc sunt propter quæ, te tamquam Solem semper coluimus, semper venerati sumus. Cæteri te Solem, nos Iustitiæ Solem appellamus. Cuius proprium sit cuncta audire, cuncta intueri, nunquam alienis auribus, alienis oculis vti: ita in orbis specula perpetuo hærentem, nunquam deflectentem cursus, & cum opus est longe iaculantem, idest aduersus Sontes telis armatum, & aduersus Reges atque imam plebem ex æquo vindicem: vt Sol quidem dum Orbem suum

peragit omnia signa collustret, tu cum vbique sis, nusquam à Libra, ac Virgine deflectas.

Desinant ergo sibi Vates hunc Deum tanquam suum vendicare, totus noster est, & postquam in Templum Delphicum in quo olim responsa Themis nostra dabat ingressus est, non tam illam loco depulit, quàm sibi assumpsit, communeque Oraculum fecit, idemque & Lycurgum leges docuit, & Templum suum genti nostræ concessit.

Iurisque peritus Apollo.

Hanc nos magnam Iustitiæ tutelam, bonumque Iurisprudentiæ genium magis quam Orum olim Aegyptij coluimus. Tu nostra motus prece naturæ, ac seculi mala fregisti, tu submouisti procellas ac turbines. Tu nos tibi peculiari voto obstrictos, & fouisti perpetuo, & vt olim Titan Sacerdotem suum etiam apud Reges in honore voluit esse, sic dignitatem nostram, sic vota, sic Principis indulgentiam sartam, ac tectam conseruasti.

Et vtinam diu frui tanta Fortuna superi permitterent, nec imminens orbitatis metus nos premeret. Momento abriperis, & cultores tuos tam cito deseris? Nullo sane solatio mœror alleuari posset, nisi te hoc Reip. Orbe altius hinc eniti sciremus, & licet à nobis deflectas æquo animo pateremur, te parumper distare, dummodo in summa Orbita etiam illinc nos respicias benigno lumine, ea Solis vi, quæ proxima & longe remota perfundit. Ito felix. Nos tibi inter Peanes tuos non albenti corpore Taurum, sed simplici purique affectus candorem ad humanitatis tuæ aram Tibi cuncta videnti, & audienti sacramus, dolorique impares verbis parcimus.

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

PAL-

PALLAS SVECICA.

PANEGYRICVS

CHRISTINÆ GOTHORVM, VANDAlorum, ac Suecorum Reginæ Imperium auspicanti Dictus.

SI apud te, Deorum, hominumque consensu Imperij Insignia, totque Regnorum, ac prouinciarum sceptra capessentem, atque in summo rerum fastigio, omni magnæ fortunæ paratu circumdatam, de Te AVGVSTA, verba facere auderem, magnitudinem tuam, & ignorare, & violare viderer: quod tua, ac parentis decora, fatigatis omnium gentium ingenijs, atque linguis, homo peregrinus exequi, nec ritè initiatus tractare hæc sacra non dubitarem. Quis enim ad tantæ Maiestatis fulgorem, speciemque Regibus ipsis verendam, fronteque, & oculis diuinitatis lumen erũpens, animo non consternetur, & concidat, & strepente bellico carmine, quod vterque Orbis audit, trepidus, ac circumspectans, non malit gratulantium turbæ immixtus tacita gaudia peragere, quam in ipso conatu deficere, ac ludibrium debere? Sed cum vno eodemque tempore singulari exemplo, tam Regnorum, quam Literarum regimen capessas, nec tam auro gemmisque, quam inter victrices lauros serpente hedera, Regium capitis insigne irradiet, atque vna subiectos tibi tot populos, & confugientes in sinum tuum ex toto Orbe artes, ac disciplinas sub Imperium accipias: cum spes, & ratio studiorum in te vna sit, solaque tristes Camœnas hac tempestate respexeris, ingrati profectò essemus, ne dicam impij, quicumque literarum nomine censemur, si tuã hanc singularem sapientiam, ingenij, ac literarum cultum,

quan-

quantumcumque humana mens concipere potest, diuinam præterea in doctos viros propensionem, ac liberalitatem silentio inuolueremus.

Et quamuis hoc ipso Musarum patrocinio, circa te flos Literatorum hac tempestate conspiciatur, ac celeberrima ingenia ex toto Orbe contracta tibi vni insudent, laudumque tuarum materiem procudant, nobis tamen in acto gloriæ tuæ fauentibus, si non laudem, certè veniam, fore speramus, si ab vltima Italia per tantum maris, ac terrarum, transmittere isthuc vota, & publicis præconiis inserere obscuritatem nostram, cygnisque suauissimè canentibus interstrepere audemus. Novum enim hoc Sidus, quod caliganti seculo studiis ac disciplinis propè intermortuis affulsit, ingenia, aut ipsa desperatione torpentia, aut inscitiæ, atq; ignauiæ seruire coacta, asseruit, & erexit, vt qui Latinas literas ex ipso Latio profugas, & sub inhospito quondam cœlo non iam peregrinantes, sed in ipsa Regni penetralia admissas, atque in animi tui Sacrarium acceptas, comitari nō possunt, faustis ominibus, ac precationibus prosequantur. Ita volentibus fatis, vt quæ gens reliquas gentes recentibus adhuc trophæis, armorum gloria toties superasset, eadem, Te auspice, vindicatarum ab interitu literarum decus ferret, bellique, ac pacis sequestra, duraturum seculis nomen daret, & acciperet.

In quo quidem sapientiæ tuæ, ac consilij vim propè diuinam numquam satis commendare possumus, quæ maximis bellis exhaustis, non Regno modo tuo, sed toti penè Europæ reddita pace, ac libertate, alterum isthic veluti literarũ Regnum ponere, artesque, ac disciplinas in nouam coloniã transcribere omni ope adlaboras, Martisque manubias Musis consecras, non ingenii modo sponte in earum cultum effusa, sed quòd præclare intelligas, tot fortia facta maiorum iacere in tenebris, nisi literarum lumine accendantur: nec ad populorum modo decus, sed incolumitatem pertinere, si

gens

gens belli ſtudiis aſperrima, vnaque toties deuictus Orbis, beneficio literarum intelligat, quibus artibus Imperium iſtud ex paruo maximum factum ſit.

Gothorum quidem, & Vandalorum, quorum tibi regimẽ Dij dederunt, res geſtæ non admirationem modo, ſed humanam quoque fidem exſuperant. Trophæa toto Orbe excitata, ſeptemque collibus, atque ipſi demum Capitolio impoſita, gentemque vnam Principi terrarum populo non ſuffeciſſe modo tot ſeculis, ſed mutuis cladibus nobilitatam, demum de gentium omnium victore triumphaſſe, vix audet credere poſteritas. Gothos inquam, ſiue vetuſtiore vocabulo Getas, quos, vt grauiſſimi Scriptores prodiderunt, neque laceſſendos bello, neque tentandos Alexander dixerit, Pyrrhus exhorruerit, Cæſar conſulto declinauerit, toties immenſis viribus Romanis prouincijs ſuperfuſos, Thraciam, Illyricum, Macedoniam populatos; aut cladem, aut maximum ſemper terrorem, vltimumque diſcrimen Romano nomini intuliſſe. Tot Conſulares, tot Principes interfectos, plures prope exercitus, quam legiones deletas, victrices Aquilas non ſemel fugatas, eoſdem auro ſępius, quam ferro, Romano ſolo ſubmotos, albentes oſſibus campos, infecta victoriis maria, altos magnarum Vrbium cineres, rapta ab Orbis prædonibus ſpolia, laborat ſimul Annalium fides dum prodit, & minora vero comperiuntur. Quis enim adeo in vetere memoria peregrinatur, vt ignoret, gentem hanc ab Auguſto, Orbis, ac patriæ victore, decem legionibus oppugnatam, verius quam victam, vt ſola ſuperbum illum, pace terra marique parta, clauſi Iani titulum obſcurauerit. Nam paucos poſt annos, nobiliori Dacorum nomine Romanos fines ingreſſi, Oppium Sabinum cum toto exercitu interfecerunt: mox à Cornelio Fuſco ægrè repreſſi, qui tamen vulturibus Dacis lanianda viſcera præbuit: vt Traianus ipſe dignus Romana magnitudine, dignus Dacis hoſtibus Imperator, tam longa expeditione, totque laboribus, ante vitæ, quã

belli

belli finem inueniret. Quis enim vnquam victos dicere ausit, qui à Caracalla tentati, ab Gordiano submoti, non multo post trecenta mortalium millia in solum Romanum, veluti diluuio irruerunt, vt tædio, ac desperatione contabesceret Philippus, Decius cladem, ac dedecus dissimulare cogeretur. Aeterna Romani nominis labes, ac macula, ipsi fortunæ numquam indulgendo defatigatæ erubescenda. Actum erat de tanta Imperii mole, Diis ipsi inuidenda, nisi Gallus, & Galli filius iniquissimis conditionibus, non diu duraturam pacem mercati essent. Nam Gallieno per libidines pessundato, non iam Thracia, aut Illyrico, sed tota minore Asia peruastata, Claudij virtute, tot victoriarum torrens veluti obice repressus est, vt humanarum rerum vicissitudine gens, cuius terrore toties Romanum culmen nutauerat, patrio solo extorris, ac profuga, incertis sedibus ageretur. Nam dum totis Regni viribus alieno Imperio imminent, armaque, & fortunam Quiritium fatigant, res suas amisere, irrumpentibus in vacuas sedes Hunnis, vt quod olim gloriæ cupido, & succrescentis in immensum sobolis multitudo, nouas sedes quærere suadebat, nunc patrij soli, glebæque egestas, alienas terras sibi prospicere cogeret: cumque sibi viam ferro, vt alias facere possent, quod recenter Christianis sacris imbuti essent, maluerunt precariò obtinere, quod olim à gladio impetrauerant. Ita à Valente in nouas sedes inducti, auaritia, ac fraude legatorum, diutius Principis beneficio frui non potuerunt, indignisque modis vexati, circumspicere vires suas cœperunt, quodque iure tueri vetabantur, memorabili victoria, ipso Valente cum totis copijs contrucidato, tenuerunt. Fuit deinde sub Theodosio siue pax, siue induciæ, vt demum occulta lege fatorum terrarum victrix, rerumque domina Vrbs, vtrumque Solem Imperio complexa, capta, ac direpta, rerum humanarum spectaculum præberet. Siquidem sub Theodosio gens bello inuicta non fidam modo pacem diu præstitit, sed longo Sacramento imbuta, ipsique

que

que Romanæ magnitudini immixta, Romanis ducibus egregie Imperium tutata est, donec Theodosio extincto, ac lacerato Imperio, ipsorum ducum scelere, ac perfidia, qui rerum nouarũ cupidine turbare cuncta, ac miscere nihil pensi habebant, vltrò ad prædam, vastasque spes, & in auctores casura discrimina solicitaretur.

Ita creato Alarico Rege, quo duce Romanæ gentis exitium fata moliebantur, adiectis sub Rhadagaso ducentis mortalium millibus, diuerso incessu Italiam aggressi, substitere paulum, Rhadagaso veluti indagine cincto, & quia ferro non poterat, fame absumpto. Cum Roma in manibus esset, Alaricus ingentis animi vir, & fraudis nescius, maluit Stiliconis perfidiam Cæsari aperire, quam dolo vincere, atque incredibili generositate imperium Honorio confirmare, quam habere. Ita impetratis in Gallia genti suæ sedibus, reducto exercitu, pacato agmine abibat, non hostium modo, sed iræ, ac cupiditatis victor, donec nouo Stiliconis scelere læsa patientia in furorem verteretur, daretque interim pietatis, ac religionis exemplum, quod posteritas omnis admiraretur, nisi quæ non crederet. In abeuntes missus militum globus, admixta Iudæorum colluvie, non extremum modo agmen carpunt, sed iam metantibus castra inuecti, cuncta cædibus miscent. Forte ea dies Christo Domino sacra, festo ritu celebrabatur, gensque non in ostentationem pia, operum immunis feriabatur, discinctaque, & aris circumfusa sacris intererat, & cum maxime pro hostibus suis preces funderet, nihil mali metuens, repentina inuasione, gladiis iugulo hærentibus, non illicò in aggressores ferrum expedit, sed cunctabatur; quod nefas esse duceret, festa, sacraque luce humanum sanguinem fundere, cædibus gaudere, donec hostilis rabies intempestiuæ pietatis consultationem discuteret. Ita ad arma consternati, ruptores fœderum, omnisque humani ac diuini iuris violatores infortunio mactant, Deumque testati, cuius feriæ, atque altaria ad scelus

impijs placuissent, ad satietatem perfidiæ pœnas expetunt, itaque ac cæde calentes infestum agmen vertunt, ac reliquas copias fundunt, fugantque, nec multo post Vrbem Imperij Deumque sedem occupant, Arcemque illam cunctis gentibus adoratam, quam incensa Vrbe capere Galli non potuerant, tot cæsis exercitibus spectare Annibal timuerat, inuadunt, vna in arce toto orbe debellato.

Tantam Hercules victoriam sola pietate promeriti, alterum mox religionis exemplum edituri, plus admirationis apud posteros habiturum, quam fidei. Quis enim Vrbem æternam à Gothis captam dicere ausit, in quam nullum captiuitatis exemplum editum est? Torpet hic mens tantarum rerum contemplatione obruta, nec satis verba expedit, quoties Regis Alarici edicta cogitat, quibus ante Vrbis ingressum milites vetuit vim liberis corporibus afferre, capitis pœnam interminatus, si quis eum qui ad templum Principis Apostolorum, aut Basilicas martyrum confugisset, cæderet, aut templa ipsa violaret. Quibus edictis nihil sanctius, nihil diuinius tota vetustas habuit: in quibus celebrandis viri sanctissimi facundiam, atque admirationem consumpsere. Et hos quisquam barbaros appellabit? Conferat nunc, si cui animus est, non dico aliarum Vrbium funera, ac diri fati exẽpla, quæ ætas nostra videt, quas velut concesso barbaræ feritatis iure, nemo captas credit, nisi sexus omnis, omnis ętas infanda patiatur, nisi stupris cædes, cædibus incendia misceantur. Hoc belli ius inter Christianos appellatur. Sed conferat cum hoc facto ipsam Vrbem auorum memoria, non à Scythis, aut Massagetis expugnatam, animoque subiiciat, quæcumque talis fortuna recipit, quæcumque victrix libido, atque immanitas imperat: cæsos ante ora patrum liberos, aut aliquid morte grauius passos, spectantibus maritis, ferre nurus coactas, quæ victoribus collibuissent, omnia postremo, quæ mens cogitare horret, & nos dicere tuto non possumus. Exigua tamen malorum pars, ac minima clades

visa

visa est, præut quo pacto, veluti indicto superis bello, ipsaque sacrorum Maiestate captiua, nullæ simplices cædes furiis illis placuere, nisi Sacerdotibus ad suas aras victimarum more mactatis, altus cruor rorantia Numinum ora, altariaque, & templa inundasset: nullæ pudoris, aut naturæ iniuriæ, nisi in ipsis puluinaribus totæ Deorum oculis ingestæ: nullæ rapinæ, nisi queis Sacra legerentur, Diuorum patrimonio, e penetralibus egesto: nulla incendia, nisi quæ ex aris accensa, auratas trabes depasta, cæsos Pontifices funerarent: nullæ, nisi templorum ruinæ, quibus flagitia tumularentur, & Numina: nulla demum, nisi Sacrorum solitudo, populis, Superisque fugatis. Gothorum Rex, in ipsa Sacrorum sede, parci Templis iubet, atque Vrbi quæ in Templa confugerat, milites (vt scias totius gentis, non vnius hominis eam laudem fuisse) non parcunt modò, sed sponte obuios, quos vel casus, vel stupor, vel pereuntis patriæ supremus aspectus tardauerat, in Templa inducunt, saluosque esse cogunt, vel inuitos.

Sed nimiæ fortassis audaciæ est ista percensere, in quibus celebrandis maximum illud Christiani nominis lumen, & sanctioris sapientiæ decus summum desudauit, atque ab hoc memorando facinore Dei ciuitatem auspicatus est, imò propter hoc, vt illud quoque Gothis deberemus. Penè tanti fuit Romam perire, vt alia cœlestis ciuitas ab sacrorum ingeniorum Principe conderetur. Nemo eos libros sine quodam horrore, ac veneratione Gothici nominis legit, quibus Patrum ille grauissimus, multo acumine, ac literarum amœnitate, hoc pietatis exemplum, cui comparari non possit aliud, concelebrat, negatque tot bellis, quæ à primordio Orbem totum exercuere, aliquam Vrbem vnquam expugnatam, vt hostes parcerent ijs, qui se Deorum fidei commisissent, spéque salutis Templorum tutelæ mandassent, Romanosque ipsos Vrbium euersores, religionis alioqui, prout dominationi expediret, tenacissimos, vllis vnquam Sacris, aut Tem-

plis

silentio venerabimur, & inter suspiria, ac vota linguis animisque fauebimus, id vnum ingeminantes, Paulum Caotortam.

Deberi Cœlo fatisque ad sidera tolli.

PANEGYRICVS IOANNI PISANO dictus.

SOlem Orientem venerari solitos Aethiopas ferunt, ne se proximi currus torreret incendio: at postquam immodico æstu atram gentem afflauerat conuicijs, ac maledictis Occidentem prosequi consueuisse. Contra nos omnes Senator Amplissime, te Solem nostrum, cuius benefico sidere non Vrbs hæc modo, sed literæ, ac disciplinæ sunt recreatæ, vt Orientem faustis vocibus, & acclamationibus excepimus, ita Occasui proximum post breuissimum interuallum inuolui nobis & eripi misere conquerimur, & inconsolabiliter deploramus.

In quo Cymerios magis populos, quam Aethiopas imitamur, queîs perpetua ferme nocte damnatis eodem momento lux oritur & occidit, vt videatur Sol, postquam non tam tenebras diuidit, quàm continuat ideo affulgere, vt caliginis horrorem lucis ostentatione reddat grauiorem. Et licet Sol ille siderum moderator, ac publica mundi lux, iterato ferme Orbem suum lustrauerit, dum hic splendore tuo res nostras collustras, vna tamen lux nobis eaq; breuis fuisse videtur, quod te præside nemo caliginem, nemo tenebras senserit, nec de te aliud conqueri possumus, quam quod tam cito nos deseris.

Sed inter omnes quoscumque acerbissimi discessus tui tristitia percellit, Astreæ sacerdotes, & quotquot Iurisprudentiæ sacris initiati sunt grauius id ferunt, quòdque bonos Principes æternos optare magis quam habere liceat indignantur.

dignantur. Et quia satis constat arcanis Aegyptiorum literis, æquum sanctumque Principem Solis imagine designari licet hoc tibi multis de causis conueniat, Themidis tamen cultu, Iurisque & æqui moderatione te nostrum Solem propitium ac beneficum peculiari cultu veneramur.

Non hîc itaque vetustissimæ familiæ intaminatum tot sæculis lumen, Solis huius splendorem, ac iubar esse dicam, ne simul perabsurdè lucere Solem ostendere contendam. Ceterorum siderum regimen prætereo, quod clarissimæ gentis supremos in Augustissima Rep. Magistratus designat. Decidua rerum semina, ac genitalem Solis vim transire cogor, qua telluris gremium noua subinde fœcunditate reparat, idest lætissimum rerum omnium prouentum: immo quoties anni spes elusæ, & interceptæ fuerunt, discussam à te profusa largitione mendacem fundorum sterilitatem.

Quid temporum vices & statas tempestates loquar? Nisi quod sub te nemo æstum sensit, nemo hyemem, sed æquabili temperamento Ver continuauit Autumnum, auara quoque vota vicit Autumnus. Nam purissimæ lucis fontem tua refert abstinentia, animusque nullis sordibus obnoxius, quas facile mens contrahit, vbi auri fulgor nitore Solis decertat. Quid illa Regnatoris astrorum maiestas, cuius imagine Principum capita radijs vetustas incinxit, nil aliud quam maxime Reip. iubar indicat in sereno vultu tuo micans, quod vt mortales omnes beata luce exhilarat, ita contra tuentes perstringit, & audacium luminum temeritatem deiectat.

Hæc sunt propter quæ, te tamquam Solem semper coluimus, semper venerati sumus. Cæteri te Solem, nos Iustitiæ Solem appellamus. Cuius proprium sit cuncta audire, cuncta intueri, nunquam alienis auribus, alienis oculis vti: ita in orbis specula perpetuo hærentem, nunquam deflectẽtem cursus, & cum opus est longe iaculantem, idest aduersus Sontes telis armatum, & aduersus Reges atque imam plebem ex æquo vindicem: vt Sol quidem dum Orbem suum

peragit omnia signa collustret, tu cum vbique sis, nusquam à Libra, ac Virgine deflectas.

Desinant ergo sibi Vates hunc Deum tanquam suum vendicare, totus noster est, & postquam in Templum Delphicum in quo olim responsa Themis nostra dabat ingressus est, non tam illam loco depulit, quàm sibi assumpsit, communeque Oraculum fecit, idemque & Lycurgum leges docuit, & Templum suum genti nostræ concessit.

Iurisque peritus Apollo.

Hanc nos magnam Iustitiæ tutelam, bonumque Iurisprudentiæ genium magis quam Orum olim Aegyptij coluimus. Tu nostra motus prece naturæ, ac seculi mala fregisti, tu submouisti procellas ac turbines. Tu nos tibi peculiari voto obstrictos, & fouisti perpetuo, & vt olim Titan Sacerdotem suum etiam apud Reges in honore voluit esse, sic dignitatem nostram, sic vota, sic Principis indulgentiam sartam, ac tectam conseruasti.

Et vtinam diu frui tanta Fortuna superi permitterent, nec imminens orbitatis metus nos premeret. Momento abriperis, & cultores tuos tam cito deseris? Nullo sane solatio mœror alleuari posset, nisi te hoc Reip. Orbe altius hinc eniti sciremus, & licet à nobis deflectas æquo animo pateremur, te parumper distare, dummodo in summa Orbita etiam illinc nos respicias benigno lumine, ea Solis vi, quæ proxima & longe remota perfundit. Ito felix. Nos tibi inter Peanes tuos non albenti corpore Taurum, sed simplici purique affectus candorem ad humanitatis tuæ aram Tibi cuncta videnti, & audienti sacramus, dolorique impares verbis parcimus.

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

PAL-

PALLAS SVECICA.

PANEGYRICVS

CHRISTINÆ GOTHORVM, VANDAlorum, ac Suecorum Reginæ Imperium auspicanti Dictus.

SI apud te, Deorum, hominumque consensu Imperij Insignia, totque Regnorum, ac prouinciarum sceptra capessentem, atque in summo rerum fastigio, omni magnæ fortunæ paratu circumdatam, de Te AVGVSTA, verba facere auderem, magnitudinem tuam, & ignorare, & violare viderer: quod tua, ac parentis decora, fatigatis omnium gentium ingenijs, atque linguis, homo peregrinus exequi, nec ritè initiatus tractare hæc sacra non dubitarem. Quis enim ad tantæ Maiestatis fulgorem, speciemque Regibus ipsis verendam, fronteque, & oculis diuinitatis lumen erũpens, animo non consternetur, & concidat, & strepente bellico carmine, quod vterque Orbis audit, trepidus, ac circumspectans, non malit gratulantium turbæ immixtus tacita gaudia peragere, quam in ipso conatu deficere, ac ludibrium debere? Sed cum vno eodemque tempore singulari exemplo, tam Regnorum, quam Literarum regimen capessas, nec tam auro gemmisque, quam inter victrices lauros serpente hedera, Regium capitis insigne irradiet, atque vna subiectos tibi tot populos, & confugientes in sinum tuum ex toto Orbe artes, ac disciplinas sub Imperium accipias: cum spes, & ratio studiorum in te vna sit, solaque tristes Camœnas hac tempestate respexeris, ingrati profectò essemus, ne dicam impij, quicumque literarum nomine censemur, si tuã hanc singularem sapientiam, ingenij, ac literarum cultum, quan-

quantumcumque humana mens concipere potest, diuinam præterea in doctos viros propensionem, ac liberalitatem silentio inuolueremus.

Et quamuis hoc ipso Musarum patrocinio, circa te flos Literatorum hac tempestate conspiciatur, ac celeberrima ingenia ex toto Orbe contracta tibi vni insudent, laudumque tuarum materiem procudant, nobis tamen in arcto gloriæ tuæ fauentibus, si non laudem, certè veniam, fore speramus, si ab vltima Italia per tantum maris, ac terrarum, transmittere isthuc vota, & publicis præconiis inserere obscuritatem nostram, cygnisque suauissimè canentibus interstrepere audemus. Novum enim hoc Sidus, quod caliganti seculo studiis ac disciplinis propè intermortuis affulsit, ingenia, aut ipsa desperatione torpentia, aut inscitiæ, atq; ignauiæ seruire coacta, asseruit, & erexit, vt qui Latinas literas ex ipso Latio profugas, & sub inhospito quondam cœlo non iam peregrinantes, sed in ipsa Regni penetralia admissas, atque in animi tui Sacrarium acceptas, comitari nō possunt, faustis ominibus, ac precationibus prosequantur. Ita volentibus fatis, vt quæ gens reliquas gentes recentibus adhuc trophæis, armorum gloria toties superasset, eadem, Te auspice, vindicatarum ab interitu literarum decus ferret, bellique, ac pacis sequestra, duraturum seculis nomen daret, & acciperet.

In quo quidem sapientiæ tuæ, ac consilij vim propè diuinam numquam satis commendare possumus, quæ maximis bellis exhaustis, non Regno modo tuo, sed toti penè Europæ reddita pace, ac libertate, alterum isthic veluti literarū Regnum ponere, artesque, ac disciplinas in nouam coloniā transcribere omni ope adlaboras, Martisque manubias Musis consecras, non ingenii modo sponte in earum cultum effusa, sed quod præclare intelligas, tot fortia facta maiorum iacere in tenebris, nisi literarum lumine accendantur: nec ad populorum modo decus, sed incolumitatem pertinere, si

gens

gens belli studiis asperrima, vnaque toties deuictus Orbis, beneficio literarum intelligat, quibus artibus Imperium istud ex paruo maximum factum sit.

Gothorum quidem, & Vandalorum, quorum tibi regimē Dij dederunt, res gestæ non admirationem modo, sed humanam quoque fidem exsuperant. Trophæa toto Orbe excitata, septemque collibus, atque ipsi demum Capitolio imposita, gentemque vnam Principi terrarum populo non suffecisse modo tot seculis, sed mutuis cladibus nobilitatam, demum de gentium omnium victore triumphasse, vix audet credere posteritas. Gothos inquam, siue vetustiore vocabulo Getas, quos, vt grauissimi Scriptores prodiderunt, neque lacessendos bello, neque tentandos Alexander dixerit, Pyrrhus exhorruerit, Cæsar consulto declinauerit, toties immensis viribus Romanis prouincijs superfusos, Thraciam, Illyricum, Macedoniam populatos; aut cladem, aut maximum semper terrorem, vltimumque discrimen Romano nomini intulisse. Tot Consulares, tot Principes interfectos, plures prope exercitus, quam legiones deletas, victrices Aquilas non semel fugatas, eosdem auro sępius, quam ferro, Romano solo submotos, albentes ossibus campos, infecta victoriis maria, altos magnarum Vrbium cineres, rapta ab Orbis prædonibus spolia, laborat simul Annalium fides dum prodit, & minora vero comperiuntur. Quis enim adeo in vetere memoria peregrinatur, vt ignoret, gentem hanc ab Augusto, Orbis, ac patriæ victore, decem legionibus oppugnatam, verius quam victam, vt sola superbum illum, pace terra marique parta, clausi Iani titulum obscurauerit. Nam paucos post annos, nobiliori Dacorum nomine Romanos fines ingressi, Oppium Sabinum cum toto exercitu interfecerunt: mox à Cornelio Fusco ægrè repressi, qui tamen vulturibus Dacis lanianda viscera præbuit: vt Traianus ipse dignus Romana magnitudine, dignus Dacis hostibus Imperator, tam longa expeditione, totque laboribus, ante vitæ, quā

belli

belli finem inueniret. Quis enim vnquam victos dicere ausit, qui à Caracalla tentati, ab Gordiano submoti, non multo post trecenta mortalium millia in solum Romanum, veluti diluvio irruerunt, vt tædio, ac desperatione contabesceret Philippus, Decius cladem, ac dedecus dissimulare cogeretur. Aeterna Romani nominis labes, ac macula, ipsi fortunæ numquam indulgendo defatigatæ erubescenda. Actum erat de tanta Imperii mole, Diis ipsi inuidenda, nisi Gallus, & Galli filius iniquissimis conditionibus, non diu duraturam pacem mercati essent. Nam Gallieno per libidines pessundato, non iam Thracia, aut Illyrico, sed tota minore Asia peruastata, Claudij virtute, tot victoriarum torrens veluti obice repressus est, vt humanarum rerum vicissitudine gens, cuius terrore toties Romanum culmen nutauerat, patrio solo extorris, ac profuga, incertis sedibus ageretur. Nam dum totis Regni viribus alieno Imperio imminent, armaque, & fortunam Quiritium fatigant, res suas amisere, irrumpentibus in vacuas sedes Hunnis, vt quod olim gloriæ cupido, & succrescentis in immensum sobolis multitudo, nouas sedes quærere suadebat, nunc patrij soli, glebæque egestas, alienas terras sibi prospicere cogeret: cumque sibi viam ferro, vt alias facere possent, quod recenter Christianis sacris imbuti essent, maluerunt precariò obtinere, quod olim à gladio impetrauerant. Ita à Valente in nouas sedes inducti, auaritia, ac fraude legatorum, diutius Principis beneficio frui non potuerunt, indignisque modis vexati, circumspicere vires suas cœperunt, quodque iure tueri vetabantur, memorabili victoria, ipso Valente cum totis copijs contrucidato, tenuerunt. Fuit deinde sub Theodosio siue pax, siue induciæ, vt demum occulta lege fatorum terrarum victrix, rerumque domina Vrbs, vtrumque Solem Imperio complexa, capta, ac direpta, rerum humanarum spectaculum præberet. Siquidem sub Theodosio gens bello inuicta non fidam modo pacem diu præstitit, sed longo Sacramento imbuta, ipsique

que Romanæ magnitudini immixta, Romanis ducibus egregie Imperium tutata est, donec Theodosio extincto, ac lacerato Imperio, ipsorum ducum scelere, ac perfidia, qui rerum nouarũ cupidine turbare cuncta, ac miscere nihil pensi habebant, vltrò ad prædam, vastasque spes, & in auctores casura discrimina solicitaretur.

Ita creato Alarico Rege, quo duce Romanæ gentis exitium fata moliebantur, adiectis sub Rhadagaso ducentis mortalium millibus, diuerso incessu Italiam aggressi, substitere paulum, Rhadagaso veluti indagine cincto, & quia ferro non poterat, fame absumpto. Cum Roma in manibus esset, Alaricus ingentis animi vir, & fraudis nescius, maluit Stiliconis perfidiam Cæsari aperire, quam dolo vincere, atque incredibili generositate imperium Honorio confirmare, quam habere. Ita impetratis in Gallia genti suæ sedibus, reducto exercitu, pacato agmine abibat, non hostium modo, sed iræ, ac cupiditatis victor, donec nouo Stiliconis scelere læsa patientia in furorem verteretur, daretque interim pietatis, ac religionis exemplum, quod posteritas omnis admiraretur, nisi quæ non crederet. In abeuntes missus militum globus, admixta Iudæorum colluvie, non extremum modo agmen carpunt, sed iam metantibus castra inuecti, cuncta cædibus miscent. Forte ea dies Christo Domino sacra, festo ritu celebrabatur, gensque non in ostentationem pia, operum immunis feriabatur, discinctaque, & aris circumfusa sacris intererat, & cum maxime pro hostibus suis preces funderet, nihil mali metuens, repentina inuasione, gladiis iugulo hærentibus, non illicò in aggressores ferrum expedit, sed cunctabatur; quod nefas esse duceret, festa, sacraque luce humanum sanguinem fundere, cædibus gaudere, donec hostilis rabies intempestiuæ pietatis consultationem discuteret. Ita ad arma consternati, ruptores fœderum, omnisque humani ac diuini iuris violatores infortunio mactant, Deumque testati, cuius feriæ, atque altaria ad scelus

impijs

impijs placuissent, ad satietatem perfidiæ pœnas expetunt, itaque ac cæde calentes infestum agmen vertunt, ac reliquas copias fundunt, fugantque, nec multo post Vrbem Imperij Deumque sedem occupant, Arcemque illam cunctis gentibus adoratam, quam incensa Vrbe capere Galli non potuerant, tot cæsis exercitibus spectare Annibal timuerat, inuadunt, vna in arce toto orbe debellato.

Tantam Hercules victoriam sola pietate promeriti, alterum mox religionis exemplum edituri, plus admirationis apud posteros habiturum, quam fidei. Quis enim Vrbem æternam à Gothis captam dicere ausit, in quam nullum captiuitatis exemplum editum est? Torpet hic mens tantarum rerum contemplatione obruta, nec satis verba expedit, quoties Regis Alarici edicta cogitat, quibus ante Vrbis ingressum milites vetuit vim liberis corporibus afferre, capitis pœnam interminatus, si quis eum qui ad templum Principis Apostolorum, aut Basilicas martyrum confugisset, cæderet, aut templa ipsa violaret. Quibus edictis nihil sanctius, nihil diuinius tota vetustas habuit: in quibus celebrandis viri sanctissimi facundiam, atque admirationem consumpsere. Et hos quisquam barbaros appellabit? Conferat nunc, si cui animus est, non dico aliarum Vrbium funera, ac diri fati exēpla, quæ ætas nostra videt, quas velut concesso barbaræ feritatis iure, nemo captas credit, nisi sexus omnis, omnis ętas infanda patiatur, nisi stupris cædes, cædibus incendia misceantur. Hoc belli ius inter Christianos appellatur. Sed conferat cum hoc facto ipsam Vrbem auorum memoria, non à Scythis, aut Massagetis expugnatam, animoque subiiciat, quæcumque talis fortuna recipit, quæcumque victrix libido, atque immanitas imperat: cæsos ante ora patrum liberos, aut aliquid morte grauius passos, spectantibus maritis, ferre nurus coactas, quæ victoribus collibuissent, omnia postremo, quæ mens cogitare horret, & nos dicere tuto non possumus. Exigua tamen malorum pars, ac minima clades

visa

visa est, præut quo pacto, veluti indicto superis bello, ipsaque sacrorum Maiestate captiua, nullæ simplices cædes furiis illis placuere, nisi Sacerdotibus ad suas aras victimarum more mactatis, altus cruor rorantia Numinum ora, altariaque, & templa inundasset: nullæ pudoris, aut naturæ iniuriæ, nisi in ipsis puluinaribus totæ Deorum oculis ingestæ: nullæ rapinæ, nisi queis Sacra legerentur, Diuorum patrimonio, e penetralibus egesto: nulla incendia, nisi quæ ex aris accensa, auratas trabes depasta, cæsos Pontifices funerarent: nullæ, nisi templorum ruinæ, quibus flagitia tumularentur, & Numina: nulla demum, nisi Sacrorum solitudo, populis, Superisque fugatis. Gothorum Rex, in ipsa Sacrorum sede, parci Templis iubet, atque Vrbi quæ in Templa confugerat, milites (vt scias totius gentis, non vnius hominis eam laudem fuisse) non parcunt modò, sed sponte obuios, quos vel casus, vel stupor, vel pereuntis patriæ supremus aspectus tardauerat, in Templa inducunt, saluosque esse cogunt, vel inuitos.

Sed nimiæ fortassis audaciæ est ista percensere, in quibus celebrandis maximum illud Christiani nominis lumen, & sanctioris sapientiæ decus summum desudauit, atque ab hoc memorando facinore Dei ciuitatem auspicatus est, imò propter hoc, vt illud quoque Gothis deberemus. Penè tanti fuit Romam perire, vt alia cœlestis ciuitas ab sacrorum ingeniorum Principe conderetur. Nemo eos libros sine quodam horrore, ac veneratione Gothici nominis legit, quibus Patrum ille grauissimus, multo acumine, ac literarum amœnitate, hoc pietatis exemplum, cui comparari non possit aliud, concelebrat, negatque tot bellis, quæ à primordio Orbem totum exercuere, aliquam Vrbem vmquam expugnatam, vt hostes parcerent ijs, qui se Deorum fidei commisissent, spéque salutis Templorum tutelæ mandassent, Romanosque ipsos Vrbium euersores, religionis alioqui, prout dominationi expediret, tenacissimos, vllis vmquam Sacris, aut Tem-

plis

plis hostilem furorem abstinuisse. Quare iure dubitari potest, plusne Gothi tui bellica virtute, an vera religione præstiterint, vtraque Romanos superarunt, vltima seipsos quoque vicerunt, quamque sancta, & inuiolabilis Templorum maiestas sit, primi documentum dedere, fortasse & postremi.

Hæc gentis tuæ decora, quoniam is exorsus est Orationis meæ, Annalibus condita, quî aut noscitarentur posteris, aut grata commemoratione recolerentur, nisi fida literarũ memoria custodirèntur? Et fortasse maiora etiam fuerunt, quam fama feruntur, futura vtique clariora, si parem rebus scriptorem nacta essent: sed haud magna olim apud vos ingenia prouenerunt, cum optimus quisque laudanda facere, quam scribere, sua ab alijs benefacta celebrari, quam ipse aliorum narrare mallet. Ita quod penè singulare in gloriæ præmiis arbitror, res vestræ ab ipsis hostibus bona fide celebratæ sunt, qui dum clades suas Annalibus inserunt, simul virtutem vestram, ac fortia facta commendant. Deinceps auspiciis tuis, AVGVSTA, bene facere Reipublicę, & bene dicere pulchrum erit: magna ingenia ęternitati excolentur, scriptores, & auctores rerum gloria penè par sequetur, Suecica virtus non ab exteris tantum memorabitur, sed domesticis præconijs inclarescet, vt iam historici vestri laudem fœnerare possint, atque ipsos hostes, cum libuerit, celebrare.

Sed vtcumque magna ingenia in hanc spem adolescant, parati in secula scriptores, & dati, immortales animæ egregiis factis æternitatem spondeant, in hoc omnis facundia desudet: nemo tamen vel disertissimus, post centum & quadraginta octo Regum seriem, vel vnum Parentem tuum æquare dictis audebit, aut poterit. Quæ enim ingenij tanta vis, tantaque copia, vt res eius gestas perstringere, ac delibare, ne dicam verbis exornare valeat? Quis audito tantum magni GVSTAVI nomine, quo nullum vnquam clarius

in

in Orbe terrarum fuit, non trepidet, atque animo linquatur, etiamsi speciem eius mitem sibi figuret, ponatque ante oculos faciem illam toto Orbe secundam, oris ac corporis dignitatem, etiam hostibus laudatam, auream cæsariem lactea ceruice, genisque fusam, placidam luminum maiestatem, frontis honorem, si priuato contigisset, Imperio dignum, lacertos illos, ac toros, Imperatorium statum, gradumque, & cunctis agminibus supereminens celsæ proceritatis decus, & reliqua fortuita quidem, sed non apud vulgus tantùm valida? Quid si prælìantis aspectum trepidè concipiat, concussam terribili motu cæsariem, non tam telorum, quam oculorum, ac minarum coniectum, & vel ante signa volitantem cogitet, vel inter confertissimos hostes, quacumque incederet, stragem, luctum, vastitiem inferentem? Cuius mens, aut cogitatio capere potest illud militaris disciplinæ, atque Imperatoriæ virtutis simulacrum, in quo omnia summa etiam hostium confessione fuerunt, quique, vt de altero Magno olim dictum est, plura bella confecit, quam alius vnquam legerit: illum ante Imperatorem, quam militem, extrema pueritia maximi exercitus ductorem, cum Moscis, cum Polonis, cum Danis victoriarum rudimenta ponentem, Germanicisq; trophæis, Sarmatica lauro proludentem, non prælio, non acie victum, non stipendijs, sed triumphis emeritum? Quis, si poetarum more loqui licet, Martem hunc Vrbicapum, arcium euersorem, ingenti lorica tectum, puluere, ac cruore conspersum, solo quandoque nomine, soloque aspectu armatas acies fugantem, dignè scripserit? Quis belli hoc fulmen, quod vno momento Orbem concussit, perterruit, obstantia perfregit, abscessit? An quisquam titulos omnes, ac triumphos nuncupare, victoriasque numerare ausit, quas ille plures, quam annos, ne dicam menses, numerabat? quas autem, Numinum fidem, victorias? Non de imbelli, ac fugitiuo hoste, non de discinctis Afris, aut seminudo Persa, non de subita-

rijs copijs, ac collectitia manu, non de tumultuario exercitu: sed de potentissimis, ac bellicosissimis populis, sed de gente omniumfortissima, ac pugnacissima, quæ Romanis Aquilis imperuia,toties triumphata, nunquam victa, Romanis toties signis, ac fascibus insultauit: sed de maximis, atque instructissimis copijs: sed de florentissimo veteranorum exercitu, tum maxime fixis in media Hesperia trophæis, victricia arma per Orbem ferente, cuius manipulares, & virtute, & stipendiorum numero ductare legiones poterant, cuius non vnus Imperator bellando senex factus, & longo fortunæ fauore victorijs defatigatus, inter decora numerare potuit, hocque fati solatium tulit, quod Sueco vincente cecidisset.

Quas victorias, non ipsius modo auspicijs, ac consilio,sed ductu manuque partas,nullæ vmquam literæ silebunt: quarum victoriarum non spem solum, sed fiduciam semper miles eius in certamen detulit, vsque ad certamen illud, quod illi mortalium operum supremum fuit. Nam & ante satis prouisum erat ne vincerentur, & in ipso discrimine,victoriæ omen, atque instrumentum Imperator erat, magnæ animæ penè vsque ad reprehensionem prodigus, in prima semper acie princeps pugnam capessens,vltimus conserto prælio excedens, vitaque repletus, & gloria, paratus donare Dijs, quod supererat. Arguant vt libet, cunctatores, & cauti hanc in Imperatore sui vilitatem, Ducesque suos præliorum aduersis subducant, nec modo extra teli iactum, sed extra solem ac puluerem, tectorum vmbraculis destituant, vnus contemtus hic mortis, cuius horam nemo in pace produxit, nemo præuenit in prælio, GVSTAVO tot Vrbes natura, atque opere munitissimas aperuit, tot gentes ferocissimas subiecit, tot laureas peperit. Non enim exemplum modò milites ad pugnam accendit, sed desiderio tam chari capitis penè in furorem conuertit, vt sui immemores,oppositu corporum, ac nudo latere eum tegerent, cuius spiritu vniuer-

sorum

forum salus trahebatur, qui toties se pro exercitu deuouebat, quot in acie mucrones stringebantur, quot spargebantur ignis ac ferri missilia, seque maxime beatos fore putarent, si sub teste tanto, ac laudatore spiritum profunderent, atque vitam sibi, Imperatori mortem approbarent, cum is pro singulis lethum lacesseret, pro quo omnes præliabantur. Nam quot ille inuicem seruauit, quot ciuicas priuatus meruisset, à populis, quoscumque adijt, gramineam promeritus, ab reliquo etiam Orbe accepturus, nisi fatorum scelere in ipso procinctu terris subductus fuisset?

Hæc illi flagrantissima militum studia conciliarunt, non vulgata illa, reliquis quoque magnis Ducibus vsurpata. Cultus, habitusque haud multum à priuato abhorrens, vt nisi frontis, atque oculorum honos, quo mortales omnes anteiuit, Regem proderet, latere posset inter milites suos. Fortuitus ac militaris cibus, breues somni, non silentio, aut molli thoro captati, sed vbicumque naturæ necessitas, nudo cespite cœlo opertum Imperatorium corpus reclinasset. In agmine, in itinere, inter custodias, stationesque, in tentorijs, ac contubernijs, curando, aut exercendo corpore immixtus, sibi, ac prælio exercitum firmans: incorrupta vbique maiestate, incertum, charus magis militibus, an venerandus. Hoc inexorabili disciplinæ seueritate profecerat, quam à se primo exigebat, vt nullus ea tempestate meliore, atque innocentiore exercitu vteretur, quem solus continere nouerat, cum se prius contineret: cuius disciplinæ firmamento, immensas hostium copias sæpe parua manu deleuit, cum non solum aduersus homines, sed contra naturæ ipsius vim, ac tempestatum sæuitiam, cœlique minas depugnaret. Posteri ne credent, cum tot hodie supersint, qui interfuerunt, sub ipsa Arcto, media hieme bellatum esse, per niues prope cœlo immixtas, per solidata gelu ingentium fluminum terga portatum exercitum, æterna glacie obrutis campis traductas copias, atque in ea regione, in qua non tectis, ac pel-

libus, sed luculento camino, atque hypocaustis ægrè hiems submouetur, non copias modò, ineunte Ianuario ex hibernis eductas, armaque tractata, sed, quod incredibile est, seculisque omnibus inauditum, ac supra omnem humanæ fragilitatis fidem, cum pecora, ac iumenta torrida frigore præsepibus clauderentur, cum feræ ipsæ, ac muta animantia, niuibus congenita, spelæis, atque antris delitescerent, saxa gelu finderentur, rupesque dissilirent, diu sine tabernaculis, sine tentorijs stridente Aquilone exercitum pernoctasse, priusque naturam ipsam, cœlumque, & elementa, quam hostes superasse? Cum interim nulla in castris seditio, nulla desperatio in vultu cuiusquam emineret; non gemitus, non murmur vllum audiretur: cùm Imperator ipse conto innixus, concretarum aquarum vellus, procellas, ac nimbos stillante cæsarie, atque impexa barba excuteret, pedesque agmen præcedens, irato Ioui, atque horrendo tumultu ruẽti cœlo obniteretur. Cum interim gelu rigentem exercitum, ac pruinis obrutum, & cum liquescentis niuis labe tota die luctatum, appetente nocte, non quies, non tecta, aut fomenta manerent, non epulæ, merique haustus labentem spiritum reuocarent, sed eodem frigore penè lapideus panis, sed interdum aqua regelanda, vt potari posset, sed quærenda sub niuibus, atque alte aperienda tellus, quæ cubile præberet. An quidquam inaccessum, quidquam clausum, atq; impenetrabile his hominibus esse poterat, qui se homines esse, hoc est carne, ac neruis compactos obliuisci poterant, nisi plusquam Spartana nobilitate, tot cruciatuum sensu hæc illis non tolerabilia modò, sed dulcia quoque virtus effecisset? Hæc omnibus mortalitatis incommodis ac pestibus maior tolerantia, atque aduersus quidquid terribile natura habet, indomita, obstinata fides, Germaniam ingentibus exercitibus, validissimis oppidis munitam, nec Alpibus tantum vallatam, fluviisque disseptam, sed suo armatam sidere, sua pugnantem hieme aperuit, milesque inedia, algu, vigi-
lijs

lijs inuictus, Arctoas gentes suo frigore debellauit.

Qua militari disciplina, & disciplinæ magistra paupertate effectum est, vt longa laborum assuetudine, non frigus modo, atque inediam milites facilius tolerarent, ac fortius, sed opum, ac voluptatum rudes, nihil appeterent, præter mortem, quam honestam vitæ inopi, atque ærumnosæ anteferebant: quaque tot mala, atque incommoda effugere properabant: hinc pereundi, fatisque manum inijciendi dulcedo, impetusque ruendi in ferrum, leuisque semper animarum iactura. Et cum hostis abditus hibernis segne otium tereret, solisque hospitibus metuendus, hiemem, quam longa est, luxu, ac rapinis foueret, prædæque, ac scortis implicitus, cunctatior ad pugnam, tot vitæ pretijs, ac blandimentis quotidie fieret, mortemque ac vulnera reformidaret, Suecum militem voluptatibus insuetum, cupidine intactum, anni, cœlique iniurijs dies, noctesque expositum, naturæ desideria parce, ac maligne sedantem, nemo iratum, nisi armatæ acies sensere; cumque in hostili solo nusquam incolis grauis, modesto ac pacato agmine incederet, nec manus tantum, & oculos, sed cupiditates cohiberet, annona pretio pararetur, vltro à populis inuitabatur, qui sociorum hiberna, non hiemis, sed auaritiæ, sed libidinum perfugia, nullis rapinis expleta, nullis stupris satiata, hostili incessu posthabebant, & cruentam pacem vel bello bene mutabant.

Iam vero in semper bellatore quis pacis artes, illasque ex ciuilibus, ac militaribus mixtas mente assequi, ne dicam oratione complecti queat? Vigorem illum, celeritatemq; igne quodam volucrem, inusitatam, inauditamque clementiam, mansuetudinem in victos, in omnes liberalitatem, literarum cultum plusquam Regium, dicendi copiam, ac grauitatem: quæ tibi reliquit ex asse. Itaque aut tu sola, AVGVSTA, laudare parentem potes, aut nullus. Non enim optimarum modo artium, ac studiorum fautrix, & propagatrix es, sed in hoc sexu, in summo rerum culmine, tam vasti Imperij mo-

le, tam lata terrarum, ac maris ditione, mira ingenij fœcunditate, ac sublimitate capaci omnium, quæ cœlo continentur, tantum literis, atque omni studiorum varietate profecisti, vt rite atque ex æquo ferre laudibus patrem possis, ipsa à nullo satis vnquam laudari. Magni genitoris non imago solùm, ac mens, sed humani Iouis vertice edita Virago, casside, ac framea hostibus metuenda, paternis trophæis extremam manum imposuisti, ac liberato Orbe, postquam pacem gentibus etiam inuitis dedisti, constituto Imperio, ad pacis studia conuersa, excogitasti, quo modo non patrem tantum referres, sed ingentium rerum fulgorem adæquares, ac vinceres, & beata quadam dicendi copia, atque vbertate, GVSTAVI memoriam in vltimas vsq; terras porrigeres, vt quò victricia illius signa non peruenissent, scriptorum tuorum gloria penetraret, & si quando monumentis eius suprema dies immineret, ingenij tui vi ab obliuione vindicarentur. Tu igitur penè sola digne patrem celebrare potes; te quis audeat? Tanta quidem nominis tui Maiestas, ac virtutis veneratio est; vt nihil laudibus tuis cuiusquam oratione accedere possit, cupisque ipsa in primis bene facere, quam audire. Reipublicæ tamen literariæ, seculi, & omnium qui literas colimus, ipsiusque posteritatis interest, vt ingentia tua in artes, ac disciplinas merita quomodocumque posteris prodantur, etiamsi nullum inde tibi gloriæ incrementum prouenire possit: cùm grati animi causa, quem satis est etiam Dijs ipsis indicare, tùm incitamento Regibus, ac Principibus, quibus tu hac in parte vix vllam laudem reliquisti, si quando iacentes literas, ac destitutas respiciant, & prouectis studijs, sibi famæ securitatem in posterum prospiciant.

Neque metus est, ne à me quidquam dari auribus tuis credatur, recepto iam more summis capitibus assentandi; siue necessitate, postquam metus, atque ærumnæ penè hanc artem prostituêre; siue ambitione, clausis fermè auribus adstrependo,

strependo, pari apud dominantes literarum ac gloriæ neglectu. Nos enim quo simplicius, eo verius ea leuiter percurrimus, quæ in ore famæ, in publica luce, in humani generis conspectu, in oculis gentium, attonitis omnibus, & vix sibi credentibus aguntur. Res tuas cuncti mortales nouere, non ea modo, quæ in excelso ætatem degentibus latere non possunt, sed etiam quæ intra parietes, ac veluti in ipsis adytis, quando in te ipsam recedis, ac deposita tantisper tantæ fortunæ mole, tibi ac Musis meditaris, foras erumpunt, & sese strenuè vindicant. Et nos in disiunctissimis terris degentes, interfuso Oceano, iugisque montium dissociatos, nulla necessitas, aut pretium ad dicendum compellit, atque in hac sede libertatis toto Orbe profugæ, animus sui iuris, omnique ambitu vacuus, non nisi ingentium facinorū admirationi obstrictus est, solamque audaciæ culpam hoc vno deprecatur, quod tecum de communibus studiis, non cum fortuna tua loquitur. Itaque vel inuitæ tibi laudes tuæ etiam ab ignotis audiendæ sunt, quas alioqui nobis silentibus gratulabundus Orbis tibi ingerit; atque à pudore tuo impetrandum est, vt fama tui innocenter fruaris; nobisque prouidendum, non tam quid nos dicere deceat, quam quid aures tuæ patiantur, qui tametsi multa magnaque dixerimus, eadem de alio dici non posse profitemur.

Ingens profecto laus, & cum paucis comparanda, studiorum laboribus, ac literarum commendatione parta: sed ætas tua, sed sexus, sed fastigium eam admirabiliorem omnique humana fide maiorem reddunt. Hoc iuventæ flore, tot in literis progressus dedisti, vt viros exacta per literas ætate prouocare possis: summa præterea rerum omnium potestate, ac licentia, eas tibi in studijs vigilias, ac contentiones indixisti, quasi iis ad struendam tibi fortunam opus esset: ipsas quoque naturæ leges, ac sexus imbecillitatem supergressa, tanto virorum laudes excessisti, quanto admirabilior semper in muliere virtus visa est. Magnum est, penè ab infantia li-

literis innutriri, Musarum lac ab vbere haurire, scripta pro crepundijs tractare, nullam dulciorem næniam Vatum carminibus habere: sæpius de Magistri, quam de nutricis collo pendere, reptare per libros, Latina verba balbutire. Magnum, pueritiam non alio ludo, quam literario exercere, adolescentiam inter magnæ fortunæ, ac literarum meditamenta partiri, à Præceptore in Curiam, viuidam indolem Patrum oculis ingerere; publicas curas studiorum amœnitate temperare, in cubiculo dictata accipere, in Senatu scribere, illic audire, hic loqui, Magistrorum dicto audientem esse, Principibus imperaturam. Magnum quidem: sed & alij occurrent fortasse non pauci, queis præcox ingenium, & festinata indole ante annos disciplinarum capax, natura benignior indulsit.

Mulieres omnes intempestiua, ne dicam inuida virorum censura, non modò publicis muneribus arcuit, sed veluti extra naturam proiectas, à gubernaculis Ciuitatum, atque ab omni doctrina exclusit, ac repulit, pensisque, & quasillo addictas, in Gynecæum quasi in ergastulum detrusit, ac compegit. Vt non effugerint olim Romanæ satyræ aculeos Matronæ, quæ literis deditæ essent intemperantius, quasi fugerent à sexu, virorumque tam studia imitarentur, quam vitia: quæ historias omnes euoluerent, quæ in libris intelligerent omnia. Cum natura suos fines, ac modos vtrique sexui statuisse videatur: vt quemadmodum literas, atque arma viris tractare, ita colum, ac telam curæ fœminis esse, ius fasque esset. Itaque cum ijs viris male actum putarunt, quibus erudita matrimonia contigissent, cum se nulla satis formosam crederet, nisi quæ de Romana Græcula facta esset, non artem modò Palæmonis vsque in mariti contumeliam edocta, sed siderali scientia, arcanisque fatorum imbuta impensius, quam necesse esset probæ. Quam sexus iniuriam, atroxque & iniquum iudicium, tot castissimis, ac fortissimis exemplis vetus, ac recens ætas rescidit, & vel tu sola,

AVGVSTA, antiquis Sabinis præferenda, quæ virilibus curis, & studiorum sanctitate omnia fœminarum vitia exuisti, satis superque abrogasti. Nam referre hic, quemadmodum æquitate, & clementia, reliquisque regnandi artibus, breui effeceris, vt Patris memoria in te minimum momentũ ad conciliandum populorum fauorem fuerit, vtque minime desiderabile virorum imperium reddideris, esset iniuria tantæ maiestatis.

Sit igitur quàm legitimum, tàm rarum atque admirabile in hoc sexu, doctrinæ & eruditionis exemplum, callere literas omnes, ac reconditas artes, nullius scientiæ expertem esse, omnium penè gentium linguis loqui, Latina promtius, quam materna vti, Græcæ discendæ tædium æquo animo vorare, scribendi lepore, ac venustate assurgere, virosque, qui hoc vnum tota vita egerunt, in contentionem vocare, nec tam laudanda facere, quam scribere: carmen sani coloris fundere, gentium mores, Principum ingenia, locorum situs cognitos habere: de abditis rerum causis grauiter, de Republica sapienter disputare, Imperij leges, arcana Dominationum non tantum in Senatu expendere, castitate, ac mansuetudine cum fœminis, ingenio, atque eloquentia, cũ viris decertare. Sed non vna laudandarum artium studio, memoriam apud posteros merita & olim reperta est, & nunc in Belgio sexum, & seculum virgo priuata nobilitat, capaci ingenio scientiarum orbem complexa, vsque in certamen summorum virorum, eorumdem præconio nobilitata.

Quare illud iure maximum videri potest, & penè sine exẽplo, quod Regia fortuna, ac Dijs proxima potestate, non literis modo aures, ac patrocinium commodaueris, sed iis penitus addicta, pari cura eas, atque Imperium complectare, vt penè incertum sit, plusne populos tuos ames, an studia: hæc certe pluris quam salutem facias, quam tot laboribus, ac vigilijs sæpe in discrimen adducis. Non defuere tamen aliquando Reges, qui aut studia fouerent, aut Sceptris, &

& Solio literarum fulgorem circumfunderent: pauci illi quidem, hoc ipso magis laudandi, quando magna olim Regnātium pars, fugatis, aut interfectis viris doctis, ipsam exscindere sapientiam optauere. Scilicet, cum laudanda facere desijssent, etiam laudum instrumenta consumpserunt, omni posteritatis memoriæ, ne secus facta noscitarentur, infensi, nequicquam intercepto scribendi, ac loquendi commercio: cum hæc vis, quæ premit, ingenia exserat, obscurique interdum viri, & vmbratici, supremas Potestates apud posteritatem in ius vocent, ferantque ipsi sententiam, validam, & duraturam. Itaque mitiores alij, quod non literas penitus tollerent, sed scholarum ergastulis squalere paterentur, imputarunt; cum non Reges modo, sed Regum mancipia, sed hominum mendicabula, sed ipsa seruiens nobilitas magnæ fortunæ argumentum putet literas ignorare. Vt olim, (nam quid hodie fiat quærere, priuato illicitum est, atque intutū,) si vnus aut alter vel amorem studiorum simularet, vel inter otij oblectamenta eruditionem admitteret, vel bona fide literis facilem animum, atque aurem accommodaret, maius portentum visum sit, quam si terra mouisset, aut de cœlo lapidatum esset, & quæcumque maioribus hostijs expiabantur.

Tam priuatæ igitur mulieres multa doctrina excultæ, quā viri Principes fuere, qui bonis artibus, aut propitii, aut non infensi vixere. Sed Regina Virgo, quæ primæuo ætatis flore, iustius viris, ac fortius Imperium in viros exerceat; quæ non studia modo magnifice prouehat, sed inter regnandi instrumenta, inter oblectamenta vitæ interioris adsciscat, atque omni eruditione exsuperet viros, non alia quam tu, AVGVSTA, in tota antiquitate occurrit, eademque vnicum, ac singulare omnium seculorum exemplum viuis. Non enim imperitantium more doctrinam ostentas, aut simulas, sed seuera lege proficiens, toto pectore in studia exarsisti, & cū Regia Fortuna aliud suadere, ætas & sexus excusare posset,

tam

tam pertinaci contentione, totque laboribus incubuisti, vt quantum Pater dura, & antiqua militia Reges omnes, ac Duces superauit, tu in opere literario, atque erudito puluere, etiam priuatos, quibus ea sola cura est, longe post te reliqueris. Nam si quis immensas Imperij vires, & incipiente iuventa cuncta regendi onus animo reputet, vix fieri posse putet, vt vacauerit aliquando tibi libros aspicere: contra, qui sapientiam tuam, qui eloquentiam, qui studium antiquitatis, qui promptum ad omnia ingenium, ac veluti in numerato cogitauerit, credere cogatur, te in literis consenuisse, vixque superare tempus potuisse, quo Regni curis, ac populorum alloquio vacares.

Et licet in altitudinem studiorum condita in recessu Musis opereris, laboresque tuos veluti sipario vulgi oculis subducas, latere tamen non potes: nam exercitati vultus maiestas, & virginali rubori eruditus pallor infusus, virtutis tinctura, ac vigilatis noctibus, iuventæ flos languens, lapsæque genæ produnt secreta Musarum, ac noctium. Nam cum totos fere dies dare te populis soleas, in Senatu quotidie rerum maximarum consilia in serum extendas, tot Regum, ac populorum legationibus conueniaris, de bello ac pace deliberes, tot fidissimis, ac fortissimis exercitibus, tot classibus prospicias: non arx, non oppidum sedulitatem tuam effugiat: labentem morum disciplinam repares, nouisque legibus vincias, constituendis iudicijs, comprimendæ libidini, propagandæ soboli incumbas; nil tibi iam reliquum est, quã vt noctem studijs vindices, ac tenebras partiaris; cadentes oculos in opere contineas, & somnum cum valetudine computes: atque vt magnus olim Orator fabris inuidebat, quorum antelucana opera vinceretur, sic tu AVGVSTA, haud secus ac materfamilias paupercula, quæ vitam colo tolerat, lucem anteuertit, noctemque operi addens, lumen ad exiguum lucubrantes ancillas penso exercet, intempesta nocte corpus puluinari deripis, & tota stertente Aula, cum pro

omni-

omnibus excubes, affixa pluteo, Mineruæ peruigilium colis: & vel sola cum eruditis mortuis versaris, vel sapientiæ Magistros adhibes, quos interdum vigilare cogis inuitos: & cum alij studiorum defatigationem ludo, aut quiete remittant, tu ab Imperij curis ad literas tanquam in portum diuertis: nec tam cessatione laboris, quam mutatione leuaris, nũquam minus otiosa, quam cum ferias resides, tunc etiam posteritatis negotio intenta. Hic tu seria frontis explicas, hic inter libros sapientissimè renides, hic castos iocos, salesque innocuos, salua maiestate admittis.

Sunt quædam ipsis Regibus lenimenta laborum, curarumque laxamenta, simul & rei militaris simulacra, venatu saltus agitare, indagine siluas cingere, ferarum cæde gaudere. Hoc tibi quandoque otium, quo nescio, an aliud laboriosius sit, AVGVSTA, indulges, vt etiam eò magnum Parentem æmuleris: sed ita venationem exerces, vt interim nobiliori capturæ intenta sis, & sic Dictynnam sequeris, vt nusquam à Minerua recedas. Nam postquam dispositæ plagæ, postquam multo latratu nemora sonuere, dum feræ morantur, tu reclinis in gramine, cubito innixa, per amœna Musarum vireta animo spatiaris, præstò sunt stylus, & pugillares, vt quod olim ille Consularis Principum laudator, si præda vacuas manus, saltem plenas ceras domum reportes. Exsonat interim nemus, & multo clamore subsessa erumpit agricolis, ac canibus formidata bellua: eam tu venabulo subsistis intrepida, seque vltro morti ambitiose offerentem manu tua dignaris. Non semel differs id gaudium, paterisque facilius è manu prædam, quam librum elabi, tuisque negotium id mandas, credo vt sic assuescas, & hanc quoque voluptatem, quam tibi ex omnibus reliquisti vnam, nouissime exuas, & omnia vitæ blandimenta literis posthabeas.

Vereor vt hoc quod dicam non perinde intelligi possit, atque ipse cogitans sentio: trepide tamen, atque hæsitabundus dicam. Etiam legitimas tædas hactenus tibi interdixisti,

sti,

sti, votisque populorum, ac penè conuicio optatos Hymenæos, tot vota Regum, quibus posteros debes, iura sanguinis, spem successionis, dulce Matris nomen, & futuros Reges aspernata, nonnisi Pierides puellas in castissimum cubile tuum induxisti, vt seruatum in omne æuum virginitatis decus ferres, & ne legitimis quidem amplexibus, atque educatione liberum, nouisque curis, & gaudijs à susceptis semel studijs auocareris; parata etiam Sceptrum ipsum, ac Diadema donare Musis, si tam salui sine te esse possent populi, quã tu priuata. Immo quantum in te est, iam Regnum donasti, cum maximo Principi Imperium, quam te ipsam tradere maluisti. Vt nobile ingenij tui commentum, non sine quodam gaudij impetu recolam. Nam cum Princeps ille, de quo dicebam, idemque Imperator fortissimus, Regia stirpe, ac forma, & propinqua cognatione, solus tot Regum procatu dignus, coniugii tui spem visus non improbe fouere, chorearum licentia, ac festo saltatu amores suos, castumque Cupidinem, non vna imagine, velut in scenam produxisset, illicò, etiam in re ludicra minime studiorum oblita, lepido, sed erudito argumento lusisti, cum victum Musarum manu Cupidinem, solutum arcum, fractas sagittas, extinctas faces, amãtis, Aulæque oculis subijceres. Sed hæc quorsum euadant Dijs Regni præsidibus curæ erunt: nobis in ea audacius inquirere religio est.

Et mirabitur quisquam, aut in ostentationem Regiæ magnificentiæ factum putabit, vt in toto Orbe nullus iam sit literarum, ac monumentorum fama conspicuus, qui in comitatu tuo non conspiciatur, qui non aut sponte tibi sacramentum dixerit, aut amplissimis tuis præmijs in tantam fortunam non sit euocatus? Ex omnibus Academijs, ex omni doctorum cœtu, ex omni penè terrarum angulo, Aulam tuam, nouum hac tempestate Prytaneum celebrant: nullisque rei familiaris incommodis, aut curis auocati, optima fide immortalitatem negotiantur. Scilicet ingenia tam fouere, quam

æsti-

æstimare nouisti, suisque momentis expendere: & ideo foues, quia iudicasti. Nullo cognitore, aut suffragatore tibi innotescunt, ante tibi expetiti, quam se cognitos ne sperare quidem auderent. Quantus Dij Deæque eorum stupor, & infelicitas, quorum laudes si Latina oratione prodantur, metuere possunt, ne sibi inscitia, ne socordia obiectetur. Tu parcè, ac modestè laudibus tuis frueris, ad quas intelligendas non est tibi opus interprete, quæ si doctos non inuenisses, tamen facere poteras. Nec vnus modo, aut alter solo ingenij censu Aulæ Principibus adnumeratur, auideque exterorum oculis quæritur, sed circa te doctorum populus est; dumque literas, ac disciplinas per Orbem proseminas, ingenijs Orbem spoliasti, vt facilius sit in tanto seruientium grege eruditum, quam hominem inuenire. Nullus tamen numerum facit, cum quilibet horum solus, vel aliam Regiam nobilitare possit. Viri in omni doctrinarum genere summi, capita libros omnes, ac scientias peruagata, exoticarum linguarum, totiusque antiquitatis peritia, duraturisque æternùm monumentis seculo maiores, qui olim nominabuntur, nunc intelliguntur; vt iam vel ex sola familia quanta sis ęstimari possis. Hos tu alloquio, & obuia etiam ignotis comitate tibi obstringis, opimis congiarijs ditas, labore prouocas, æmulatu accendis, & ad bene de posteritate merendum inflammas: denique scribendi exemplum, & materiam suppeditas. Iure igitur tanto ingeniorum prouentu, totque literarum Heroibus, nouis istis Athenis, novum Peplum tibi sanctiori Mineruæ contexi potest, quod Panathenaicis tuis præferatur. Nos his Sacris silentium præstabimus. Et cum nobiliore hac pompa Germani, Galli, Bataui, Angli, & si nō fastidis Itali, laudibus tuis defatigentur, diuersisq; linguis, ac dissono plausu nomen tuum ad sidera vocent, vox tamen populorum sonat vna, qua SVECICA PALLAS, Musarum decima, Regnantium prima, Gustaui Soboles, Patriæ Senatus, ac Castrorum Mater, literarum, ac disciplinarum certissima Salus, ac miraculum prædicaris. Dixi.

GYMNASII PATAVINI
VOTA SVSCEPTA.

Pro Serenissimis ac Potentissimis Principibus

FERDINANDO MARIA, ET ADELAIDE à SABAVDIA

Vtriusquè Bauariæ Ducibus, &c.

HOc vnum Vrbis huius felicitati deerat, vt postquam Vos duo clara, & benefica Germanici Cœli sidera, salutari exortu Italiam omnem in transcursu beastis: ac proximæ Vrbi, quæ Orbis miraculum habetur, inusitato virtutũ omnium fulgore, ac decidua munificentiæ vi perfusæ, miraculo fuistis, has sedes hospitio sacraretis, Vrbisquè penates, ac Regiam, Gymnasium, disciplinarum omnium domicilium, ac templum, aspectu, qui cuncta serenat, illustrius, & sanctius redderetis, oraquè Augusta, placidâ maiestate radiantia, nobis, ac musis spectanda præberetis. Facturi locum

quem cuncta reuisant
Secula, quem veniens hospes Romanus adoret.

Sed beatissimæ lucis radijs repentè præstrictis omnibus quicumquè literas colimus, ac beneficij magnitudine obrutis opportunè Fortuna subuenit, anxiumquè pudorem absoluit. Quippe eo tempore vestro iubare Gymnasium circumfulsit, quo per æstiuos calores, soluta operum, dilapsa iuventus, illud vacuum fecerat, vt totum vos magni hospi-

tes

tes impleretis: ac professorum voce spoliatum, veluti in funere, tristi iustitio marcebat. Vastæ exedræ, nuda subsellia, feriati tripodes, mutæ cortinæ, & clausis adytis, tot oraculorum defectus, ac veluti in antiquæ religionis lucis, secretum, & solitudo, & loco Numinis silentium, & horror. Aduentu vestro

tremere omnia visa repente
Liminaque laurusque Dei.

Quis tollere oculos, quis contra tueri, quis hiscere ausus esset? cui tot miraculis torpenti, cum voce mens non excidisset? Vbique silentium præsentia Numinis fecisset, nisi inuenisset. Illicò docentium oratio, nimis interdum vocalis, & garrula, aures verberans, parietes findens, stupore, ac metu elinguis, & muta reddita esset. Illa ipsa flexiloqua humanæ mentis interpres, populorum moderatrix, Deorumque, ac Regum laudatrix, dicendi Magistra, in ipso conatu deficiens, infanti pudore obtorpuisset.

Quoties subiret cogitatio, apud quos, de quibus dictura esset. Illico enim gentis decora, & tantum in gente Deorum, trepidæ menti obuersata essent. Tot Cæsarum series, Augusta ora, radiatus apex, Laureæ Ciuicis implexæ, Regū omnium, ac Principum per Europam propinqua cognatio, mixtusque sanguis, ac tædæ fœdera, datura Reges, & Cæsares: Regiæ fortunæ paratus, munificentia plusquam Regia: Clementia, ac pietas, supra gentis decus, & gentis claritate virtus illustrior, belli, pacisque studia, populorum flagrantissimum obsequium, cuncta in Principis exemplum composita, scriptorum ingenium defatigatura.

Sed vna Maximiliani parentis Cœlo recepta imago, omnium gentium principibus caliginem inductura, cuius vel facundissimi mentem de statu non deijceret, sicut vniuersos mortales, memoria consiliorum, & operum obstupefecit? Prouidentia huic seculo reseruatus, vt Imperium concussum, ac nutans, ipsaque religio periclitans in eius sinum confugeret.

geret. In quem è proxima Septentrionis specula, furiali turbine erumpens procella frustra detonuit. Arctous Mars, illudque belli fulmen, iam propè domita, ac triumphata Germania, irrito conatu incurrit: nec metu, aut spe, & ipsius Imperij pactione flectere, ac solida mente quatere vnquam potuit. Tu mora fatorum, tu victoriarum obex, cunctando restituis rem, incertum manu, an consilio præstantior, omnium consensu, Germaniæ liberator, Catholicæ rei tutela, salutem populis, auitæ religionis cultum, superis, Imperium non tibi asseruisti.

Quis ista mente concipere, ne dum eloqui pro dignitate potuisset? At qui, tu ac thori socia, coniugum par, cui nihil hodie sol aspicit simile, aut secundum, etiam alia via ingentes occurrissetis, non tàm Imperij, quam ingenij fascibus submouentes. Vt si cui vestra facilitas dicendi audaciam faceret, minime vulgaris eruditionis reuerentia, vocem intercluderet, eademque res materiam dicendi præberet, & eriperet.

Qualis illa species superis ipsis inuidenda, grata mortalibus, ac beata, solis professoribus famæ discrimine, grauis, ac terribilis? Vobis silentibus, vmbraticum hominem loqui audere, de quibus nulla vnquam ætas obticescet. Sedere vos spectatores, grande Dijs, atque hominibus spectaculum. Pendere de ore dicentis, quorum sacro, ac venerabili ore tot mortalium spiritus trahitur. Differenti aures commodare, ad quas priusquam ad superos, vota precesque populi referunt. Subsellia scholarum terere, in quorum venerationem Theatra consurgunt. Adolescentibus studia æmulantibus misceri, quorum tituli super alta Deorum culmina leguntur. De superiore loco verba facienti sedentariam operã pręstare, quos supra ceteros Principes Augusta stirps, atque ardens virtus euexit: Demum si ita loqui fas est, discere aliquid à priuato, quorum dictata, atque Oracula Orbis veneratur.

Hęc cogitantes immensa subit verecundia, simul trepidatio, & horror, nisi fortuna prolatis rebus, ac studiorum inducijs subuenisset, potuisse nos felicitate obrui, famamque captantes, de fama periclitari. Vnde tantum nobis non licuisse gaudemus, nec tam felices fuisse, fortiter ferimus.

Quas ergo preces pręsentibus subduci pudoris nostri interfuit, eas scripto non erubescenti delegamus, totiusque Gymnasii nomine pro vobis apud superos vota concipimus, apud vos pro nobis vota facturi, & vtrinque votis damnari cupimus. Vt sic vos superi ament, quemadmodum vos literas, ac disciplinas, quas tantum diligitis, quantum ab illis probamini. Studia foueatis impensius, quæ tantundem dignationis vobis circumfundunt, quantum opis, ac tutelæ à vobis capiunt, & expectant. Quêis fama vestra, & celsioris fortunæ veneratio, quêis nominis æternitas constat. Cetera principibus statim adesse, vnum insatiabiliter parandū, prosperam sui memoriam, prudentiæ summus firmauit. Vos quidem vestra tantum fama in secula ituros, æternus quoque annalium honor, vulgo Principum eximet: præclara ingenia certabunt, vt in vestris laudibus nomen suum famæ inserant: obsequij nostri pars erit, qui res huius æui prodentes, posteritatis negotium agimus, si quid laboris nostri cura magnis nominibus prodesse potest, inde operi commendationem petere, vnde exemplum Principes petituri sunt. Certè quos puduit vos alloqui, apud seras gentes, populosque nepotum, siluisse pudebit.

OCTA-

OCTAVII FERRARII EPISTOLÆ.

DOMINICO MOLINO
SENATORI VENETO.



Vblica tua in rem literariam, Orbemque Vniuersum, priuata in me, ac domum meam merita, me tandem per pulerunt, vt obsequium tibi cultumque deferrem, quem ego antea admiratione timidissima soloque silentio venerabar. In publica si quidem commoda peccaturus videbar, si pro æterna libertate excubantem, molesto literarum officio interpellarem, obuersis præterea in te omnium ingenijs scriptisque. Sed ingens hoc in me recensque beneficium, sine flagitio dissimulare non potui, quo inter Patauinos professores adscriptus sum, atque vltro ad humanitatis illius sacra vocatus, qua tibi Patres, plebemque literatorum adeo deuinxisti, vt ad vltima quoque Oceani litora, in quæ se æmula libertatis vestræ Resp. seruientis Orbis spes altera, cum omni sapientia ac literarum cultu recepit, se nominis tui maiestas porrexerit, & quo victrices Aquilæ penetrare non potuerunt, eo virtutis tuæ fama persuaserit, & ab clarissimis toto Orbe ingenijs non fictas, non in seruitium tractas laudes expresserit. Ipse etiam si non fastidis hominem peregrinum inter cultores tuos admittere ad hoc sapientiæ delubrum non barbaræ opulentiæ donaria, sed simplicissimi affectus cultum sisto, meque ac meos labores æternum sacro. Deum veneror vt te Orbi christiano, immortali Reip. literis ac disciplinis diutissime seruet incolumem, Vale. Mediolani Cal. Iulij MDCXXXIV.

Eidem. Venetias.

DOminico Molino Octauius Ferrarius salutem dicit qua ipse caret. Cùm fatis admotus cum morte luctarer obuersabatur languenti animo Imago tua, quæ mitissimo aspectu iam suprema meditantem iuberet habere bonam mentem, leniret dolores, & ad viuendi spem vocaret. Sic diu insano ebullientis sanguinis ardore conflictatus quoties oculos illuc retuleram residere vis morbi flectique pertinacia videbatur. Quare calentibus adhuc residua febri artubus, eam scripto veneratus sum, hæcq; Soteria appendi. Fuit mihi cum pictore certamen: sed facili victoria, quod ille fluxum corpus, ego æterna animi bona delinearim. Sed mentis impetum fessa manus non sequitur, & hæc vacillantibus literulis scripta sunt. Patauij ex tot dolorum conscio grabatulo Pridie Idus Nouembris MDCXXXIV.

Eidem. Venetias.

AVspicatissimos tibi ineuntis anni festos dies precor, vtque ista felicitas ætatem suppetat, Deum veneror. Ego sine causa salutem mihi gratulatus fueram, quæ iterum vt cum Comico loquar exulatum abierat, nisi ægrè tandem illam è fuga reprehensam retraxissem. Nunc athleticè ac pugilice valeo, breuique cum Deo publice docendi munus auspicabor. Sed illa manet cura, quod tandiù Gymnasij Moderatores super scholæ negotio deliberent. Ea res totius Academiæ studia erexit, & prout in alterutram partem propendent, ita mihi aut Collegæ Auditores fauent: quidam etiam accendendis offensionibus callidi in longum odia, & altercationes ferunt. Præterea grauis fabula aures meas verberat, quæ iam maleuolorum credulitate agitur. Patruum meum ad hoc docendi munus vocatum: post occulto am-

ambitu intrusum me in hunc locum, atque ita non pro certa Virginem, sed pro viro doctissimo inexpertum iuvenem dolo malo succidaneum datum. Et quamquam insignem contumeliam re ipsa magis, quam verbis sim refutaturus, angit tamen me, & excruciat, quod hæc famæ, cuius momenta initijs captanda sunt multum incommodabit, hocque præiudicium proniorem in res nouas fauorem refrigerare potest. Illud supra omnem molestiam est (nam humanitas tua facit vt libere loquar) quod me, si non aliud saltem ex Ambrosiano Collegio Amplissimi Moderatores cum eo componere non dubitant, quem sciunt omnes Arimini ludum aperuisse, diuque inter capillatorũ gregem tam prope à literatore fuisse, quam nunc longe à Rhetore. Cum Mediolano euocatus sum nunquam mihi esse collegam nisi Patauij intellexi, atque omnia in procliui fore certo credidi. Quod si summis viris ita videbitur, vt me hac spe defraudent, feram æquo animo, nec quod aliqui consulunt iusta causa ab hoc munere recedam, sed labore, sed industria me non indignum eo loco fuisse ostendam. Res meæ, honosque in manu tua sita sunt Vir humanissime. Ceterum certo scio nec defuturos vnquam huic Academiæ viros magnos, nec mihi locum in quo Musas excolam & ingenium. Te vbicumque demum fuero pro bono genio ac salute colam, à tuo nutu pendere ingenti mihi gloriæ fuerit, nam inter tuos clientes numerari, vnicum felicitatis argumentum existimo.

Vale Patauij III. Kal. Ian. MDCXXXIV.

IOANNI COMITI BORROMÆO
Mediolanum.

CVm primùm me Venetæ Reip. Patres per amplis præmijs euocarunt, vt in Gymnasio Patauino eodem in loco Græcas ac Latinas literas profiterer, in quo decora ingenia viam sibi ad immortalitatem strauerunt, nihil antiquius

habui,quam vt huius te rei certiorem facerem,cui plurimum me debere fateor, non tam magni patrui merito, quam tua insigni humanitate, virtutisque admiratione, quæ in te gratior est, quo festinatis honoribus omne decus est complexa. Mediolanum repetere destinaueram, vt bona tua, ac parentis venia id agerem, sed ex transuerso in me morbus irruit tam infestus, vt in mortem fractum vltimis vitæ metis adstituerit. Sed vbi nam gentium te aditura essent hæ literæ nesciebam. Domi mathematico pulueri dies, noctesque incubantem, an militiæ strenue illa gerentem quæ diu in vmbra meditatus es? Vbicumque fueris, & siue Musis siue Marti opereris,me tibi perpetuo addictissimum habebis, laudumq; tuarum non ignauum præconem. Interim à literis ac disciplinis bella capesses instructior, prælia grande Musarum depositum seruabunt, magnaque facere, & scribere non tantum Cæsareum erit. Vale.

Pat. Idibus Ianuarij MDCXXXIV.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI Marchioni S. Alexandri.

MOrbi languor adulta hieme nondum mitescens, totque imparato atque in experto exhauriendi labores studiorum rudimento intercessere quo minus te literarum officio ante hac adierim. Cui ego tantum debeo quantum vix soluendo vnquam futurus sim. Nunquam enim memori animo excidet humanitas illa tua singularis, eo gratior, quòd gratuita erat, semperque menti non sine voluptate obuersabitur ingenij tui mira felicitas, nostrarumque literarum cognitio tanta, quantam vix alius alto otio consequatur. Ea præsertim ætate Vrbisque moribus, quibus miraculi poenè loco est in principe, ac regnatrice quondam domo, inter tot opes, ac Fortunæ indulgentiam, non modo amare te bonam mentem, sed ijs dotibus cum quocumque certare posse, quæ

iam

iam non nisi inopiæ subsidia infimæq; sortis ornamenta igna-uo seculo videntur. Vt omittam hic militarem gloriam tuã, cum vtriusque Mineruæ sacris initiatus, laudem gentis tuæ propriam reuocaueris, facere, & scribere laudabilia: & cum Marti Musarum genium admoueris, castrorum fremitu libris indulgere, quos chlamydatus circumfers. Quanta porro quamque exquisita totius antiquitatis cognitio, quam largus veterum numnorum emptor sis, & interpres quid attinet dicere? Quid poesis tua mascula ac militaris, qua carmen sani coloris, atque ætatem laturum fundis, eodemque genio res geris, ac scribis? quid reliqua quæ satius est sileri, ne à me id auribus tuis dari quis credat. Sed is ego sum cuius sæpius libertatem, quam deforme obsequium amici experti sunt. Et me vera dixisse ipsa fatebitur inuidia. Nos hic literas voramus, & si aliquid acclamationibus credendum est, queis etiam sæpe imperitos gratia excipit, populo imposuimus & Oratores visi sumus. Sed quod te carendum sit diuidiæ, ac senio est: idque desiderium non nisi crebris literis leniri potest. Vale Vrbis nostræ decus, verusque Viceco-mitum sanguis & me vt facis ama.

Patauij IIX Martij M DC XXXV.

PAVLO CAOTORTÆ PATAVII Prætori Designato.

PVblica Vrbis huius gestientis lætitia, versisque in gratulationem cunctorum animis, votis quoque nostris atque acclamationibus futurum aliquem apud te locum spem fecit Gulielmus Soierus amicus magnus, & seculo nostro maior. Cum enim crebris sermonibus ingentem humanitatem tuam vsurparet, tum excelsum, atque altius exaggeratum virtutibus animum, ac propensissimum in literarum cultores fauorem exequeretur, non dubitaui, non tam tibi nouum hoc decus gratulari, quam huic Vrbi cui tot bona superi

ri indulsissent, nobisque qui tuis auspicijs literarium Regnũ fortunatum, Musasque reduces auguramur. Itaque non tam tua causa quam nostra gestire lubet, quodque vnum licet, labores nostros, ac qualescunq; vigilias nominis tui immortalitati addicere. Virtutes tuas plenis honorum muneribus per memores fastos Patauina ingenia in æuum sacrabunt. Vale. Patauij XII. Octobris MDCXXXV.

IOANNI NANNIO D. MARCI
Procuratori.

QVoniam principibus viris immortalitatem precari maligna fatorum lege vetamur, breuis saltem æui productiora spatia optare possumus. Tu qui non tibi, sed publico bono, sed patriæ saluti atque ornamento viuis, vt diu rebus humanis intersis vota facimus, & votis damnari cupimus. Nec de nostris tibi annis si fieri possit, annos largiri abnuimus. Dî te seruent Senator Amplissime. Dij te nobis dederunt, Dij conseruent. Viue diu foro, in quo eloquentia dominaris: viue Curiæ, in qua consilio regnas: viue patriæ in qua literarum gloria triumphas. Dî te perpetuent Oratorum consultissime, sapientum eloquentissime. Expirantis anni funus & temporum mors, te monet vt viuas, nec tot curis ac negotijs animum defatiges. Te colunt quicunque literas colunt, in te vno spes suas sitas, in te fortunas arbitrantur. Itaque saluti tuæ consulas necesse est, non tam tua causa quàm nostra. Literarum amatores foue princeps ipse literatorum, domusq; tua doctissimorum concursu frequens, Etrusci Equitis Esquilias diu prouocet; Diu frui nobis his bonis liceat, diuque vota instaurare. Vale.

Patauij Calendis Ianuarij Ann. MDCXXXVI.

IACOBO FANNIANO
Patricio Mediolanensi.

DE Fortunæ acerbitate mihi querendum est, quæ tarde immo penè iam sero mihi ad tui cultum viam aperuit. Nam licet multo ante virtutem tuam animique dotes egregias admirarer, quæ nisi in antiquissimam nobilitatem incidissent, poterant vel obscuram familiam in splendorem asserere, ijs tamen propius frui non nisi concessum est, cum iam in procinctu essem, patriaque discessurus carendum ijs bonis erat, quæ eodem mihi tempore ostensa sunt, & subducta. Hanc molestiam non alia ratione discutere posse video, quam crebris literis, quæ absentes esse vetent credere, arctiorique familiaritatis pignore concilient. Quod amoris munus ego ante libens vsurpassem, si per morbi pertinaciam licuisset, & consecutos labores quibus publice docendi rudimenta à me sunt posita. Liber hinc, ac ferè vacuus & virtutis tuæ recordatione frui possum & non in totum de patria desperare, quæ te cum paucis ostentare potest, qui quod rarissimum est in magna fortuna viuido animo bonarum artium ornamenta circumdedisti, scientiasque ac disciplinas inter opes, atque otij blandimenta serio excoluisti. Qua tu ingenij præstantia, & Mathematicas optime calles, & sapientiæ præceptis composita mente, linguarum peritia, ac multiplici lectione nobiliorem hominis partem exerces, cum plerique omnes segnitia ac luxu nobilitatem æstiment. Quod si Deus faxit vt quandoque patriæ restituar, prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exigam, nec in te obseruando cuiquam mortalium concedam. Interim Vale nostri memor.

Patau. adi XXVI. Nouemb. M DCXXXV.

PAVLO CAOTORTAE PATAVII Prætori.

QVod Nominis tui maiestatem nouo nec lepido libello circumponere ausus sum, is modo mirabitur, qui tuam in tanto culmine facilitatem ignoret, si qua modo gens, ignotæque telluris tractus est, quo eius fama non peruaserit. Illa facilitas, quæ te pastorem populorum verius quam Rectorem salua maiestate etiam infimis fruendum præbet, sicuti supplicum alloquijs nullo temporis locique, solo salutis discrimine communicat. Et reliquas quidem laudes tuas præclara ingenia expedient, quæ nunc quoque grande epos moliuntur: me iuvat ad humanitatis aram procumbere, quæ vbique, sed præcipue hac Patauina Prætura, omnium mentes in tui venerationem rapuit, linguas soluit in præconia. Hinc enim te principem sola facilitate, ac liberalitate sensimus: reliquæ virtutes magistratus fuêre, id Caotortæ domus ipsis Reip. natalibus æqualis, tuumque peculiare decus est. Quis te dies, noctesque vota populorum ac preces excipientem defatigatum vnquam vidit, quis tristem, nisi cum dies vacua benefaciendo abierat? Si tamen vlla vnquam hoc modo tibi perijt. Non triste supercilium, non vox asperior, non virga lictoris, quemquam, quocunque tempore submouit, qui nisi frontis maiestas, ac magistratus insignia te proderent, vbi Prætor esset quærere poterat. Adeo omnia æqua videbat nihil eminens præter virtutes. Ira quæ toto regimine lachrimæ abfuerunt, discessu tuo erumpent, non paratæ ad ostentationem non coactæ, cum tu nulli rei nisi sceleribus vim adhibueris. Sed verè amens, ego qui epistola panegyrim claudam. Liceat modo domestico tuo, lætorumque, ac tristium comiti, eandem frontis serenitatem sibi polliceri, quam obscuris, ignotisque capitibus commodas. Sperarem etiam fore, vt quodcunque hoc muneris est, esse aliquid putares, nisi

scirem

fcirem ex eo quod tuum eſt, atque domi tuæ editum haud in magno pretio abs te habitum iri, qui de rebus tuis modeſtiſſime ſentias. Vale Idibus Ianuarij M DC XXXVI.

CHRISTOPHORO PALLAVICINO Mediolanum.

PEnè te amicorum ſuauiſſime prætericram, non obliuione officij mei, tuorumque in me meritorum, ſed reſiduo ægritudinis languore, atque inſecutis occupationibus quibus diſtrictus peccare in amicitiæ leges compulſus ſum. Nunc tandem reſpirare aliquantisper poſſum, nunc amicos alloqui, nunc in ſolitudinis ſolatium retroacta tempora citare ad gaudium, & veluti præſentium imagine perfrui libet. Qualis nox illa fuit Dij Deæque, cum poſt diem vino edentulo, milleque fabulis ſuburbano prætorio conditum, vrbe excluſi, ſine lare, ſine tecto, ſine pænula iratum Iouem exciperemus, mox agreſti caſa recepti, ne frondibus quidem, aut culmo ad fortuitum thorum paratis, quo noctem falleremus ad licnuchos eam fabulam dedimus, quæ lugentibus excutere riſum potuiſſet. Cum Parthenopæus recoctus omnes facetias aduocaret, quibus Stoicorum adrogantiam, auidumque & inexplebile ingenium, imitatione petulantiſſima derideret; Cum vnuſquiſque noſtrum ilia riſu concuteret, eidemque Deo vt olim in Theſſalia Lucius, ad lachrimas litaret: in angulo interim cum collatiuo ventre Bouinus noſter afflicto brachio, periculoſos ludos eſſe diceret, cum quis mole corporis prægrauis in ſublime tolleretur, atque identidem Plautinum illud repeteret. Qui quærit alta, is malum videtur quærere. At poſtquam nuda humus, aut duri aſſeres cubile præbuere, interuiſere pater patratus ſtertentium habitum ſitumque, & nocturno pudori officioſa manu occurrere. Quæ ego dum repeto, nec temperare à riſu queo, & in genti lætitia perfundor. Nunc alia rerum facies: obducendus vultus eſt, &

& longis officijs, verborumque ambagibus certandum; alia species induenda, quàm quæ hilarem, quam quæ iuvenem deceat. Sed nihil æque cruciat me, quam quod solus cænito, & qui ab adolescentia assuetus sum in Ephebæo, inter innumeram iuventutem discumbere, cum longo ordine apposita in patinis prata, Pythagoræis cænis manderemus: tristis iam, nec conuiua, inuentum ad societatem hominum letitiæ instrumentum, velut parentalibus epulis, aut nouendiali cænâ solitudine corrumpo. Dices facili negotio huic incommodo iri obuiam posse, nam esse multos qui quærunt in triuijs vocationes: sed neque ego tam basilicus sum, vt alere vmbras possim, & conuiuam quæro, non hominem. Vos verò boni sodales quoties, & quam genialiter de symbolis editis? Viuite dum viuitis, sæpeque efficite vt absenti mihi à vobis non semel aures tinniant.

Pataui à die XVIII. Februarij M DC XXXVI.

N. N. Mediolanum.

QVantum mihi lætitiæ cultissimæ literæ tuæ attulerunt tantundem doloris ex tristissimo valetudinis tuæ nuncio percepi. Quæ tibi fatorum inuidia hoc ætatis flore, his iuventæ honoribus, extremæ senectutis lassitudinem imposuit. Tu hac pœne dixerim gladiatoria corporis firmitate, cum fœcialibus eius horæ luctaris, quæ vt longissime absit momentum est, ac punctus? Hoc bonis omnibus acerbum esse debet, mihi longe acerbissimum, qui non ignorem corporis morbos transire in animum, illamque diuinitatis particulam corporeis pestibus obnoxiam, non semper lætè hoc, siue domicilium siue sepulchrum incolere. Spei tamen plenus iam soteria, iam Aesculapio gallum voueo: & si quod remediũ Deus hominesque monstrarint, scito me adiuturum diuinam prouidentiam vel periculo meo. Morbi conditionem, & necessitatem N. indicaui: nec solus hic erit, se det N. accedet, vt si

Poda-

Podalirium nolis, Machaonem habeas. Pęne ausim dicere in hac turba hominum animas nostras negotiantium, nullos digniores esse, quibus spiritum nostrum veluti rem superuacaneam credamus. Si quæ fato manent vitari possunt, non nisi ab his crediderim exorari parcas posse, vel ab inuitis tantillum moræ homini tandem morituro exprimi. Sed de his plura cum tesseram hospitalem iungemus. Interim tibi propitium Aesculapium precor, cum te parens eius cum Musis respexerit. Valetudinem cura.

Patauij à die X. Martij M DC XXXVI.

VERCELLINO MARIAE VICECOMITI
Mediolanum.

HAbes hoc fasciculo consilium N. item N. epistolam, quam tanti, ac ceterorum consultationes facere debes. Cum rogarem quo nos pretio exsolueremus responsum est, non tam Iouem, quàm Aesculapium peculio exorari, nec aliud munus auro pretiosius esse apud homines, qui eius gratia non naturæ modo morbos, sed etiam iniurias tractant. Ceterum commendat se tibi plurimum Isis illa quam apud Apim vidimus. Dij Deæque minimo minus interij. Nullam ego Iunonem timeo, nec eam iratam vsquàm sensi, Mercurium magis & sapientem Deam. Sed dummodo mihi propitia sit hæc Venus, ceteros minutos Deos flocifacio. Sed præter iocum aduentu tuo mihi omnium sereni maxime fulserunt Soles, discessu.

Quasi solstitialis herba paulisper fui,
De repente exortus sum repentino occidi.

Vale patriæ decus.

Patauij XX. Maij M DC XXXVI.

MILANO ABBATI BENCIO
Venetias.

TEstor Amoris Numen ſemper iratũ mihi, non ita Laertiadem reditum in patriam optaſſe, vt ego iſtuc contendere cupio, Venerisque regnum, & trãslata Cypri ſacraria venerari. Ille quidem affixam nidulo Ithacam in Dearum gremio ſuſpirabat, ego de vacuæ Vrbis angulo illa maris otia, & naturæ laſciuientis pompam, formarumque emporiũ anxijs votis expeto, & pro vna Aphrodite, mille Deas ſalo editas propitias auguror. Sed non me Calypſo, non Circe in ſpecubus roſcidis detinet, nullaque lothos dementauit, ſed puella illa Virgo patrima, ſatis vt ſcis ferocula, caſſideque minax, & framea, ne latum quidem vnguem ab ſe amittit, nugiſque librorum, & chartarum ſomnijs languentem porro detinet, ſiccum, frugi, oſorem mulierum. Genium tuum iratum habeam, niſi tu ſolus refigere me ex lentis hiſce vinculis potes, ſi non clauo trabali premeret nomen illud fortaſſe vanum, ac nihili, Honos, & Gloria, ſed cui nos ſtulti animum corpuſque addiximus vt poſt lethum viuamus omnibus vitæ blandimentis abruptis. Itaque carendum te eſt Saturnalibus optimis dierum, quo etiam lugentes rident. Strenue tu rem communẽ exerce, genio indulge, ſed quàm primùm ad nos redi, hoc vno enim triſtiſſimam hanc ſolitudinem abſtrudam. Vale.

Patauij Nonis Februarij M DC XXXVII.

CAROLO BOSSIO EQVITI
Mediolanum.

AMpliſſime Vir. Scio debere me patrocinium contumaci tot menſium ſilentio: quantum deſidia peccatum ſit non ignoro, qui nihil hactenus ad te literarum dederim.

Sed

Sed tacita vota Dij quoque audiunt; & te ſummis negotijs grauibuſque Principum amicitijs implexum interpellare religio fuit. Ipſe quoque ſi quid ad rem attinet nuſquam vacuus, ac feriatus, & in altiſſimo otio ſemper negotioſus. Nõ tamen vmbraticas has curas cum exercitationibus tuis contenderim; qui ſcribere fortia & facere didiciſti, & modo in altitudinem ſapientiæ conditus inter libros curas hominum rides, modo viuidum animum, ac negotijs parem oſtendis, vbique venerandus. Neque me hoc tibi gratificari intelligis, qui te non fortunam tuam colo, nihilque magis indecorum puto deformi obſequio illi aſſentari, qui ne Regibus quidem vnquam ac ſummæ poteſtati blanditus eſt. De N. iam fidem exſoluiſſem niſi Groſippus id non paruo volumine perfeciſſet, & per fidem tuam vereor vt N. ſe expedire poſſit. Acer de more eſt, ac vehemens pluſquam credi poſſit, omnia excutit, literas quoque ac ſillabas rimatur, idq; opus non inutile etiam doctis futurum reor. Vale vir Illuſtriſſime, & me vt facis perpetuo foue.

Patauij Tertio Nonas Maij M DC XXXVII.

N. N. Patauium.

Saturnalium diſcincta libertas, & inſecuta Eſurialium feriarum triſtitia, ita & ſoluere mentem, & adſtrinxerunt, vt obtorpuerit cum animo calamus, & inertiæ ſatis liberaliter indulſerit. Vt me collegi nihil antiquius habui, quam tibi morem genere, fidemque meam liberare. Miror magis cum non deeſſent tibi literarum proceres ad tenuitatem meam reſpexiſſe. Hæc qualiacunque, æqui conſulito, & cum Minerua tua te primo ad ſubulcum veniſſe putato. Et æquum ſane erat, vt antequam Penelopen inuiſeres mendici habitu nominis ac familiæ maieſtatem arctares. Tu ſtrenue ſagittis vtere, & ſiue procos, ſiue porcos vlciſcere, & me pro Melanthio habeto. Vale. ex ædibus noſtris. XX. Maij M DC XXXVII.

DOMINICO MOLINO Venetias.

QVod Orationem meam in publici Honoris manum ſine meritorum dote ſola pronuba humanitate tua conuenire volueris, ſanè nunc nouæ nuptæ flammeo opus eſſe intelligo, quo pudorem permulceat. Vereor ne mala aui, cumque tangendus ignis & aqua fuerit, ne igne aut aqua digna videatur, & quod in Græco epigrammate eſt, ne Phaetontis aut Deucalionis fatum inueniat. Illud ſolatio erit nequaquam tranſcendiſſe limen ſua ſponte, ſed egremio matris raptam, non tetigiſſe plantâ veſtibulum. Cum pueri prælucentis recordor tenebrarum omen exhorreſco, & ne in ſepulchrales faces tædæ vertantur, tumuluſque ſuccedat thalamo valde metuo.

O Hymen Hymenae hymen, O hymen Hymenae.

Sed huius vice Feſcennina licentia, ac prætextata verba obſtrepent, procaxque dicacitas pudibundæ illudet. Quo amuleto non amoris, ſed odij veneficia deprecabimur? Quid expectandum? niſi id in quo vota abſoluat, Zonaque ſoluatur, ſed timendum nedum pudor imminuitur, pereat. Faxint Dij coniugales ne innuptæ hæ nuptiæ fient: nec ſponſus aliquando dicat Tibi habe res tuas: collige ſarcinulas. Quicquid erit, eodem te Auſpice, ac ſignatore dicendum eſt, Feliciter, quod tibi bono cum omine nuptiali apprecamur. Vale.

Patauij Idibus Iunij M DC XXXV.

IOANNI BASADONNÆ Venetias.

TE publicæ rei, ac prudentiæ ſummum, non ante literis adire auſus ſum, quam munuſculo propitiarem, meque humanitati tuæ anathema ſiſterem. Scio abſte per be-

nigne

nignè Apollinem meum exceptum iri, qui pridem inter Orbis curas ipsi ac Musis loca lautia præbuisti. In laudes tuas non excurram, ne ab assentatione obsequium auspicari videar, à qua tantum fortunæ tuæ magnitudo, quantum genij mei simplicitas abest. Dominico Molino rebus humanis exempto, non alium habeo cui me ac res meas votaque commendem quam te ipsum, quem magni Catonis æmulum Respub. colit illâ felicior, & sanctior, cui morienti super viuere Cato noluit. Vale Patauij Kal. Iulij M. DC. XXXVII.

ANGELO EQVITI CONTARENO.

INgens tua humanitas, qui sæpe studiorũ meorum tenuitatem curasque vmbratiles præsens fouisti, spem facit fore vt non grauate excipias Musarum Regem, qui naufragij sui reliquias per Orbem trahit omnis infortunij, ac calamitatis simulacrum. Tu faue, namque potes periclitanti, literasque ac literarum cultores ab inopia defende. Tunc te seruatorem suum ijs præconijs ad Cœlum ferent, quibus vnis victuræ æternum animæ ab obliuione, & situ eximuntur. Vale.
Patauij à die X. Iulij M DC XXXVII.

BAPTISTÆ NANNIO
Senatori Venetias.

INter publicas gratulationes, quibus te literis omnibus, ac disciplinis instructissimum florentissimæ Academiæ regimini admotum vniuersi lætantur, votis quoque meis locum futurum speraui quibus tantum bonum mihi ac seculo gratularer. Produxi interim veluti in scena subliterarum parente infelicissimo tristissimum literarum ac literatorum fatum. Id ausus sum oculis tuis repræsentare, vt quoties ab ingentibus curis vacaret animus, à serio hoc ludo siue hilaritatem traheret, siue afflictis rebus spem commodaret. Apol-

lo Heautontimorumenos est, & à te vel opem expectat, vel miserationem. Vale Reip. ac literarum decus summum.

Patauij à die x. Iulij MDCXXXVII.

HIERONYMO TREVISANO
Senatori Venetias.

CVm primum intellexi te Gymnasii nostri moderatorem dictum esse, summa voluptate affectus sum, tantum decus literis affulsisse. Ea enim humanitatis tuæ, & exaggerati virtutibus animi fama est, vt scientiæ omnes, ac disciplinæ summam de te spem concipiant. Audet etiam aliquid post tantas clades Apollo sperare, & vltro ad te confugit, vt beneficio tuo, si non opes, ac gloriam, saltem securitatem consequatur. Id omnes augurantur, quicumque te, quicunque sapientiam tuam nouerunt. Vale.

Patauij a die x. Iulij MDCXXXVII.

FRANCISCO MAVROCENO D. MARCI
Procuratori Venetias.

APollo meus Dijs iratis conceptus, & genitus, augustos penates tuos subire dubitaret, adeo sibi formęque ac fortunę diffidit, nisi sciret apud te pridem delubrum Musis esse constitutum. Illud etiam non ignorat in principe viro obuiam ignotis quoque, nihil maiestati detrahentem comitatem, miseros ad se allicere, & nullum ferme ab aspectu tuo tristem discessisse. Qua igitur humanitate literas ac literatos foues, iterũ Cœlo Regnoq; deiectũ Apollinem omnique acerbitate vexatum excipe, totque fessum calamitatibus tuêre. Admeto & Laomedonti Regibus sęuitiam imputaturus est, si per te ipsum pristinum decus ac splendorem consequetur.

I. A-

IACOBO MARCELLO
Senatori Venetias.

ET si Dominici Molini mors literario Orbi contigit acerbissima, tibi tamen super omnes luctuosissimam accidisse non ignorat, quicunque meminit quàm arctum familiaritatis fędus te illi iunxerit. Vetus necessitudo studiorum morumque similitudine in sanguinis pignus vsque adeo coiuerat, vt naturæ iura transcenderet. Non est igitur quod mireris, si te ego ludis funebribus, quos in domini indulgentissimi memoriam nouus Aedilis dedi, te Prætorem optaui. Tu solus qui præsideres dignus visus es, siue amorem in defunctum, siue eundem ferme genium, vt magnam Molini partem in te superstitem gaudeamus, siue familiæ splendorem, siue propensissimum in literas doctosque animum respiciamus. Et ideo nullus ferme est, qui promptius mederi Apollinis calamitati possit, & infelicem Musarum præsidem ad antiquum decus reuocare. Faxit Deus vt hac tua humanitate studiosi omnes, & ipse præcipue extincti desiderium mitius feramus. Vale. Patauij Kal. Augusti M DC XXXVII.

IOANNI NANNIO D. MARCI
Procuratori Venetias.

NIhil mihi sed humanitati tuæ debes, quòd Apollo Orbi facturus inuidiam te ipsum delegit cui causam suam approbaret. Iactatur ille ab omnibus, & veluti sacer, ac piacularis omnium diras & execrationes innoxio capite excipit, ijs præcipue inuisus, quibus formosior massa auri videtur, quam quicquid Homerus aut Plato Grçculi delirantes somniarunt. Tibi contra cum plurimum debeat, tamen soluendo non est, & si auctionem faciat, quis Apollinem cum Musis ipsis vix curto asse licitabitur? Non igitur dubitat quin ad veterem

ri indulsissent, nobisque qui tuis auspicijs literarium Regnū fortunatum, Musasque reduces auguramur. Itaque non tam tua causa quam nostra gestire lubet, quodque vnum licet, labores nostros, ac qualescunq; vigilias nominis tui immortalitati addicere. Virtutes tuas plenis honorum muneribus per memores fastos Patauina ingenia in æuum sacrabunt. Vale. Patauij XII. Octobris M DC XXXV.

IOANNI NANNIO D. MARCI Procuratori.

QVoniam principibus viris immortalitatem precari maligna fatorum lege vetamur, breuis saltem æui productiora spatia optare possumus. Tu qui non tibi, sed publico bono, sed patriæ saluti atque ornamento viuis, vt diu rebus humanis intersis vota facimus, & votis damnari cupimus. Nec de nostris tibi annis si fieri possit, annos largiri abnuimus. Dî te seruent Senator Amplissime. Dij te nobis dederunt, Dij conseruent. Viue diu foro, in quo eloquentia dominaris: viue Curiæ, in qua consilio regnas: viue patriæ in qua literarum gloria triumphas. Dî te perpetuent Oratorum consultissime, sapientum eloquentissime. Expirantis anni funus & temporum mors, te monet vt viuas, nec tot curis ac negotijs animum defatiges. Te colunt quicunque literas colunt, in te vno spes suas sitas, in te fortunas arbitrantur. Itaque saluti tuæ consulas necesse est, non tam tua causa quàm nostra. Literarum amatores foue princeps ipse literatorum, domusq; tua doctissimorum concursu frequens, Etrusci Equitis Esquilias diu prouocet; Diu frui nobis his bonis liceat, diuque vota instaurare. Vale.

Patauij Calendis Ianuarij Ann. M DC XXXVI.

IACOBO FANNIANO
Patricio Mediolanensi.

DE Fortunæ acerbitate mihi querendum est, quæ tarde immo penè iam sero mihi ad tui cultum viam aperuit. Nam licet multo ante virtutem tuam animique dotes egregias admirarer, quæ nisi in antiquissimam nobilitatem incidissent, poterant vel obscuram familiam in splendorem asserere, ijs tamen propius frui non nisi concessum est, cum iam in procinctu essem, patriaque discessurus carendum ijs bonis erat, quæ eodem mihi tempore ostensa sunt, & subducta. Hanc molestiam non alia ratione discutere posse video, quam crebris literis, quæ absentes esse vetent credere, arctiorique familiaritatis pignore concilient. Quod amoris munus ego ante libens vsurpassem, si per morbi pertinaciam licuisset, & consecutos labores quibus publice docendi rudimenta à me sunt posita. Liber hinc, ac ferè vacuus & virtutis tuæ recordatione frui possum & non in totum de patria desperare, quæ te cum paucis ostentare potest, qui quod rarissimum est in magna fortuna viuido animo bonarum artium ornamenta circumdedisti, scientiasque ac disciplinas inter opes, atque otij blandimenta serio excoluisti. Qua tu ingenij præstantia, & Mathematicas optime calles, & sapientiæ præceptis composita mente, linguarum peritia, ac multiplici lectione nobiliorem hominis partem exerces, cum plerique omnes segnitia ac luxu nobilitatem æstiment. Quod si Deus faxit vt quandoque patriæ restituar, prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exigam, nec in te obseruando cuiquam mortalium concedam. Interim Vale nostri memor.

Patau. adi XXVI. Nouemb. M DCXXXV.

PAV-

PAVLO CAOTORTAE PATAVII Prætori.

QVod Nominis tui maiestatem nouo nec lepido libello circumponere ausus sum, is modo mirabitur, qui tuam in tanto culmine facilitatem ignoret, si qua modo gens, ignotæque telluris tractus est, quo eius fama non peruaserit. Illa facilitas, quæ te pastorem populorum verius quam Rectorem salua maiestate etiam infimis fruendum præbet, sicuti supplicum alloquijs nullo temporis locique, solo salutis discrimine communicat. Et reliquas quidem laudes tuas præclara ingenia expedient, quæ nunc quoque grande epos moliuntur: me iuvat ad humanitatis aram procumbere, quæ vbique, sed præcipue hac Patauina Prætura, omnium mentes in tui venerationem rapuit, linguas soluit in præconia. Hinc enim te principem sola facilitate, ac liberalitate sensimus: reliquæ virtutes magistratus fuêre, id Caotortæ domus ipsis Reip. natalibus æqualis, tuumque peculiare decus est. Quis te dies, noctesque vota populorum ac preces excipientem defatigatum vnquam vidit, quis tristem, nisi cum dies vacua benefaciendo abierat? Si tamen vlla vnquam hoc modo tibi perijt. Non triste supercilium, non vox asperior, non virga lictoris, quemquam, quocunque tempore submouit, qui nisi frontis maiestas, ac magistratus insignia te proderent, vbi Prætor esset quærere poterat. Adeo omnia æqua videbat nihil eminens præter virtutes. Ira quæ toto regimine lachrimæ abfuerunt, discessu tuo erumpent, non paratæ ad ostentationem non coactæ, cum tu nulli rei nisi sceleribus vim adhibueris. Sed verè amens, ego qui epistola panegyrim claudam. Liceat modo domestico tuo, lætorumque, ac tristium comiti, eandem frontis serenitatem sibi polliceri, quam obscuris, ignotisque capitibus commodas. Sperarem etiam fore, vt quodcunque hoc muneris est, esse aliquid putares, nisi

scirem

scirem ex eo quod tuum est, atque domi tuæ editum haud in magno pretio abs te habitum iri, qui de rebus tuis modestissime sentias. Vale Idibus Ianuarij M DC XXXVI.

CHRISTOPHORO PALLAVICINO Mediolanum.

PEnè te amicorum suauissime præterieram, non obliuione officij mei, tuorumque in me meritorum, sed residuo ægritudinis languore, atque insecutis occupationibus quibus districtus peccare in amicitiæ leges compulsus sum. Nunc tandem respirare aliquantisper possum, nunc amicos alloqui, nunc in solitudinis solatium retroacta tempora citare ad gaudium, & veluti præsentium imagine perfrui libet. Qualis nox illa fuit Dij Deæque, cum post diem vino edentulo, milleque fabulis suburbano prætorio conditum, vrbe exclusi, sine lare, sine tecto, sine pænula iratum Iouem exciperemus, mox agresti casa recepti, ne frondibus quidem, aut culmo ad fortuitum thorum paratis, quo noctem falleremus ad licnuchos eam fabulam dedimus, quæ lugentibus excutere risum potuisset. Cum Parthenopæus recoctus omnes facetias aduocaret, quibus Stoicorum adrogantiam, auidumque & inexplebile ingenium, imitatione petulantissima derideret; Cum vnusquisque nostrum ilia risu concuteret, eidemque Deo vt olim in Thessalia Lucius, ad lachrimas litaret: in angulo interim cum collatiuo ventre Bouinus noster afflicto brachio, periculosos ludos esse diceret, cum quis mole corporis prægrauis in sublime tolleretur, atque identidem Plautinum illud repeteret. Qui quærit alta, is malum videtur quærere. At postquam nuda humus, aut duri asseres cubile præbuere, interuisere pater patratus stertentium habitum situmque, & nocturno pudori officiosa manu occurrere. Quæ ego dum repeto, nec temperare à risu queo, & ingenti lætitia perfundor. Nunc alia rerum facies: obducendus vultus est, &

& longis officijs, verborumque ambagibus certandum, alia species induenda, quàm quæ hilarem, quam quæ iuvenem deceat. Sed nihil æque cruciat me, quam quod solus cænito, & qui ab adolescentia assuetus sum in Ephebæo, inter innumeram iuventutem discumbere, cum longo ordine apposita in patinis prata, Pythagoræis cænis manderemus: tristis iam, nec conuiua, inuentum ad societatem hominum letitiæ instrumentum, velut parentalibus epulis, aut nouendiali cæna solitudine corrumpo. Dices facili negotio huic incommodo iri obuiam posse, nam esse multos qui quærunt in triuijs vocationes: sed neque ego tam basilicus sum, vt alere vmbras possim, & conuiuam quæro, non hominem. Vos verò boni sodales quoties, & quam genialiter de symbolis editis? Viuite dum viuitis, sæpeque efficite vt absenti mihi à vobis non semel aures tinniant.

Patauij à die XVIII. Februarij M DC XXXVI.

N. N. Mediolanum.

QVantum mihi lætitiæ cultissimæ literæ tuæ attulerunt tantundem doloris ex tristissimo valetudinis tuæ nuncio percepi. Quæ tibi fatorum inuidia hoc ætatis flore, his iuventæ honoribus, extremæ senectutis lassitudinem imposuit. Tu hac pœne dixerim gladiatoria corporis firmitate, cum fœcialibus eius horæ luctaris, quæ vt longissime absit momentum est, ac punctus? Hoc bonis omnibus acerbum esse debet, mihi longe acerbissimum, qui non ignorem corporis morbos transire in animum, illamque diuinitatis particulam corporeis pestibus obnoxiam, non semper lætè hoc, siue domicilium siue sepulchrum incolere. Spei tamen plenus iam soteria, iam Aesculapio gallum voueo: & si quod remediū Deus hominesque monstrarint, scito me adiuturum diuinam prouidentiam vel periculo meo. Morbi conditionem, & necessitatem N. indicaui: nec solus hic erit, se det N. accedet, vt si Poda-

Podalirium nolis, Machaonem habeas. Pęne ausim dicere in hac turba hominum animas nostras negotiantium, nullos digniores esse, quibus spiritum nostrum veluti rem superuacaneam credamus. Si quæ fato manent vitari possunt, non nisi ab his crediderim exorari parcas posse, vel ab inuitis tantillum moræ homini tandem morituro exprimi. Sed de his plura cum tesseram hospitalem iungemus. Interim tibi propitium Aesculapium precor, cum te parens eius cum Musis respexerit. Valetudinem cura.

Patauij à die X. Martij M DC XXXVI.

VERCELLINO MARIAE VICECOMITI Mediolanum.

HAbes hoc fasciculo consilium N. item N. epistolam, quam tanti, ac ceterorum consultationes facere debes. Cum rogarem quo nos pretio exsolueremus responsum est, non tam Iouem, quàm Aesculapium peculio exorari, nec aliud munus auro pretiosius esse apud homines, qui eius gratia non naturæ modo morbos, sed etiam iniurias tractant. Ceterum commendat se tibi plurimum Isis illa quam apud Apim vidimus. Dij Deæque minimo minus interij. Nullam ego Iunonem timeo, nec eam iratam vsquàm sensi, Mercurium magis & sapientem Deam. Sed dummodo mihi propitia sit hæc Venus, ceteros minutos Deos flocifacio. Sed præter iocum aduentu tuo mihi omnium sereni maxime fulserunt Soles, discessu.

Quasi solstitialis herba paulisper fui,
De repente exortus sum repentino occidi.

Vale patriæ decus.

Patauij XX. Maij M DC XXXVI.

MILANO ABBATI BENCIO
Venetias.

TEstor Amoris Numen ſemper iratū mihi, non ita Laertiadem reditum in patriam optaſſe, vt ego iſtuc contendere cupio, Venerisque regnum, & trāslata Cypri ſacraria venerari. Ille quidem affixam nidulo Ithacam in Dearum gremio ſuſpirabat, ego de vacuæ Vrbis angulo illa maris otia, & naturæ laſciuientis pompam, formarumque emporiū anxijs votis expeto, & pro vna Aphrodite, mille Deas ſalo editas propitias auguror. Sed non me Calypſo, non Circe in ſpecubus roſcidis detinet, nullaque lothos dementauit, ſed puella illa Virgo patrima, ſatis vt ſcis ferocula, caſſideque minax, & framea, ne latum quidem vnguem ab ſe amittit, nugiſque librorum, & chartarum ſomnijs languentem porro detinet, ſiccum, frugi, oſorem mulierum. Genium tuum iratum habeam, niſi tu ſolus refigere me ex lentis hiſce vinculis potes, ſi non clauo trabali premeret nomen illud fortaſſe vanum, ac nihili, Honos, & Gloria, ſed cui nos ſtulti animum corpuſque addiximus vt poſt lethum viuamus omnibus vitæ blandimentis abruptis. Itaque carendum te eſt Saturnalibus optimis dierum, quo etiam lugentes rident. Strenue tu rem communē exerce, genio indulge, ſed quàm primùm ad nos redi, hoc vno enim triſtiſſimam hanc ſolitudinem abſtrudam. Vale.

Patauij Nonis Februarij M DC XXXVII.

CAROLO BOSSIO EQVITI
Mediolanum.

AMpliſſime Vir. Scio debere me patrocinium contumaci tot menſium ſilentio: quantum deſidia peccatum ſit non ignoro, qui nihil hactenus ad te literarum dederim.

Sed

Sed tacita vota Dij quoque audiunt; & te ſummis negotijs grauibuſque Principum amicitijs implexum interpellare religio fuit. Ipſe quoque ſi quid ad rem attinet nuſquam vacuus, ac feriatus, & in altiſſimo otio ſemper negotioſus. Nõ tamen vmbraticas has curas cum exercitationibus tuis contenderim, qui ſcribere fortia & facere didiciſti, & modo in altitudinem ſapientiæ conditus inter libros curas hominum rides, modo viuidum animum, ac negotijs parem oſtendis, vbique venerandus. Neque me hoc tibi gratificari intelligis, qui te non fortunam tuam colo, nihilque magis indecorum puto deformi obſequio illi aſſentari, qui ne Regibus quidem vnquam ac ſummæ poteſtati blanditus eſt. De N. iam fidem exſoluiſſem niſi Groſippus id non paruo volumine perfeciſſet, & per fidem tuam vereor vt N. ſe expedire poſſit. Acer de more eſt, ac vehemens pluſquam credi poſſit, omnia excutit, literas quoque ac ſillabas rimatur, idq; opus non inutile etiam doctis futurum reor. Vale vir Illuſtriſſime, & me vt facis perpetuo foue.

Patauij Tertio Nonas Maij M DC XXXVII.

N. N. Patauium.

SAturnalium diſcincta libertas, & inſecuta Eſurialium feriarum triſtitia, ita & ſoluere mentem, & adſtrinxerunt, vt obtorpuerit cum animo calamus, & inertiæ ſatis liberaliter indulſerit. Vt me collegi nihil antiquius habui, quam tibi morem genere, fidemque meam liberare. Miror magis cum non deeſſent tibi literarum proceres ad tenuitatem meam reſpexiſſe. Hæc qualiacunque, æqui conſulito, & cum Minerua tua te primo ad ſubulcum veniſſe putato. Et æquum ſane erat, vt antequam Penelopen inuiſeres mendici habitu nominis ac familiæ maieſtatem arctares. Tu ſtrenue ſagittis vtere, & ſiue procos, ſiue porcos vlciſcere, & me pro Melanthio habeto. Vale. ex ædibus noſtris. XX. Maij M DC XXXVII.

DOMINICO MOLINO
Venetias.

QVod Orationem meam in publici Honoris manum sine meritorum dote sola pronuba humanitate tua conuenire volueris, sanè nunc nouæ nuptæ flammeo opus esse intelligo, quo pudorem permulceat. Vereor ne mala aui, cumque tangendus ignis & aqua fuerit, ne igne aut aqua digna videatur, & quod in Græco epigrammate est, ne Phaetontis aut Deucalionis fatum inueniat. Illud solatio erit nequaquam transcendisse limen sua sponte, sed egremio matris raptam, non tetigisse plantâ vestibulum. Cum pueri prælucentis recordor tenebrarum omen exhorresco, & ne in sepulchrales faces tædæ vertantur, tumulusque succedat thalamo valde metuo.

O Hymen Hymenae hymen, O hymen Hymenae.

Sed huius vice Fescennina licentia, ac prætextata verba obstrepent, procaxque dicacitas pudibundæ illudet. Quo amuleto non amoris, sed odij veneficia deprecabimur? Quid expectandum? nisi id in quo vota absoluat, Zonaque soluatur, sed timendum nedum pudor imminuitur, pereat. Faxint Dij coniugales ne innuptæ hæ nuptiæ fient: nec sponsus aliquando dicat Tibi habe res tuas: collige sarcinulas. Quicquid erit, eodem te Auspice, ac signatore dicendum est, Feliciter, quod tibi bono cum omine nuptiali apprecamur. Vale.

Patauij Idibus Iunij M DC XXXV.

IOANNI BASADONNÆ
Venetias.

TE publicæ rei, ac prudentiæ summum, non ante literis adire ausus sum, quam munusculo propitiarem, meque humanitati tuæ anathema sisterem. Scio abste per be-

nigne

nignè Apollinem meum exceptum iri, qui pridem inter Orbis curas ipsi ac Musis loca lautia præbuisti. In laudes tuas non excurram, ne ab assentatione obsequium auspicari videar, à qua tantum fortunæ tuæ magnitudo, quantum genij mei simplicitas abest. Dominico Molino rebus humanis exempto, non alium habeo cui me ac res meas votaque commendem quam te ipsum, quem magni Catonis æmulum Respub. colit illâ felicior, & sanctior, cui morienti super viuere Cato noluit. Vale Pataui Kal. Iulij M. DC. XXXVII.

ANGELO EQVITI CONTARENO.

INgens tua humanitas, qui sæpe studiorũ meorum tenuitatem curasque vmbratiles præsens fouisti, spem facit fore vt non grauate excipias Musarum Regem, qui naufragij sui reliquias per Orbem trahit omnis infortunij, ac calamitatis simulacrum. Tu faue, namque potes periclitanti, literasque ac literarum cultores ab inopia defende. Tunc te seruatorem suum ijs præconijs ad Cœlum ferent, quibus vnis victuræ æternum animæ ab obliuione, & situ eximuntur. Vale.
Pataui à die X. Iulij M DC XXXVII.

BAPTISTÆ NANNIO
Senatori Venetias.

INter publicas gratulationes, quibus te literis omnibus, ac disciplinis instructissimum florentissimæ Academiæ regimini admotum vniuersi lætantur, votis quoque meis locum futurum speraui quibus tantum bonum mihi ac seculo gratularer. Produxi interim veluti in scena subliterarum parente infelicissimo tristissimum literarum ac literatorum fatum. Id ausus sum oculis tuis repræsentare, vt quoties ab ingentibus curis vacaret animus, à serio hoc ludo siue hilaritatem traheret, siue afflictis rebus spem commodaret. Apol-

lo Heautontimorumenos est, & à te vel opem expectat, vel miserationem. Vale Reip. ac literarum decus summum.

Patauij à die x. Iulij MDCXXXVII.

HIERONYMO TREVISANO
Senatori Venetias.

CVm primum intellexi te Gymnasii nostri moderatorem dictum esse, summa voluptate affectus sum, tantum decus literis affulsisse. Ea enim humanitatis tuæ, & exaggerati virtutibus animi fama est, vt scientiæ omnes, ac disciplinæ summam de te spem concipiant. Audet etiam aliquid post tantas clades Apollo sperare, & vltro ad te confugit, vt beneficio tuo, si non opes, ac gloriam, saltem securitatem consequatur. Id omnes augurantur, quicumque te, quicunque sapientiam tuam nouerunt. Vale.

Patauij a die x. Iulij MDCXXXVII.

FRANCISCO MAVROCENO D. MARCI
Procuratori Venetias.

APollo meus Dijs iratis conceptus, & genitus, augustos penates tuos subire dubitaret, adeo sibi formęque ac fortunę diffidit, nisi sciret apud te pridem delubrum Musis esse constitutum. Illud etiam non ignorat in principe viro obuiam ignotis quoque, nihil maiestati detrahentem comitatem, miseros ad se allicere, & nullum ferme ab aspectu tuo tristem discessisse. Qua igitur humanitate literas ac literatos foues, iterũ Cœlo Regnoq; deiectũ Apollinem omnique acerbitate vexatum excipe, totque fessum calamitatibus tuêre. Admeto & Laomedonti Regibus sęuitiam imputaturus est, si per te ipsum pristinum decus ac splendorem consequetur.

I. A-

IACOBO MARCELLO
Senatori Venetias.

ET si Dominici Molini mors literario Orbi contigit acerbissima, tibi tamen super omnes luctuosissimam accidisse non ignorat, quicunque meminit quàm arctum familiaritatis fędus te illi iunxerit. Vetus necessitudo studiorum morumque similitudine in sanguinis pignus vsque adeo coiuerat, vt naturæ iura transcenderet. Non est igitur quod mireris, si te ego ludis funebribus, quos in domini indulgentissimi memoriam nouus Aedilis dedi, te Prætorem optaui. Tu solus qui præsideres dignus visus es, siue amorem in defunctum, siue eundem ferme genium, vt magnam Molini partem in te superstitem gaudeamus, siue familiæ splendorem, siue propensissimum in literas doctosque animum respiciamus. Et ideo nullus ferme est, qui promptius mederi Apollinis calamitati possit, & infelicem Musarum præsidem ad antiquum decus reuocare. Faxit Deus vt hac tua humanitate studiosi omnes, & ipse præcipue extincti desiderium mitius feramus. Vale. Patauij Kal. Augusti M DC XXXVII.

IOANNI NANNIO D. MARCI
Procuratori Venetias.

NIhil mihi sed humanitati tuæ debes, quòd Apollo Orbi facturus inuidiam te ipsum delegit cui causam suam approbaret. Iactatur ille ab omnibus, & veluti sacer, ac piacularis omnium diras & execrationes innoxio capite excipit, ijs præcipue inuisus, quibus formosior massa auri videtur, quam quicquid Homerus aut Plato Gręculi delirantes somniarunt. Tibi contra cum plurimum debeat, tamen soluendo non est, & si auctionem faciat, quis Apollinem cum Musis ipsis vix curto asse licitabitur? Non igitur dubitat quin ad veterem

munificentiam noua merita adijcias, mox inter te ac fratrem ſapientiſſimum veluti inter Caſtoras colatur, tunc erit mihi magnus Apollo. Vale.

Patauij adi VI. Auguſti M DC XXXVIII.

FRANCISCO VITELLIO
Pontificio Legato Venetias.

APollini non tam in ordinem coacto, quam inſipientis ſeculi ac barbarorum ludibrijs expoſito, vt faueas ipſe & fauoris publici iter inſigni humanitate ſancias facile poteris exorari. Nunquam enim magni Muſarum præſidis calamitates & infortunia incurrent in oculos, quin ſtatim animo obuerſentur præclara tua in Appollinem ac Muſas merita, quæ tibi præter regnandi artes & dominationum arcana, parque terrarum regimini conſilium, capaci ad ſeria, & remiſſionem ingenio lac ſuum, hoc eſt lepores & diuinæ facundiæ medullam inſtillarunt. Nunc quoque errantes diuas, agitataqua Numina hoſpitio foue, Phœbi tui graues miſeratus labores. Vale. Patauij à die XV. Auguſti M DC XXXVIII.

FRANCISCO LAVREDANO
Patricio Veneto.

PRofugum Apollinem, & ærumnis omnibus deformatum conciliarem tibi, niſi regnare eum apud te intelligerem, ſemperque ſplendido cultu, ac verè Regio exceptum. Ea eſt Lauredanæ domus maieſtas, ea indoles tua, is ingenij, & ſcriptorum honos, qui nominis tui famam ijſdem fere ac Solis terminis circumſcripſit. Antiquum ergo hoſpitem excepta, atque ab eo vt inſtituiſti iniuriam omnem depelle, literaſque fouere perge, quæ hoc fatum ſuum ſolabuntur, quod non vbiq; mendicat Apollo, aut ſeruit. Vale & me ama. Patauij XVIII. Septembris M DC XXXVIII.

FRAN-

FRANCISCO ET DANIELI IUSTINIANIS
Fratribus Patricijs Venetis.

ITa est Viri Illustrissimi, vt sæpè vobis me dixisse memini. Ingenij cultus neminem vnquam diuitem fecit. Id nisi Oraculi instar esset, satis fidem vobis facere posset Apollo literarum parens, ac princeps, cuius ego infelicitatem libello produxi, simulque seculi ignauiam, ac procerum sordes tetigi. Vos ea facie Musarum Antistitem excipite, qua soletis nostris nugis fauere. Rectè secum actum ille existimabit, si veterem locum in familia vestra tuebitur. Ego interim ludos peragam, queîs si minus antiquum illud, Vos Plaudite, at saltem Parcite expostulabo. Valete.

Patauij xv. Octobris M DC XXXVIII.

NICOLAO CRASSO
Venetias.

APollinis infortunium nulli grauius quàm tibi futurum non ignoro, qui tanto in eiusdem amore es, vt viro Phœbi Musarum chorus assurgat. Quanquam haud scio, nisi & auitæ opes, & forum ipsum in quo eloquentia præcellis domus splendori satis prospicerent, num magnas diuitias ab Apolline, & Musis sperare posses: Eget infelix

... *Et eiectis mendicat silua Camœnis.*

Non intonsum Cinthium, non Phœbum Apollinem, non Deorum pulcherrimum cernere erit, sed exilio fractum, pannis annisque obsitum. Quanquam vix familiares sibi penates tuos subibit, cum repente squalorem exuet, & sordes, bonaque fide Apollo erit. Vale Venetorum doctissime.

Patauij à die XXII. Octobris M DC XXXVIII.

BARTHOLOMÆO BELLONO
Patricio Veneto.

CVm amænissimi ruris tui delicijs exceptus sum, non tam ædium magnificentiam, & laxitatem, immensa latifundia, clarorum artificum ingenia, & reliqua animi tui magnitudine digna miratus sum, quam tuam in tanta fortuna moderationem, & inter opum quibus immensum viges affluentiam, literarum amorem non vulgarem. Est igitur quod tibi gratuler cui abundantes opes, & fortunæ indulgentia, nunquam ita mentem corruperunt, vt quæ vera sint bona non despicias. Ego licet bimestri valetudine fractus, animoq; quassato cum Apollinem meum prodire in lucem passus sum, abste benigne exceptum iri credidi, cui ille tot animi bona indulserit. Si literarum Regem non agnosces, adeo ærumnis deformatus est, eorum sordes, ac liuorem tacitus incusa qui se hoc flagitio obstrinxerunt. Tu contra veteri hospitio dignare, & me vt facis ama. Vale.

Patauij Kalend. Nouembris MDCXXXVIII.

GASPARI LEONICO
Venetias.

EX quo summum mihi illud bonum obuenit, vt te virum sapientissimum inter adolescentium subsellia adesse mihi profitenti aspicerem, vt semper læta tristibus permiscentur is me morbus inuasit, qui iam tertium mensem me pœne ad extrema deductum exercet. Ita nec vt debui ad te inuisere, nec saltem scripto testari affectum potui. Prodijt interim in lucem Apollo meus sed qualis inter morbos atq; ærumnas concinnari potuit. Eum tu humaniter suscipito, & quod potes miserere. Neque tamen illi novum erit ad te diuertere, cum inter publicas curas nunquam Aonidum

chorum cum duce despexeris. Vale.
Patauij x. Nouembris M DC XXXVIII.

CASSIANO PVTEO EQVITI
Romam.

SI ad te literarum, ac sapientiæ præsidem Musarum præses diuertit nequaquam mirum esse debet. Quis enim hac tempestate benignius, ac magnificentius cum Apolline Musas hospitio excepit. Quis politiora studia tractauit propiùs ac interiùs? Quis Musarum cultores impensius fouet? Genium tuum iratum habeam, nisi in te vno spes suas docti collocarunt; Quæ si decoquat, & vt cum Plauto loquar decollet errabunt cum Apolline suo orbique, & temporibus inuidiam facient. Id Hercule vnum inter extrema mala numerabunt, tibi honores expectatione serius obuenire, quos cum ipsa iuventa supremos Orbis auguratus est. Vale & me perpetuo foue. Patauij Idibus Decemb. M DC XXXVIII.

LEONI ALLATIO
Romam.

ET si tu tam extra literatorum fatum es, quàm extra aleã, Apollinis tamen, eiusque popularium infortunium nulli grauius quam tibi futurum scio, quem ille adytis suis propius admouit. O magnum ruentis Græcię columen, ingens Latij decus, nec ambidexter modo, sed qui Italiæ genium patrijs artibus ita miscueris, vt redonare Quiritibus Athenas possis, Romanumque eloquium in media barbarie sistere. Nos tenues conamur grandia, literisque næniam dicimus, quæ propè efferuntur, & præficarum officio fungimur, quæ alios laudare seipsas non possunt. Quod si tua Phœbus ope Palatinas Sedes ac Bibliothecæ sacrarium reuiset, tunc denuo bona fide tuus regnabit Apollo. Vale. Pat. xx. Decemb. M DC XXXVIII.

PATAVINI GYMNASII
Moderatoribus.

SEnatores Præstantissimi. Quartus annus agitur ex quo in hanc fortunam adscitus sum, vt in Gymnasio vestro Musis ac posteritati vacarem. Per id ego tempus hoc vnum egi vt me vobis, atque Academiæ probarem. Itaque eos scriptores selegi in quibus explicandis, eloquentiam, interiorem literaturam, historiarum, ac totius antiquitatis cognitionem, arcana etiam dominationum, gentium mores, ac ritus multiplici varietate & fastidium tollente nouitate Auditoribus communicarem. Cum enim humaniorum literarum studium eo redactum viderem, nulla vt maior solitudo quàm circa earum professorem esset, atque eædem tamquam Grammaticæ artis quisquiliæ ac purgamenta scientiarum despicerentur, metui hercule ne solus parietibus ac scamnis declamarem, nisi auditores, & alijs disputationibus districtos, & sua sponte in desidiam vergentes rerum copia, ac varietate, & repetitis ex intima vetustate argumentis allicerem, ac veluti iacentes ac nauseantes excitarem. Quid in hac re profecerim, quique concursus facti sint malo vos ab alijs intelligere, quam si quid laudis in me est intemperanter iactare. Anno proxime elapso Collega meus, & cum Eccellentissimo Mauroceno, & publice conquestus est, ignotos scriptores, & inauditos ab me seligi. Super ea re ab eodem viro Amplissimo tunc Moderatore literas accepi, cui vt ego obsecũdarem, dixi interpretaturũ me Virgilium, id collega meus renuit, & magistellorum laborem dictitans transijt ad Aristotelem, librosque Politicorum tamquam Herculis cothurnum induit. Qui proxime consequitur anno vobis volentibus Tertulliani Apologeticum explicandum sumpsi, thesaurum antiquitate, atque eruditione refertissimum, repugnat ille mihique turbas ciet, nec leuem istic inuidiam conflat.

Ve-

Vestrum erit quid agendum sit præscribere; Nam quòd ad me attinet cuicunque scriptori paratus sum, illud modo testatus, non posse aliter frequens Auditorium contrahi, quam si ab humilibus, & aridis Grammaticorum disputationibus ad nouas, nec ita vulgatas Acroases res deducatur. Academiæ bono, & publicæ famæ non parum accessurum est, si scriptor is sumatur ad quem concursus fiant præcipuè peregrinæ iuuentutis, quæ in hac bonarum literarum inopia testari possit, esse etiam in Italia, qui dilapsam ac prope fugiẽtem eruditæ vetustatis cognitionem vestris auspicijs sistere possit. Interim me, ac meos labores vobis æternum addico. Valete. Patauij XXII. Octobris MDCXXXVIII.

FORTVNATO SCACCHO
Pontificij Sacrarij Præfecto.

TArde, immo penè iam serò hoc qualecumque cultus mei, & obseruantiæ tributum pendo. Autumnalibus ferijs solutus, domesticisque districtus negotijs ferè literas dimisi, siue dulcedine inertiæ, siue rerum tædio. Itaque non ante, aut vacauit, aut libuit te scripto compellare, & quod multis ante annis obsequium conceperam peculiari voto stringere. Apollini meo loca Lautia præbere potes, qui te literatorum vulgo secreuit, eamque felicitatem largitus est, qua caret ipse. Animum tuum succinctum omnibus bonis mortales mirantur, neque in totum vbi te respexère de literis desperant, maximè sanctioribus, quæ per te stant, & se strenuè vendicant. Pollicentur id & præstant diuina illa tua eleochrysmata vere diuina, & immortalia, longe ijs pretiosiora, quibus in Ambrosiæ contentionem Homerici Dii se perfundebant, quisque Deorum Regina madebat Ioui suo placitura. Vale, & me serò famæ tuæ templum adeuntem officioso cultu cum omnibus certaturum non despice. Iterum vale, & salue. Pat. XXI. Sept. MDCXXXIX.

ALOY-

ALOYSIO QVIRINO
Venetias.

HAbes Apollinem iratis Diis editum nihil fatis, tibi plurimum debentem. Habes antiquum hospitem à te semper Regium in morem excultum, vt olim ab Regibus seruili probro respersus est. Cum iis ergo illum ornamentis produxi, quæ ipsi mortalium liuor & procerum inclementia circumdederunt. Itaque liberius dolori indulsi, inuidiam sæculo feci, crudelia astra vocaui, postremo surdis cecini. Vnum hoc habet magnus literarum parens solatium, quod veterem sedem apud te tuetur. Huc nos vota huc mentem. Tu modo respice, nobisque Numen argenteo arcu præditum, & longe iaculans concilia & Vale.

Patauii die VI. Octob. MDCXXXIX.

Eidem. Venetias.

CVm primum à publicè docendi munere cessatum est, me tristis nuntius de optimę parentis valetudine perculit, properisque literis domum acciuit. Impiè facturus videbar, si moram vllam interposuissem quo minus me itineri commiterem. Ita non potui quod debebam istuc venire vt ab Amplissimis Moderatoribus facultatem, ac commeatum impetrarem. Quòd potui te hisce supplex rogo, vt apud eos hoc officio fungi digneris. Et siue illa quod voueo valebit, siue quod Deus auertat naturæ satisfaciet, compositis rebus, vtcumque tales componi poterunt, dabo operam vt quam primum reuertar, meque muneri meo post festa Paschalia sistam. Vale Vir Amplissime, & me tui obseruantissimum perpetuo foue.

Patauii à di IX. Aprilis M.DC.XLII.

Ei-

Eidem. Venetias.

COmmentarium de re Vestiaria non antè publici iuris facere ausus sum, quàm illum Censuræ tuæ subijcerem, non illi quidem solemni, qua publico decreto singula ingeniorum monumenta inspectas, ne quid impium, aut inhonestum loquantur, sed interiori, atque attentiori, qua amicorum opera seuera æstimatione lustrare debes, & potes. Vt possis efficit illa tua in omni literarum genere versata eruditio, vt velis postulat meus inueteratus in te cultus, & obseruantia, tuaque singularis humanitas. Quod si huic opellæ calculum tuum adieceris, tunc ferre lucem audebit, & plebeia iudicia facile contemnet. Vale, & præstantissimum Virum Nicol. Crassum saluere plurimum iube.

Patauij à die x. Augusti M DC XLII.

NICOLAO CRASSO V. C. Venetias.

NEmo te senem credit, nisi qui ingenij tui monumenta numerat, & qui non tam numerat, quàm æstimat, non te senem, sed longæuum intelligit. Tu quidem bellè ætatem fers, sicut eadem animi tui opera ferent omne æuum, tumque maxime viuent, cum reliquis longa dies, ac senium incubuerit. Insignem iniuriam ætati isti faciunt, qui putant ipsi cum Musis minime conuenire, senesque veluti depontanos his sacris arcent; Nam animus immortalis deferuescente iuventutis æstu purus, ac defęcatus, & vt ille aiebat agresti, ac furioso domino solutus, totus sui iuris, bona fide Castalios latices bibit, Deoque plenus, tam propè à diuinitate abest, quam longè ab affectuum contagione recessit. Talis tu quidem maturus æuo, pauca senectutis damna ingentibus beneficiis compensas, non victus, aut annis tractus, sed viui-

do,

do, viridique animo Musarum sacra recolis, eaque grandis natu scribis in quibus senes vigorem iuventæ atque impetũ mirantur, senilem grauitatem iuvenes venerantur: & quibus à scribendo iuvenesque senesq; absterrentur. Ita me Apollo pater amet, nisi cum epinicium carmen tuum legi, illico subijt animum Tragicorum princeps, cuius Oedipum Colonæũ extrema ætate, quæque desipere degeneri proli videbatur, conscriptum, cunctis eius operibus vetustas antetulit. Tu & si nondum extremas æui metas, laudis tamen ac gloriæ nouo hoc opere attigisti: & Venetus Imperator hoc vno virtutis suæ ac felicitatis grande pretium tulit, quod in te vatem non incidit, sed fecit. Ipse etiam quadam poetica instinctus contagione efferor, epistolęque modulum egressus, & diuturnæ valetudinis, & tot cruciatuum interim obliuiscor, & cum carmen tuum relego, nec te, nec me ipsum senem esse credo. Vale & Pylii senis annos cum Puteo nostro præstantissimo metire. Patauii XXI. Iulii MDCXLVIII.

Eidem. Venetias.

HAs tibi reddet Isaacus Vossius non tam parentis viri præstantissimi gloria, quam sua virtute clarissimus. Diu est cum ad capiendum ingenii cultum Italiam peragrat, sed præcipuè excutiendis veteribus Bibliothecis, vt delitescentes pluteorum visceribus opes in publicum efferat. Quantum ille in hoc negotio præstiterit, breui res ipsa docebit, plurimumque illi res literaria, ac posteritas tota debebit. Cum istuc cogitaret, non tam visendæ Vrbis quam Bibliothecæ, propter quam à doctis Vrbs visitur, super cetera congressum tuum optauit, quem literarum gloria florentem etiam in patria suspexit. Singularis humanitatis tuæ erit, eũ illis officiis amplecti, quæ à te summa expectari possunt. Illud maxime, ne illi aditus Bibliothecæ inuideatur ab iis, qui isti thesauro non tam maligne quàm oscitanter incubant.

Nec

Nec aditum modo, sed aliquam moram ipsi indulgere maiestatis Venetæ, ac rei literariæ intererit. Quid verbis opus est? Tu hæc præstare potes, vel nullus. Ergo iuvenem summæ indolis, & parentis decora antecessurum foue, & me tui obseruantissimum ama: Puteoque nostro quem ab morbo refectum gaudeo, salutem plurimam dicito. Vale.

Patauii Kal. Febr. M DC XLVIII.

IACOBO CRVCEOLANO V. C.
Mediolanum.

NOndum luctus consenuit, quo Dominici Molini memoriam semper acerbam, semper honoratā habebo. Nec publicam mœstitiam, atque Orbis querelam exequor, qua de literis actum propè, ac conclamatum mortales metuunt, illo rebus humanis exempto, qui tanquam Iupiter Stator labentes iam iamque casuras Musas hactenus sustinuit.

O patria, o domus Diuum Ilium, atque inclita bello
Mœnia Dardanidum!

Quis iam hominum Deorumque irruentem barbariem & se se Italiæ terræ super fundentem auertet? Cui vota Senatus populusque literatorum concipiet? Quis posthac doctum virum curto vix asse licebitur? Quis nationem nostram sacram ac piacularem à publicis execrationibus, à fortunæ furore, ac fatorum malignitate vindicabit.

Excessere omnes aditis, arisque relictis
Dî quibus Imperium hoc steterat.

Cecidêre magna illa literarum columina, Ferdinandus Mantuæ; postremus Vrbini Dux, Fœdericus Borromæus præcipuæ Musarum tutelæ abierunt hinc in communem locum. Restabat Magnus hic senex, vt animi magnitudine literarumque amore illis par, ita indefesso de re literaria bene merendi studio, & prope diuina humanitate longè superior. Nam non ita mirum videri debet, magnos Principes ex ingenti

genti opum affluentia, sumptibusque insanis aliquid etiam in literarum subsidium erogare. Hic maiore gloria quam diuitijs fuit, & opulentissimæ ac maximæ Reip. potens, publicum censum quam priuatum augere maluit. Si oris maiestatem, si publicam venerationem, si officia clientum aspexisses plusquam Senatorem: si priuatum cultum, & pauperes munditias, ædesque nullum præter ipsum Dominum ornamentum habentes, minus quam ciuem existimasses. Nominis tamen eius maiestas ab Hesperio cubili ad ortum porrecta, non Europæ sed orbis terminis circumscribebatur. Plerique prius ad ipsum quam ad Deos vota referebant: ad eius templum immortalitatis donaria appendebantur: huic vni populi omnes & ignotæ gentes honoris tributum persoluebant: literarum proceres per eius genium iurabant: Martis, ac Musarũ alumni clarissimi Bataui, orbeque toto diuisi Britanni in Italia quæsiuere quod venerarentur, nomenque eius æternis monumentis consecrarunt. Iam magno Heroi innotuisse iã tanti Nominis augustum decus librorum fronti præscripsisse, ingentis gloriæ pars maxima habebatur, eò verior & solidior, quod non aliud quam beneuolentiæ pretium quærebatur, nullique hic Musarum sacra ad Plutum traducebant.

Sic parta ante mortem ingentibus meritis immortalitate Cœlum petijt, vnde venerat hoc naturæ miraculum, clausitque agmen Heroum quicunque literas, Musasque fouerunt. Neque tamen fatum eius ignauo questu prosequemur, nec aut nænias, aut Epicœdia, aut tumuli superuacaneos honores decernere præstat. Plebeiorum manium iura hæc sunt, quos cum cinere longa premeret obliuio, nisi eos vixisse literatus lapis, ac mortis carmen indicaret. Hic in memoria hominum, in temporum æternitate, ære perennius monumentum exegit, totusque libitinam vitabit. Tantus enim erat, vt & monumenta, & cum lapidibus ipsis interitura tandem trophæa contemnere posset, magnumque hoc nomen titulos omnes respuit, quia omnes transcendit. Plura scribere

bère dolor vetat,& hæc ipsa mihi veras lachrimas excutiunt. Vale vir doctissime ac Mathematicorum Cœlum exornare perge, patruumque meum V. C. cui plusquam vlli mortalium debeo saluere plurimum iube.

Patauij à die XV. Decembri M DC XXXV.

NICOLAO DE PONTE
Gymnasij Patauini Moderatori.

GAudij impatientia in audaciam prolapsus sum, vt te summa fortuna, summa eloquentia præditum rudis ipse, & obscurus interpellarem, simulque publica commoda. Sed vt magnus dolor ita ingens lætitia sui impotens est, & indulgentia fortunæ magnis quoque capitibus adstrepit. Neminem autem futurum arbitror modò literarum nomine censeatur, qui non exultet & gestiat cum intellexerit literas, ac disciplinas tuæ fidei commendatas, quæ à te commendationem accipiunt,& vicissim impertiunt. Quanto enim in honore, ac pretio apud te fore id,quod tãtam tibi dignationem circumposuit? Non enim triumphalium auorum series, non itura per posteros maiorum gloria, non supremi in Rep. magistratus tantum tibi nominis ac maiestatis circumdederũt, quantum flexanima illa, ac verè Regina copiosè loquens sapientia, qua tu in ea Vrbe dominaris, in qua nemo seruus est nisi improbus. Nec vmbratilis illa quidem, aut pigmentorum lenocinio fracta, sed virilis sed Regia, qualem Pylij senis ore fluxisse melleam Homerus credidit, aut instar procellæ orante Itacho effusam. Igitur reliquæ artes ac disciplinæ ab Magisterio tuo velut reddita iuventute efflorescẽt, eloquentia qua nihil maius esse fatentur etiam qui eius sacris pelluntur,in pectus tuum conuolabit, eam tu ab inopi, atque infæcundo labore reuocatam auream efficies, aureum seculum literis inuecturus. Tum senatus literatorum tibi clypeum inter auctores facundiæ censebit. Vale. XIII. Iulij M DC XXXVIII.

ALOYSIO VALARESSIO EQVITI Gymnasij Moderatori.

AVdiuere Dij vota nostra, isque tandem Musis ac literis præfectus est, qui & asserere in splendorem Musas potest olim in contubernium admissas, & de quo nullæ vnquam literæ obticescent. Vtraque benè sperare audent, quæ pro depositis habebantur. Quid enim de te non pollicetur propensissimus in literas, ac literatos fauor, quo humiles etiam, & vmbraticos ad fortunæ tuæ splendorem admittis literis ipse exultus, non quale hodie verbum est in speciem, ac famam, sed interiori sapientia impensè diuque imbutus, vt hic omittam eloquentiam tuam quam Regibus approbasti, Veneta Curia nunquam satis admirabitur. Vere tu admirandus, rarumque exemplum quoties publicas curas interiungis, ac veluti in te ipsum recedis, & cum literis ac libris familiarissimè loqueris. Hic ciuilis prudentiæ arcana, vetus recensque historia, grandis ac solida eruditio exerunt se, & maius viro principe, quique inter magistratus & legationes ætatem diuisit, studium testantur. Itaque alia scientiarum decora alij apud te exsequentur, ego his literis à te patrocinium petere audeo, quibus ab humanitate nomen indiderunt, qui maximè hominum proprias credidêre. Confirmatus præcipuè Prætoris Amplissimi auctoritate, per cuius mensarum sacra, & hospitales Deos tibi obsequium cultumque deferre, grande momentum rerum mearum fuit, simulque miti, atque erudito inter pocula alloquio perfrui, & vt sic dicam epulis diuûm accumbere. Hoc, tuaque humanitas audaciam fecit, vt non tam tibi, quàm nobis quicunque literas colimus hanc fortunam gratularer. Nostra hæc aeuique felicitas est, cui tu vt tot merita, ita assertas ab interitu literas imputabis. Vale. à die XIII. Iunij M DC XXXVIII.

FORTVNATO SCACCO
Pontificij sacrarij Præfecto.

INgens tua humanitas me longæ inertiæ indormientem excitauit, si tamen inertia dicenda est, in qua nihil agendo aliquid molimur. Publicè profitendi munus me ad hæc Christi parentalia exercitum delassauit, nec multo post æstiuis tradet caloribus, qui festinata intemperie veris amœnitatem præuerterunt. Priuatim etiam respondere cogor, neque tamen ex scripto, aut petito ad consultandum spatio, sed diuersis de rebus & prout quisque scriptor inciderit. Vides quanti negotij res ista sit, quamque difficiles nugas habeamus. Ita nunquam bona fide licet esse otiosis. Quoque magis ingratus labor sit, nemo delubra Musarum cum anathemate petit, nec saltem farre pio, aut saliente mica se exsoluit, sed tamquam de plebe Numina Cœlique æraria salutat & præterit, solamque fœneraticiam Mineruam peculio exorat. Habes causas desidiæ meæ, & diuturni silentij. Te etiamad immortale decus grassantem auocare religio fuit, cum præcipuè tecum cum libuerit verser, alloquioque tuo perfruar, quoties præclara ingenij tui monumenta in manus sumo fructu non pœnitendo, quod sæpe publico auditorio testatus sum, cum disputationi meæ à tuis scriptis commendationem peterem. Nunc totus in Aduersariis sum, nec audeo manũ de tabula, idque adlaboro, vt ex Aduersariis Electa fiant, vtinam Musis non aduersis: nec aliud magis quam publica iudicia perhorresco. Quod si Deus aliquando dabit, vt Vrbem quam dicunt Romam visere, teque præcipuum Romæ ornamentum de proximo colere possim, tecumque labores meos communicare, tunc frangam impatiens moras, nec illis lucẽ inuidebo, qui tamen tutiores in tenebris esse poterant. Fortunet modo te Deus nobisque ac literis diu præstet incolumen. Vale. Kal. Aug. M DC XXXVIII.

ALOYSIO QVIRINO GYMNASII *Moderatorum à secretis.*

QVantum tibi debeam vix verbis exprimere possum, nedum soluendo vnquam sim. Id tamen immensum esse Deos hominesq; testor, & posteros meminisse volo. Nam & me plurimum semper auctoritate tua, & humanissima testificatione adiutum scio, & ad novum hoc Græcæ professionis munus maximè valuisse suffragium tuum non ignoro. Plenus scilicet laudis, & adoreæ non modo non obtrectas ijs qui eadem via grassantur, qui seculi morbus est, sed literarum cultores vltro ad decus, & commoda vocas, Musarum proxeneta, immo Deorum Thaltibius, immortalitatis præco

Tu mihi quodcunque hoc regni est tu sceptra Iouemque
Concilias.

Ego quidem rubore suffusus sum, cum à te perscriptum S. C. legi, quo nouæ spei admouebar, cuius exemplar literarijs fastis adscribendum cùm poscis, denuo modestiam meã oneras, & nouis tibi nominibus obstringis; Dignus herclè cuius nomen vtraque honorum pagina sibi præscribat. Vale. Idibus Sextilis MDCXXXVIII.

HENRICO ERNSTIO V. C.

ET literas tuas humanitatis plenissimas, & munus adiectum eo animo exosculatus sum, quo magnorum amicorum ac doctrina præcellentium res amplector, ac colo. Tuas præcipuè Clarissime Ernsti, cuius suauissimi mores, interioris literaturæ decus, ingenium libros omnes peruagatum, & indefessum de re literaria bene merendi studium quando vnquam parem inuenient? libelli quem misisti scriptorem nullius coloris noui, indigno Italię fato in qua maior

ho-

hominum numerus, quam librorum, intercepto etiam Musarum commercio, & supina incogitantia qua vetera tantum vt ait ille miramur, recentium incuriosi. Et alioqui dignus est audiri dulce canens frondator ad auras: iudicio pollet, nec minori arte aduersarium premit, quam modestia magnorum virorum in interpolandis veterum scriptis audaciam castigat, denique hoc opus Criticum sine fastu, atque obtrectatione persoluit. Ego hic postquã Vacuna ludum artauit, alta quiete fruor, futuramque palestram accingor, ac meditor, hoc est Tertulliani Apologeticum: horis subcisiuis cum Apuleio veterem rationem deduco, nactus optimum exemplar manu exaratum, quod fuit Cardinalis Zabarellæ, neque exiguum curæ pretium facturum me intelligo. Tu si qua labores nostros iuvare potes, antiquos mores retine, quodque facis strenue rem literariam, sed præcipuę valetudinem tuam cura. Patauij à die XX. Octobris MDCXL...

CÆSARI MONTIO
Cardinali Mediolani Archiepiscopo.

TVa singularis facilitas, qua non modo literas, earumque cultores interius admittis, sed absentes quoque vt Homericus Apollo longe operans beneficis radijs perfundis, effecit, vt te scripto adire auderem, ac veluti in ipsum publicę humanitatis sacrarium irrumpere. Cui enim licet trepido, ac metuenti non animos adderet magna Principis indulgentia, qua ex tantæ dignitatis culmine in has quoque oras aspectum flectis, & me procul à patria Musarum ferias residentem, ad familiaritatis sacra, ad aspectum penatum, in spem quoque fulgoremque honorum postliminio vocas. Quod beneficium tantum est, vt vix ipsum vix fortunam meã capiam. Sed ne istuc ad mandata tua conuolem, illud intercedit, quod etiam in sequentem annum Venetis Patribus fidem obstrinxi, à quibus causariam, ne dum honestam missionem

impetrare me posse diffido, patrui exemplo; quem ægre ac cunctanter, postremo bimestri muneris vacatione legibus soluerunt: & vereor vt ille causam suam approbare possit: me autem stationem deserere nondum exauctoratum, aut transfugere ne te quidem probaturum credo, cum me præter publicæ beneuolentiæ decus, nuper nouo pręmiorum auctario prosequuti sint. Expletis legitimis stipendijs, quis non ad tantum Imperatorem vltro confugiat, cuius purpura etiam non petentibus adoranda præbetur? quis non corpus & animam nouo auctoramento religiosissimę addicat? Istic tuis auspiciis, teq; tuos præbente Diuos aduersus inertiam atque barbariem strenue rem geremus; Interim ex disciplina Cæsari nostro Victori, & Augusto Septimontii sedem, sacraque humani generis, summamque rerum auguramur, & damnari votis optamus. Vale.

Patauij Kal. Nouemb. M DC XXXIX.

FORTVNATO SCACCO Romam.

Is dum opus de sanctorum consecratione molitur lethali morbo correptus pęnè oculis captus est.

ITa ne dum ingentium animarum transcriptas sideribus colonias, & causas, & modos posterûm memoriæ prodis, Cœlique album veluti dispungis, penè terris ereptus es, ipsique negotio propiùs adstitutus? Tantum sperare dolorem latinæ Musæ potuerunt, Parcę tantum nefas audere? Conuiciis nobis oneranda dies illa fuit, & addenda nefastis, qua penè fuit quin superis inuidiam faceremus. Sed audiuere vota nostra diui, quos tu operis maiestate æquasti, satisque intercesserunt, tantisper dum vitatas fastorum paginas censeas, virtutisque nomina deferas Cœli ærario, nec tam de mortalibus, vnde supplentur Indigetes, quam de Cœlestibus

bus quorum lustrum agis, bene merearis. Sed saluti tu quidem non luci redditus es, adeo crudeles morbi eruditos oculos vexarunt, qui fere nihil vnquam præter literas viderant. Ita dum Cœli arcana recludis, penè Tiresias factus es. Par Stesichori, ac Mæonij vatis casus, nisi quod tu de superis bene locutus es. Illud te magne Vir solatio afficiat, quòd demum id opus perfecisti, quo semel viso non vltra oculis opus sit. Vale. Patauij Non. Nouemb. MDCXXXIX.

IO: HVSSÆO GALLIARVM REGIS ad Venetos Legato.

CVm primùm Natalium Christi hilaritas Musis iustitium indixit, nihil antiquius habui quàm à Musis ad Apollinem diuertere, teque magnum earum præsidem scripto venerari. Vt auderem publicis curis interstrepere effecit humanitas tua, qua nuper Gymnasium nostrum seposita maiestate subisti, tuumque illud venerabile os nobis ac Musis spectandum intulisti. Ingens ipse præter alia decora commendatione literarum, quas ab vmbratili otio ad aulæ splédorem vocatas, summæ rei adhibuisti: sicuti earum cultoribus domi tuæ hospitium præbuisti. Aucta in maius gloria, quod rarum est in tanta fortuna amare bonam mentem, ac penè singulare, vt cum Plinio tuo loquar, facere quæ scribantur, scribere quæ legantur. Vale.

Patauij VIII. Kal. Ian. MDCXXXIX.

IOANNI NANNIO D. Marci Procuratori.

TVa ingens, ãc pœnè diuina liberalitas, qua fortunas meas vltra vota, & vsque in inuidiam prouexisti, resque fractas atque accisas fato melior refouisti, non me modo, sed seculum exempli gloria tibi obstrinxit, eosque pręcipue, qui

mitiora studia, ac literum amænitatem sectantur. Diù est cum hæ literæ regnatrices quondam, & ad Reipubl. maiestatem adscitæ, silent, iacentque, quodque ingens opprobrium habetur, paupertate pressæ inuidiam seculo faciunt.

.... didicit iam diues auarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos.

Immani iam pretio iurgia modo, atque iræ locantur, vel triste verborum ministerium peragitur, solaque Themidis, atque Asclepij arca Musas omnes fenerat, seque ac libros odit..... *nuda & facunda senectus*. Quod nisi tua ac collegarum largitas tanto auctoramento ad bene sperãdum signum sustulisset, studia hæc nostra ad tubicines mitterent licebat. Me quidem magis iudicij tui grauitas, quàm honorarij amplitudo extulit, qui sapientis præconio facile montes aureos ante habeam. Vale Patauij Idib. Augusti MDCXL.

FRANCISCO BOLLANO
Patricio Veneto.

QVid tibi placuit Bollane generosissime, festinatis honoribus pudorem meum onerare, & quod paucorum cineres habent, imaginarium funus viuenti, ac videnti destinare? effigiem meam postulas, quasi posteritatis intersit, vt illius ora noscantur, qui nullo negotio sibi posteritatem demeruit, & de quo, quis fuerit, posteritas quæsitura sit. Nihil prouidam sedulitatem tuam latere potest. Me in angulo procul ab ambitu, & maioris fortunæ strepitu delitescentem, Musisque in abdito operantem deprehendis, extrahis, per hominum ora traducere paras. Per te obscuris esse non licet: nouo homini imaginis ius, bellorum experti, triumphalia insignia decernis. Sed

.. de Cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Quis, quantulusve sim, non ab alijs docendus sum. Quare parem fortunæ vitam institui, votumque semper fuit obscurum

rum æuo defungi, omnibus parum, mihi satis notum. Proinde largire tu hos honores maioribus mei, qui nempe publicando ingenio fatigatis prælis, non tam libris, quàm nominis gloria Orbem repleuerunt. Ego pro effigie affectus sincerissimi cultum, nec fucatam coloribus tabulam, sed me totum, ipsum inquam Archetypum humanitatis tuæ templo votiuū anathema appendo.

Si post fata venit gloria, non propero.

Vale Patauij à die XXVI. Augusti. M DC XL.

ANGELO EQVITI CONTARENO
Oratori Veneto.

TE summis Imperij Veneti Orbisque Christiani negotijs implicitum, paremque interpellare religio esset, nisi singularis illa tua facilitas, qua ignotos quoque ad tui venerationem prolicis, mihi non vno in negotio perspecta ad ipsum sacratiorum curarum penetrale aditum patefaceret. Triennium est, ex quo isthic mihi aliquot scriptores Theologorum censura notatos legendi facultas concessa est. Id nunc mihi ius denuo sanciri, ac renouari studiorum meorum immo & ipsius Gymnasij intererit, cum multa ingeniorum monumenta praui sensus, aut pudoris suspecta, sine indulto euoluere religio sit. Quod si auctoritate tua id impetrauero, tu, quæ tua laus singularis est nunquam de literis bene mereri cessabis, ego ad tua innumerabilia in me merita, quod fieri non posse videbatur maximum hoc tuo facto cumulum accessisse profitebor. Vale.

Patauij VI. Ianuarij M DC XLI.

GAVDENTIO PAGANINO
In Pisano Gymnasio Rhetori.

NOminis tui fama strenue Orbem peruagata me quoque in tui admirationem cultumque rapuerat, vt tacitus tibi, ac præclaris ingenij monumentis plauderem. Nouum nunc meritum trahit me, tibiq; arctius obstringit, cum prior officio certasti Musarumque tuarum fastigium demittere huc, meque tot laudibus onerare placuit. Colo te Vir clarissime, & si concedis impense amo, mutuumque fieri cupio. Te scilicet ad decus vadentem longe sequor, tua vestigia non tam premo, quam suspicio: Pisis, Italiæ, mihique gratulor. Tu plenus adoreæ laudum largus ijs etiam immerentes cumulas, talemque concinnas me qualis amore tuo dignus videatur. Quare in te obseruando nemini mortalium concedam. Tu interim fama tui fruere, fruere Cl. Soncino, quem si animæ dimidium meæ dixerim, nec fallam, nec fallar. Vale Patauij Nonis Ian. MDCXLI.

ANGELO EQVITI CONTARENO
D. M. Procuratori.

QVod Soli diuinus Vates adscribit, vt longe operantem appellet, id de te merito vsurpari potest. Nam qui præsens non Gymnasium modo Patauinum, sed quotquot literarum albo censentur ornasti, ac locupletasti, etiam longe amotus beneficam illam vim longe operantem exerces, nec literarum modò frigus discutis, sed deciduavi Musarum arua fœcundas. Verum tua in publicam ac literariã rem merita alij exequentur, ipse nouo tibi munere obstrictus in eloquentiæ professione nunquam magis infantiam meam erubui, quam quod deesse mihi verba ad persoluendas grates intellexi. Nil enim tibi præter verba largiri potest vmbraticus

braticus

braticus doctor, trepidus ad lucem, Solemque, qui postquã Rhetorum myrothecia excussit, nihil difficilius experitur, quam magno beneficio paria verba inuenire. Quare non ego tua tempora morabor, sed te Solem non longè modo operantem, verum & omnia contuentem venerabor, qui ipsas animorum latebras mentisque recessus introspicis. Ita sinceri affectus cultus magis quam verba oblectabunt. Sic quam primum maternam Delon reuisas, & Academiam Patauinam idest templum tuum Musarumque Delubrum serenes, nosque tandem votorum reos facias. Vale.

Patauij VII. Kal.Febr. M DC LI.

FRANCISCO BOLLANO Patricio Veneto.

EO mihi præcipue nomine e morosa magis, quam graui valetudine grata salus accidit, quod cultui tuo reliquos dies impendere fata permiserint, quem magnum literarum momentum, ac literatorum spem fortuna producit, ac fouet. Cur enim Aesculapio gallum deberem, quidque me sospitatum lætarer hoc seculi languore, quo bonæ literæ diu in morbo cubant, & ad fatalem metam redactæ ferè complorantur? Hæc earum cultores tædio lucis afficiunt, hęc vitæ saturant, hæc senio, ac diuidię sunt. Quis nolit literis commori pereuntibus, & magno fato inclarescere? Quotus quisque nunc laborantibus assidet, alloquio leuat, vel tralaticia humanitate respicit? Nam recentes Aesculapij, qui tabe confectis, ac pœnè animam agentibus colorem ac sanguinem inducere tentant, ac pallentia in ipsa morte ora purpurisso obducunt, næ illi mangones egregij sunt, non medici. Tu contra, & non pauci isthic salutares manus admouistis, & doctissimis vigilijs Aesculapio, ac parenti Apollini non semel incubatis. Hæc nobis simul spiritum redonant indignabundum, ac fugitantem, hæc studiorum spes large sustentant,

pror-

prorsusque efficiunt, ne lucem perosi eodem cum Musis fatò contabescamus. Viue tu modo, ac Vale.

Patauij Nonis Maij. M DC XLI.

FRANCISCO VITELLIO PONTIFICIO ad Venetos Legato.

VBi primum animus conquieuit, & curis strepentibus solutus est, nihil antiquius habui, quam te scripto adire, & grates persoluere, quantas humanus concipere animus possit. Te enim Vicarię Numinis maiestatis ad Reges ac Principes Inter nuncium, ac veluti Deorum Taltybium Religionis terrarumque regimini admotum, principe semper familia editum, altitudine animi ac literis ad exemplum instructum, ignoti quoque prædicant, patrocinium deposcunt, tibique innotuisse grande rerum pretium putant. Quid ego, quem tu non ea modo fronte excepisti, qua mærentium quoque mentes solaris, sed in penetralia protinus induxisti, hoc est in Musæum tuum venerandæ antiquitatis sacrarium? Vbi nescio quid magis admiratus sim: Romanam, Græcamq; historiam auro, argento, ære per sacros vultus, & pares æternitati literas signatam, fastorum paginas, viuasque Consulum effigies, non interrupta seculorum serie nummis expressas, Imperatorum populum, augusta Cesarum ora, iniuria vetustatis nusquam victa, tot ingeniorum, atque artificum miracula: an vero tantam in te horum omnium peritiam, vt & suis loculis disposita erudite serues, oculosque dignoscendi adsuetudine exercitos, totque ac tam dispares formas, veluti vnius familiæ capita cognita habeas, de omnibus accuratè disputes, sensus abditos occultasque notas explices, & quoddam veluti Imperatorum lustrum peragas. Tunc ego mihi, ac seculo gratulatus sum, quod literas, meque respexeris; quodque hæc studia producas ac foueas, quæ vt principum opes requirunt, ita nunc plebeia ingenia recentibus nummis mancipata

cipata

cipata vix aspectu dignantur. Pro queis ingentibus meritis, quid aliud tibi precer, quàm quod publica expectatio dudum concepit, etiam ante illud vnde ad rerum fastigiũ proximus gradus est. Vale Reip. christianæ, & literarum causa. Patauij VIII. Augusti MDCXLI.

MILANO BENCIO CYDONIORVM *Episcopo designato.*

TE sospitem Vrbi redditum gaudeo, aucta multum claritudine, qua isthic per ingenij dexteritatem, vitæ splẽdorem literasque interiores ante præcellebas. Ita mens mihi animusque exultat, quoties sibi proponit effusam in occursum aulam, amplexus, oscula, teque inter gratantes, ac venerantes diuidendis affectibus imparem. Nunc te Roma tenet sedes Deûm Imperijque, votorum summa. Tu isthic in luce Orbis, in humani generis conuentu, in oculis dominorum, in ore omnium, & cum magna de te mortales expectent, maiora concipiunt. Nos hic municipali otio consenescimus, & nisi quantum studia interpellant etiam contabescimus ex videndo, quæ nisi philosophico stomacho concoquere possimus. Sed gratus est hic languor, non planè iners, & tristium aspectum mitissimis cogitationibus in vltimam antiquitatem iactis leuamus. Lenimus etiam reditus tui spe, & memoriâ lætorum queis æstus iniuriam, vel vasta in Vrbe, vel in suburbano tuo, qua Medoacus Venetis prætorij cinctus, inflatior currit. O noctes cænæque Deûm. Sed quando tot bonis carendum mihi est, malim te Romuli, quam Iouis municipem esse, & flaminem Quirinalem potius, quam Dialem: vel saltem inter nos magnum pelagus non intercipi, ne vota ipsa, precesque proterui Noti secum ferant. Sed hoc curæ erit Deo, quique Dei vicem fungitur. Non sinet ille latinum decus Graia tellure, licet Tonantis natalium, ac tumuli conscia abscondi, sed vel istas violas vere sacro patriæ in spem pur-

purcæ

puręę æstatis commodabit, vel Vaticanis rosetis mutabit. Sic voueo. Tu Vale, & præstantissimum Homodæum saluere plurimum iube. Patauij III. Nonas Ianuarij MDCXLII.

FRANCISCO CLAVDINO *in Bononiensi Gymnasio Professori.*

VIgesimus annus est, & quod excurrit, ex quo Iulius Cæsar parens tuus magnus sapientię Antistes ad superos recessit. Et acerbus adhuc luctus est, non tibi modo cui cum re virtutem qnoque legauit ex asse, sed cunctis, quicumque amant bonam mentem, & fortiori doctrinæ nomen dederunt. Ille quidem nil præter neruos ac cutem morti concessit, victurisque monumentis Libitinam vitauit. Ingens patriæ, ac familiæ decus ingens tui solatium, cui quod vnũ, & pulcherrimum habebat imaginem sui reliquit. Sed ne plenum, ac solidum hoc solatium etiam eruditis contingat illud obstat, quod tanto post quam ille lucem reliquit, non omnes magni ingenij fœtus lucem viderunt; Et cum tu iusta parenti persolueris, atque omnia præstiteris, quæ supremi in defunctum officij sunt: quum tumuli superuacuos honores, ac marmor statueris vetustati cessurum, postquam intra ipsum marmor mortales exuuias breue tempus confecerit: postremum illud, idque maximum debes, vt vindices ab obliuione memoriam, nomenque patris aduersus æui impotentiam extendas, reliqua magnæ mentis opera vulgando, & excitando illa veluti e plutei fascijs, ac Bibliothecæ sepulchro, fortasse cum tineis luctantia. Quid cunctaris, spesque literatorum tandiu vel irritas, vel fatigas? Stant contra te studiosorum vota cruciata tot annis, stat pietas quæ veluti flagitator molestus non ante dimittet quàm soluas. Magnum præcipue opus expostulatur, quod ille Empiricam rationalem inscripsit, si illud nondum extremam manum recepit, vel sic placere potest, vel tu illam imponere, vel nemo,

&

& adhuc parentis bonā exigimus: Quid tu de tuo poſt debeas videto. An tu quoque hæredis manus expectaturus es? Parens te moneat vt properes. Interim hoc nomen expunge, & paternam fidem cum tua libera, ne abditis domi theſauris ſolus incubare dicaris, qui melius proferantur. Sic parentis Manibus, ſic Reip. literariæ, ſic pietati conſultum ibis. Vale, & me ama. Patauij à die XX. Octob. M DC XLII.

FRANCISCO CARDINALI Barberino.

Cum tot ſuſtineas, ac tanta negotiā ſolus.

CVmque tibi Maximus omnis æui Rector, innixus humeris tuis ſe atque orbem ſuſtentet, intempeſtiue ne dicam impie facere videtur, qui te ab humani generis cuſtodia vel tantiſper abducit. Sed tua ſublimitas omnium capax quæ Cœlo continentur, vigorque igneus cunctis par eſt, nec te vnquam ab inſtitutis ſtudijs deflexit cura terrarum. Itaque in tanto rerum molimine excogitaſti quo modo patruum non exciperes tantum, ſed eundem mortalium vatumque ſummum proxime referres. Et poſtquam conſilijs, magniſque operibus Orbem fatigaſti, non aliud tibi laborum leuamen, curarumque ſolatium eſt, quam Bibliotheca, quæ Phariæ, ac Palatinæ æmula à te publica res facta eſt, tuis ac patrui æternum victuris monumentis aucta. Huc ex cunctis gentibus decora ingenia fœtus ſuos tanquam in coloniam tranſcribunt, vnumque certamen ac votum eſt, vt innoteſcant tibi, atque in hoc literarium ſacrarium admittantur. Vt non deſperandus mihi quoque fuerit aliquis iſthic angulus, in quo tenuis ingenii conatus deliteſceret, & ſi non Coloniæ, ſaltem Aſyli ius pateret. Id ego opus, ne quis peregrinitatis arceſſeret, Romana in toga, & reliquo Quiritiũ tuorum cultu produxi, vtque aliqua commendatio

eſſet

esset vestram dibapham, ac Pontificum trabeas, radiantisque muricis fulgorem executus sum. Sic puto illud facilius dominæ Vrbis fastidia laturum, & si non osculis, saltem non sago exceptum iri. Alias maius opus molienti tu felix præsensque eris, & formandi, condendique res huius æui materiam dabis, & exemplum. Vale Pat. xv. Ian. M. DC. LXIII.

SERENISSIMO LEOPOLDO MEDICEO
Etruriæ Principi

NOn nouum est aut recens, literarum bonæque mentis cultores fœtus suos Mediceæ domus penetralibus sacrare, & nulli vnquam interclusam maiestatem ingenij opibus venerabundos adire. Ex quo enim maiores tui, quàm patriæ, tam literarum parentes, errantibus Musis in illa Vrbe delubra fixerũt, quæ ipsius Italiæ Italia est, nemo literis censetur, qui vobis literarum præstitibus, vel saliente mica, vel sparso digitulis thure non faciat, nec minus litet, quam qui Hecatombas vouit. Quare non temere ipse, aut impudenter facturus videor, si ad hæc sacra nomen afferam meum, meque inter cultores tuos admitti religiose postulem. Nam etsi non tam Imperij, quam ingenij fascibus submoueas, huc tamen crebro descendis, nec potes studiosos non fouere, quod te studiorum præsides Deæ in ipsa adyta admiserint. Non dubito ergo quin hanc de veterum habitu, cultuque exercitationem placido lumine excepturus sis, maiorum tuorum palmatas ac trabeas inspecturus, & quæcumque demũ ex Etruria tua olim in partem Romanæ maiestatis cum reliquis Imperij insignibus vocata sunt. Nos interim plaudente Orbe testabimur

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Vale Patauij XXVI. Ianuarij M DC XLII.

IVLIO CARDINALI
Romæ.

PVrpuratorum Eminentissime. Laurigeros penates tuos natus proxima fœtura liber subiturus, ab ipso limine precatur ea fronte excipi, qua supplicum alloquijs vacas, vel post totos dies seueræ Mineruæ donatos, ad studiorum amœnitatem deflectis. Sic enim quod te adire ausus est imputabit tibi, qui nec extremæ quidem sortis mortales ab aspectu tuo tristes amittis, quique non tam innocentia, & altitudine sapientiæ, quàm interioribus literis, & literatorum fauore humanũ genus in te circumegisti, non alio modo quam si cœlo demissus fores. Fuere quoque & aliæ mihi priuatæ audendi causæ, quod communis patriæ sacramento obstrictus sim, nec nihil existimarim, eodem solo editum esse, per quod infantia tua reptauit, idem cœlum hausisse, quod tibi primos halitus inspirauit. Ergo non aliud quàm vota faciam, tibique fastigium illud precabor, quo te tua virtus, & gentilitate nominis fatale præsagium vocat, vt aliquando humanum genus voti compotem reddas. Tunc positis armis secula mitescent, suus artibus literisque honos constabit, Orbisque discordijs fessus, redeunte obsequio bona fide Romam adorabit. Vale Patauij VIII. Febr. MDCXLII.

CASSIANO ABBATI PVTEO.

QVantum tibi erudita vetustas debeat, quam strenuus fugientium literarum assertor sis, quo tibi beneficio retroacta secula obstringas, cùm veterum Quiritium memoriam euanescentem, atque ingentium ruinarum ruderibus consepultam quotidiè excitas, & ex nummorum ærugine, trunco statuarum populo, magnis parietinarum sepulchretis eruis, Romamque Romæ restituis, & loquuntur omnes,

& illud declarat, quod nemo vnus hæc ſacra attingit, qui à te Præſide ſuppetias lucemque non expoſcat, & per te induci in ipſa adyta non poſtulet. Quo quidem in negotio, quæ tua benignitas eſt, eruditorum vota anteuertere ſoles, atque ex iiſdem vetuſtatis theſauris non pauca communicare, vnde illi operibus fidem ac commendationem petant. Ita cum ipſe Romanum veſtitum, rerum dominam togam, ac reliquum principis populi cultum, peculiari opere complexus eſſem, tu illico plura ex iiſdem cymeliis tranſmiſiſti, quibus hoc opus, cuius non exigua pars exhaurienda reſtat, illuſtrarem. Pro quibus meritis quid tibi aliud quam eandem perpetuo mentem optem, idem de literis, atque humano genere bene merendi ſtudium. Habes opus ipſum religioſe te adituram, habes animum ad omnia paratiſſimum, vtroque vtere, & me tui obſeruantiſſimum perpetuo foue, ac Vale.

Patauij XII. Martij MDCXLII.

PAGANINO GAVDENTIO *Piſas.*

ENtandem monitis tuis obtemperaui, vt aliquid publicarem. Vtinam non inuita Minerua, & citra obtrectationem. Noui ſeculi mores: ſed antiquum & vetus eſt creſcenti famæ obſtare, & vel ſemina intra glebas elidere, vel herbeſcentem ſpem præfocare. Tuum erit, qui vt id auderem impuliſti, patrocinium commodare, & iniuriam defendere. Quod ſi hæc qualiacumque non diſplicuiſſe tibi intellexero, recte collocatos labores credam. Tu rem literariam ſtrenue cura, & præſtantiſſimum Io. Baptiſtam Soncinum ſaluere plurimum iube, ac Vale. Pat. Cal. Maij MDCXLII.

PE-

PETRO SAGREDO
IOANNI GRIMANO
BERTVCCIO VALERIO
Gymnasij Moderatoribus.

ALexander Sincliticus, magnum Academiæ vestræ ac literarum ornamentum, hodie ad superos excessit, Musisque & omnibus nobis tristissimum sui desiderium reliquit. Eius interitu Bibliotheca S. C. publica res facta præside ac custode orbata est, cuius Bibliothecæ cura prima institutione illi destinata est, qui literas politiores in Gymnasio vestro profiteretur. Ita Felix Osius primus Bibliothecarius dictus est, Artis Oratoriæ primus interpres. Verum ingruente mox pestilentia, quæ non vulgi modo stragem dedit, sed etiam in ipsa scientiarum capita sæuissimè debacchata est, extincto Osio, cum nemo vnus esset qui in Academia Rhetoris locum expleret, Bibliothecæ cura Sinclitico demandata est. Eo nunc humanis rebus exempto, ne muneri meo mihique deessem, statui qualemcumque operam meam fidemq; ac diligentiam vobis polliceri. Quominus præsens id à vobis exposcerem, pertinax valetudo intercessit, cum quâ tertium mensem luctor, quæ licet paulisper remiserit, profitendi labores proxime renouandi pedem Academia efferre vetant. Iactare vobis operam meam, immodicum & illicitum. id vnum indicasse intererit me per viginti fere annos in Mediolanensi Bibliotheca versatum esse, ac penè eductũ, hincque & librorum, & linguarum cognitionem nonnullam accessisse, quæ omnia publico vsui futura sperare audeo. Fortunet vos Deus, remque publicam in meliorem statum conuertat. Patauij à die xv. Februarij MDCXLVI.

ALOYSIO QVIRINO.
Venetias.

POstquam Alexander Sincliticus fatis concessit, destinatum mihi erat isthuc contendere, vt coram ab Amplissimis Moderatoribus Bibliothecæ Præfecturam postularem, quæ Sincliticimorte vacua facta erat. Sed & diuturni morbi languor, & reuertentes publice profitendi labores compulerunt me, vt preces scripto delegarem, teque nuncio, ac sequestro vterer, quem mihi semper propitium ac fauentem non sine rubore memini. Si te postulatis meis suffragatorem peterem, iniuriam humanitati tuæ facere viderer, quæ tum secum præclare actum putat, cum materiam bene merendi sibi obiectam videt. Nosti Vir Clarissime, aliquam mihi ad hoc munus rite obeundum mediocritatem inesse, qui versandis Bibliothecæ Ambrosianæ codicibus penè consenui, cum præterea externis in linguis aliquid balbutire audeam. Nec ignoras præterea decretum S. C. vt Bibliothecæ cura demandaretur illi, qui politiores literas doceret. Ita Osius præfectus est primus, cumq; eo mortuo nullus Rhetor adesset, Sincliticus Dominici Molini prensatione in alienam possessionem inductus est. Ego meum, ac successorum negotiũ agere credar, si ius meum modeste vindicauero. Tu de more faue, & si non laudator, at patronus accede. Tunc mihi gloriosum fuerit te vindice vel causa cecidisse.

Vale à die xv. Februarij M DC XLVI.

CÆSARI FERAMVSCÆ.
Vicetiam.

MAgni patrui tui interitu quantum literæ detrimentũ fecerint, quantum interior sapientia, quantum patria, quantum æterna Respublica, omnes intelligunt, ego præ-

præcipuè tui causa vehementer angor. Video enim familiæ tuæ lumen longè clarissimum exstinctum, Vrbis istius columen fatorum inuidia prorutum, tibi ac tuis perpetuum luctũ obiectum. Superuacuum igitur existimo solemnia leniendo dolori aduocare, quæ facile tibi prudentia tua suppeditarit, & incassum admouentur, cum non iactanter dolemus. Reuocanda tibi potius ad firmitudinem mens, memoria operũ, & consiliorum, quibus ille vt veteres Hieronicæ etiam patriam suam coronauit. Ingens tibi incitamentum ad decus illud absoluendum, cuius fundamenta eodem auspice, & auctore iam dudum posuisti. Ne putes periisse tibi Scipionem, qui ingenii monumentis obliuionem vitabit, nomenq; vestrum extendet, quacumque suus literis honos constat. Mens eius cœlo recepta soletur te, & per vestigia virtutum vadentem ibi sistat, quo maiores tui semper adspirarunt. Ego interim Apotheosim cogitabo, & cum te Patauio reddideris, Gymnasiumque tua voce spoliatum recreaueris, te intimis sensibus amplexatus vsque dissuauiabor. Vale, & me ama. Patauij IX. Kal. Martij M DC XLVI.

PAGANINO GAVDENTIO, & IO: BAPTISTAE SONCINO. Pisas.

VTinam valerem, nec tantis terrarum spatijs disiungerer, non vos soli conuiuia sumptuosiora de die agitaretis, nec sine me vetulo vino edentulo ætatem irrigantes inter volitantes meracas potiones solemne illud vsurparetis: Bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium. Infelix ego dum vos ætatulam oblectatis, & festa luce indulgetis genio affixus lectulo pituitæ stillicidio vexatus, capitisque dolore perpetuo tortore excruciatus, clamo beatos mortuos, & dum vos natalem colitis, denicales ferias mihi resido. Pro malorum complemento Bellerophontis morbus accedit, & cum penè nullus hic sit, quîcum ridere aut

indignari familiarius possim, solus oberro. Ipse meum cor edens, hominum vestigia vitans. Deos veneror, Paganine præstantissime, vt quam mihi pro humanitate tua ineunte anno felicitatem auguraris, tibi cumulate rependant, teque rei literariæ bono diutissime conseruent. Tuque Soncine animæ dimidium meæ, mortalium bono viue ac vale, quorum salus capite tuo nititur. Mihi diuidiæ ac senio est, quod vtroque vestrum carendum tamdiu. Quare vel me istuc euocate, vel huc expectati venite, tum aut ego aspectu vestro longe iucundissimo exhilarabor, aut vos mihi extremis metis admoto lessum facietis. Valete iterum, & saluete dulcissima capita. Patauij v. Men. Martij MDCXLVI.

IOANNI BAPTISTAE DONIO V. C. Florentiam.

NOvum mihi magis accidit quam mirum, te tantum virum eruditionis ac sapientiæ gloria clarissimum officio literarum certasse priorem. Nam qui ingenij atque eruditionis laude Italos omnes anteires, exteros prouocares, reliquum erat, vt humanitatis gloria cunctos mortales præcelleres. Ego te quidem antea tacita admiratione venerabar, quod non patriæ modo decus, quæ semper summorum virorum altrix fuit egregie sustentares, sed literas hinc euanescentes Italiæ terræ assereres. Plaudebam ingenio tuo scriptisque, nec semel cum Cl. Scioppio de singulari tua eruditione sermonem habui. Nunc te veluti adire propius & in ipsa humanitatis penetralia induci contigit. Pro quo quid aliud quam memorem animum & recenti beneficio ambitiose gaudentem promittam?

Quod tenues meos in re Vestiaria exponenda conatus probas, est quod me circumspiciam. Quis enim viri laudatissimi præconio non efferatur? Sed nimirum aduersa valetudo, quæ me iam quartum annum exagitat, ne opus ad cal-

cem

cem perducam inuidet. Arcem scilicet humani corporis oppugnat, & in ipsa mentis Regia reliquos artus acerbissime torquet. Accedit rheuma periculosum, in quo expugnando omnes vires Medici necquicquam consumpsêre. Euentu plane infelici. Nam dum sudatorio excoquere humorem putarunt; ita epatis calorem auxerunt, vt ebullientis sanguinis ardore perpetuisque vigilijs contabescam.

Libellum tuum de veteri Musica nondum recepi, licet flagrantissime concupiscam. Exple igitur cupiditatem meam. Ego interim omni ope adnitar, ne te pœniteat quod me ad familiaritatis tuæ sacra prouocaueris. Vale eximium Italiæ decus, & fugientes Musas porro sistere perge.

Patauij die XV. Augusti M DC XLVIII.

CAROLO STEPHANO LITTAE.
Mediolanum.

MEliori omine quàm valetudine annum inchoanti mihi nihil auspicatius literis tuis accidere poterat: quæ si non membris saltem animo ægritudinem omnem absterserunt. Nam tot iam annis corpore inualido, & cum morborum grege colluctante animus ipse in morbo cubat fractusque ac languens ex putri, ac fatiscente domicilio porro migrare parat, nec metuit. Illud præcipuè ægritudini, ac senio est, quod te suauissimo atque optimo amicorum carendum est, qui si adesses, facile reuocares ad firmitudinem animum, essesque mihi grande vitæ pretium, si ob te vnum vitam ipsam amarem. Quod abunde literis tuis præstitisti, quas tuam vicem non semel osculatus sum. Atque vtinam partim tempestatis inclementia, partim publici labores paterentur, vt te cum patria reuiserem, non mihi Regiæ Nuptę magnos Reges daturæ, non Aulæ florentis, non effusæ in gratulationem Vrbis, quam tuus aspectus iucundior esset. Vni enim nostræ ad suburbanum tuum ambulationi, conui-

ctui vni, dulcibusque fabulis facile Reges omnes ac Cæsares donauerim. Sed Dijs aliter videtur. Quare vale, & viue nostri memor, viue literis ac patriæ.

Patauij ineunte An. MDCXLIX.

IANO ROSENCRANZIO NOBILISSIMO DANO. *Romam.*

TE longe atque eruditæ peregrinationi finem imposuisse impense gaudeo, tuisque istis literariis laboribus, magno vsui atq; ornamento tibi olim futuris, effusissima gratulatione faueo. Quæ tua fuerit in eruenda ab ipsis parietinis, atque sepulchris antiquitate, inque perlustrandis, & adorandis Romanæ maiestatis vestigiis voluptas, satis intelligo, qui tuam eximiam indolem, ac singulare harum rerum studium probe noui, eaque causa intimis sensibus gestio.

Te etiam in conquirendis veteribus nummis, nec segnem, neque incuriosum fuisse mihi persuadeo, ac nobili permutatione exhausta crumena, Musarum loculos vetusta moneta repleuisse. Macte animo Iuvenis Nobilissime patriæ, ac reip. præsidium, curis grauioribus oblectamentum, senectuti viaticum, ac vindemiolas tibi comparare perge. Interim aspectu Vrbis fruere, & ijs propter quæ Vrbs visitur capacem animum imple, & honesta gaudia fatis properantibus rape. Iam te iussa parentis prement, iam patria tui desiderium ferre non poterit. Penates breui repetes, fructumque Italici secessus omnibus etiam supra vota approbabis. Ego vbicumque terrarum fueris, iucundissima tuæ humanitatis, ac virtutis commemoratione ægram mentem permulcebo, tibique summa quæque augurabor. Vale & me vt facis ama.

CHRI-

CHRISTOPHORO VAGHENSILIO V. C. Amburgum.

ADuersa valetudo, quæ me penè ad extrema deduxit etsi nouem Mensium spatio corpus, atque animum acerbissimis cruciatibus vexarit, ac torserit, nihil tamen durius in se habere visa est, quam quod imperioso medicorum interdicto abdicare studia coactus sum, ipsumque cum amicis literarum commercium, quo humanitas constat, veluti eiurare. Vt penè cum flagitio diuturnum silentium mihi excusandum sit. Nunc mitescente hiemis, qua nullam sæuiorem vnquam expertus sum, inclementia, & si dubia adhuc salute, cum primum licuit, desueta, ac prope oblita studia resumere, nihil antiquius habui, quam cultissimis tuis aliquid reponere, & familiaritatis nostræ sacra recolere. Ita enim affectus tui sincerissimi, & singularis eruditionis memoria animo meo hæret infixa, vt ne suprema quidem dies eam deletura sit. Pro quibus officiis ingentes tibi gratias ago, & vt subinde me rerum tuarum quocumque te contuleris, certiorem facias, enixe precor.

Horribilem libellum videre nondum contigit: interim argumentum, & consilium væcors, detestor, atque hanc ingeniorum pestem, & ferali Enyo classicum ad res humanas, diuinasque perturbandas execror, & triumphanti de hac furia magno Bœclero effuse plaudo. Illustrissimum Comitem tuum omni cultu, ac veneratione prosequor, teque in primis literariæ reip. bono, ac Germaniæ ornamento diu incolumen opto. Vale vir doctissime.

Eidem.

NOlim desidia, aut officii obliuione factum putes V. C. quod alteris iam tuis compellor, cum nondum prio-

rum

rum nomen expunxerim. Id partim incommoda valetudine, quæ est protrita defensio, partim redeuntis anni literariis occupationibus factum est, etsi postremæ tuæ nonnisi post mensem mihi redditæ sunt. Puto quæ tua humanitas est, te frontem ad hoc nuntium exporrecturum, mihi tantum viriū superfuisse ex diutino morbo, vt quod penè desperaueram, intermissos docendi labores resumere potuerim, & cum Musis in gratiam redire. Scilicet Dei virtute, contumax ęgritudinis tenor, flecti paulatim, ac remitti cœpit, licet suspecta fides sit, & indutiæ magis, quam pax.

Venio ad primas tuas, & tuum illum vere Germanum cādorem exosculor, nec parem me vnquam referendæ gratiæ fore profiteor, nec in tui cultu atque admiratione cuiquam mortalium concessurum. De Arnoldo gaudio efferor. Quis enim ab tanto viro amari, & haud minimi fieri, non inter maxima numeret? Vtinam veterem officinam ingredi possem, coactiliariam, scilicet, & sutrinam, vt capiti, pedibusq; Quiritium tegumenta aptans, viri doctissimi suffragium ferrem; sed aliis rebus præuertendum est.

Ceterum triste Germaniæ fatum vna tecum ingemisco, & quem exitum tam fœda tempestas habitura sit, non sine horrore, mecum ipse reuoluo, & quæ timoris natura est, deteriora reformido. Quoties iam penè infamem cunctationem, & tardissima consilia repeto, mentesque torpore defixas tacitis conuiciis onero. Sed vrunt domestica mala, & rebus afflictis hinc externi belli turbo impendet, inde Turcica rabies Illyrico minitatur. Sed Dii meliora.

De Isiaca tabula, & Ciceronis libris de rep. si me amas certiora perscribe. Nimium Romana propago visa potens, si Germanorum beneficio opus, argumento, non tantum auctore nobilissimum recipere posset. Apud nos non thesauri, sed carbones eruti sunt: à quibus manum abstinere satius duxi, quod impune, & sine labe tractari non possint. Et tamē reperti sunt hic, & in Vrbe tam obæsa nare, vt eos nobis pro

car-

carbunculis obtrudere conarentur, & pannuceam, ne centonibus quidem dignam, Probianæ purpuræ asserere auderent, non leui nota Italico nomini inusta. Cum ad vos improba merx delata fuerit, puto fore vt frontem feriatis. Tu vale, & hæc foueæ inspira.

FRANCISCO SPARAVERIO.
Veronam.

PErsica mala reddita mihi sunt.

Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris.

Pro quibus gratias agerem, nisi anniuersaria hæc largitio, tam pudorem meum oneraret, quam referendi facultatem adimeret. Vt olim è Perside in nostrum Orbem translata nativum virus mitibus succis mutarunt, ita apud vos consita, cœli solique ingenio, beato sapore, secundis procerum mensis super omnia palati blandimenta expetuntur.

Sed dulciores literæ tuæ fuerunt; & vt illa languentem stomachum, hę nauseantem animum excitarunt. Et si enim in dies meliuscule habeo, nondum tamen confirmata valetudo est, tam pertinax morbi vis, me penè ad extrema deduxit. Ceterum sapidiores, generosioresque fructus, à te, non ipse modo, sed docti omnes expectant, neque improbe flagitant ingenii tui monumenta, quæque tu in isto pingui, altoque secessu diu meditatus es. Noli per fidem tuam literatorũ vota torquere, sed patere, vt qualis quantusque, præsentes noscant, venturi admirentur. Interim Sanctii Mineruam cum Scioppii additionibus accipe, opus quod plus in recessu vtilitatis habet, quam fronte præferat. Nam de vtriusque fama, & præstantia vel tu iudicare potes, vel nullus. Vale, & me ama.

Eidem. Veronam.

CVm omnia de te læta vndique, & ad votum fluentia nuntiarentur, pro mea vetere obseruantia incredibili voluptate afficiebar. Scilicet te demum, vt par erat remp. capessiuisse, ac summa Vrbis lætitia atque omnium ordinum gratulatione, in Collegium cooptatum, ex vmbra in Solem prodiisse, & subactum disciplinis ingenium, rebus agendis commodasse, ac ne tibi soli natus viderêre, patriæ ciuem præstare, lege marita fulcire penates, quique tandiu libris, etiã liberis dare operam cœpisse. Votis impense fauebam, & tacita gratulatione tibi hæc omnia superos fortunare precabar.

Sed nihil est ab omni parte beatum. Tot bonis fortuna inuidit, atque ex transuerso incurrens, parentis tui Viri Cl. morte, totam domum funestauit, tædas maritales, atris facibus, nænia hymenæum, rogo thalamum, summa imis vertit: amicos, & necessarios, meque imprimis luctu, ac mœrori confecit. Nisi ego te probe, pectusque tuum generoso honesto incoctum nossem: ad trita, & decantata doloris lenimenta conuerterer, quibus abstergi vulgo mœstitia solet. Stare suam cuique diem: inexorabile fatorum imperium, surdas parcarum colos, & cetera, quibus plebeiæ mentes ad sanitatem reuocantur.

Hæc solatia imbecillis, & ignauo torpore languentibus admoueantur. Constantiæ tuæ iniuria fuerit, molli manu vulnus pertractasse. Hoc experimento tentandus fueras, hicque vnus fortioris disciplinæ fructus, non succubuisse fortunæ, sed stetisse impauidum, ac velut de genu pugnasse. Philosophemur ergo, idest mortem meditemur, & contemnamus. Ex Musarum complexu, solatia tibi petenda sunt. Nobis merentibus ingens leuamen erit, si te non vltra æquũ dolori indulsisse intelligemus. Vale.

Ei-

Eidem.

E rusticanō ſeceſſu Vrbi me redditum cultiſſimæ tuæ literæ exceperunt: nec minus nitore, atque acumine, quam Regii apparatus deſcriptione, quo Auguſta noua nupta, in Cæſareum thalamum deducta eſt, perbearunt. Erant quidem oculi mei amœniſſimo Vicentinorum Collium aſpectu recreati, quos tam baccata lyæo iuga, quam veterum magnificentiæ decertantia ciuium Prætoria nobilitant. Ibi quindecim dies opimo aucupio, & vt cum Pindaro loquar, uvæ bullientis rore ſpumantibus pateris, ſed præcipuè Propertianorum carminum dulcedine, iucundiſſime exegi.

Cum reuerſo, noua ſpecies obiicitur, ac recenti pabulo lumina reficit. Quæ tu penicillo magis, quam calamo, viuo lineamentorum ductu, ita expreſſiſti, vt rebus ipſis intereſſe viderer: totumque ſpectaculum oculis perfrui. Quanquã iſta tenere me magis poſſunt, quam capere: reputantem incerta rerum, & inania faſtus humani ludibria, & clauſa pagina euaneſcens totius ſcenæ choragium. Audire iſta malo, quam ad ea, vel in proximo viſenda limine pedem efferre. Non tetrica rerum humanarum contemptione, & ſtoico ſupercilio: ſed tædio rerum, & ſatietate, atque impendentis fati reputatione.

Tu igitur fortiter, & ex diſciplina facis, qui iſta literatæ quietis amore contemnere potes: paratus, tot agminum circumſtrepentium fremitum, auro picturatis veſtibus culta mancipia, in ætates, & colores diſtiñcta pædagogia, magnũ luxuriæ certamen, quod cenſum turbat, nepotationem, & ganeam, irritas aulæ ſpes, & peſtifera gaudia, ac mundi famulantis coacta officia, vni ambulatiunculæ, aut eruditæ commentationi donare. Me altiſſimo otio experrectum, tertio ſupra trigeſimum inchoante anno veteri ludo redditum, nouæ curæ, nouique labores reuocant, feſſum, anhelũ, &

& veluti in cliuo ilia ducentem : supremam diem, non expectantem modo, sed optantem: quæ tot stipendiis emeritum è statione dimittat, vitæque semper exercitæ, ac laboriosæ clausulam imponat. Tu interim Vale, & me ama.

CAROLO PONAE.
Veronam.

FEci rem cum tuis virtutibus, tum meo studio congruentem, vt quæ proximè laudi mihi fuerunt, clam te esse non paterer. Fore enim, vt mea & literarum causa impense gauderes, certa fides erat. Tu enim, & parens V. C. qui tibi humanitatem cum ceteris virtutibus reliquit ex asse, semper secundis rebus meis lætati estis: & esse adhuc studiis pretium, & quæ priuatim iacent, dignationem apud Reges obtinere, nullius magis interest, quam qui sic literas colit, vt earum commendatione, in magno apud omnes pretio versetur.

Ceterum quod in laudes meas effunderis, antiquum obtines, mauisque affectui tuo, quam pudori meo obsequi. Sed sicut à laudato viro laudari, vt cum Symmacho loquar, rara est messis ingenii, ita abs te peto, vt tibi peruadeas, & frontem mihi imbecillam esse, & malle à te amari, quam laudibus ferri: etsi hęc amoris intemperantia sit. Tu porro perge, non ægris modo corporibus salutem, sed animis immortalitatem largiri, & vtroq; beneficio Apollinem tuum æmulare, quodque ceteris quotidie præstas, cura vt valeas.

PETRO BASADONNÆ D. MARCI
Procuratori. Venetias.

VIr Amplissime. Nihil mihi debes nisi veniam, quod ingentia tua in publicam rem, ac literariam merita, quibus Orbem obstupefecisti, prophano ore in antecessum, ac ve-

veluti promulsidem, delibare ausus sum. Sed in censu ingeniorum, queîs Veneta maiestas, vltra anni solisque vias porrecta est, cum prætermisisse, inexpiabile facinus fuisset, quo se Venetum nomen ambitiose circumspicit, quoque sospite duraturas in Italia literas, non spes modo, sed voti fiducia est. Ceterum sat mihi superque fuisset, si à publicis curis, atque eruditis vigiliis flectere huc aspectum illum dignatus esses, quo literæ, ac disciplinæ beantur. Sed non ingratum accidisse tibi, hoc qualecumque venerationis specimen, id vero argumentum est, quo deos hominesque vinco. Inde spes mihi largior, atque audacia consurgit, vt ad aram clementiæ tuæ procumbens, eam deinceps professæ pietatis donis cumulem, cui minutas thuris glebas latenter, ac surda manu numeraui. Tu hinc assuesce vocari, meque votis damnatum foue, ac tuere. Vale.

DANIELI IVSTINIANO
Bergomi Episcopo.

NOn hic mihi primus in te fidei, ac venerationis dies. Sed ex quo has oras attigi, genium tuum habere propitium, aut optaui, aut merui. Satis gnarus, si tibi innotuissem, me ceteris non obscurum fore. Inde tu beneficiis, ego obsequio certaui, nominisque tui fulgorem scriptis meis inspersi, mihique inter cultores tuos adnumerari, eximia dignatio fuit.

Abduxit te postmodum à publicis curis sacrorum procuratio, teque à nobis longius seiunxit, neque tamen à studiis deflexit, quorum commendatione pietas tua illustrior, te iuvenem, in ista sublimi Pergamorum specula locauit, vt nõ Orobiis modo tuis, sed populis, ac gentibus, innocentia morumque sanctitate, ita præluceres, vt ad celsius culmen tibi viam superi aperiant, mortales votis damnari exoptent.

Ego interim sacris silentium adhibui, nec ante preces ad-

moui,

moui, quam Regiæ munificentiæ ſpecimen, repræſentandi tibi occaſio affulſit: non ingratum tibi futurum arbitratus, ſi animi tui in res meas propenſionem, grauiſsimo maximi Regis iudicio, confirmari videres. Hoc ego Cræſi diuitijs antepono, & omnium fundos, ac prata contemno. Scis enim me non auri, ſed veræ laudis auarum ſemper fuiſſe. Alioquin Veneta munificentia, quamlibet auidas ſpes explere potuiſſet, quæ nimia etiam amicis viſa eſt.

Ergo opum tuarum non ego cupidus, quæ licet amplæ apud te, extra te tamen ſunt. Sed ingenii tui gazas, ſed Muſarum ærarium, ſed diuites ſtudiorum tuorum cenſus appeto, iiſque locupletari, ac beari præopto.

Ceterum non minus tibi gratum fore puto, ſi intelligas me ſuperûm virtute, commodiore iam valetudine vti, nec pro depoſito, ac deplorato haberi: non mihi ſuccidaneum de quolibet grege quæri: non funebres ludos viuenti parari: non verus Catonis exemplum reuocari, qui ſeruos vetulos, atque inualidos, voci præconis, minime Romano animo ſubiiciebat.

Vitæ reliquum antequam fata diſpungant, totum tibi addictum erit, qui initia, progreſſus, atque incrementa, incredibili humanitate fouiſti. Faxit modo ille ſuperum regnator, & hominum, vt iſtæ tuæ violæ vere ſacro purpuraſcant. Tu enim non tam Sidonia trabea, quam benefaciendo mortalibus magnos Reges æmulaberis. Ego votis minime auarus, te ſemper magis, quam fortunam tuam venerabor. Vale ſacrorum, ac literarum Antiſtes ſumme.

VALERIO CHIMENTELLO,
in Gymnaſio Piſano Rhetori Clariſsimo.

NOminis tui celebritas, magnaque in rem literariam merita, impulerunt me, vt literas è Gallia amœbeas eruditis oculis tuis ſiſterem: eaſque tibi acceptas fuiſſe, id vero gau-

gaudeo, & triumpho: etsi iudicium prolixa humanitate vincatur. Tu illico ærea mutans aureis, insignem de Bissellio commentarium rependisti: quem licet serò redditum, & per id tempus, quo publice docendi munere distinebar, cursim delibaui, resumpturus in manus, cum feriis Natalitiis res in Gymnasio fuerint prolatæ.

In ipso gustu, ac veluti promulside, reconditas literas, profundam eruditionem, sed acre in primis iudicium admiratus sum: simul ætati nostræ, nostræque Italiæ gratulatus, à qua pedem hæ literæ sublatis sarcinis ad exteros commigrarunt. Bonum factum, quod Mediceorum cura postliminium cogitant, à quibus olim sedem isthic, & domicilium fixêre. Tu strenue eas Italo Cœlo assere, atque ad vetus contubernium reuoca. Ceterum quæ mea sit de toto opere sententia, tunc proferam, cum illud, à calce ad metas percurrero. Vellem tamen nobiliore argumento, tale ingenium, atque eruditionem exercuisses. Vt vt sit, non tu bisellii, sed primæ curulis, in qua ciuica literaria sit, honore dignus es. Ego etsi solocem tunicam meam, lato clauo illuminaueris, in subsellio fautor, vtroque tuum laudabo pollice ludum. Vale, & doctissimos Datum, & Redium à me plurima salute imperti.

IO: BAPTISTAE BECIO
Monacho Cassinensi.

PAter optime. Anagrammata tua non sine voluptate perlegi. Nam licet plus habeant dignitatis in recessu, quam fronte præferant, labor tamen vix credibilis in oculos incurrit, teq; in leui opificio, operosissime ludentem reddit admirabilem. Quippe ingeniosus artifex, & literarum formator literatissimus, dum nigellas Cadmi filias, furuæ sepiæ ductibus fingis, ac refingis, variisque modis inflexas cõtorques, & implicas, nexasque resoluis, hinc inde transfers, nouaque sensa nominibus daturas, in aliam sedem migrare

Ec iubes

iubes non inuitas, admirando opere procerum laudes concinnas, eximiam tibi laudem sine æmulo comparas. Me quoque principibus permixtum Achiuis, non sine rubore cognoui, dum quæ tua humanitas est, aureas notas, ex rudi ferro procudis. Itaque te mihi parcius commendandum sentio, ne laudem fœneraſſe videaris. Quocumque modo nomen meum, vocum arbiter, fingas, & inuertas, constanter sonabit ac referet.

Tui obseruantisſimum
Octauium Ferrarium.

MARTINO FOGHELIO.
Amburgum.

CVm singularis humanitas tua, multis, ac magnis officiis mihi perspecta, & cognita: tum minime vulgaris eruditio, ita animum meum, cum apud nos degeres, ceperunt, vt nulla temporis diuturnitas, aut locorum interuallum, tui memoriam sint deletura. Quæ res impulit me, vt dissertationem de Lucernis sepulchralibus, tumultuaria opera conscriptam, milleque lituris interstinctam, ex ipsis Aduersariorum schediis tibi communicarem, quod à me nullus antea potuit impetrare. Fretus scilicet candore tuo, ac mihi persuadens, fruiturum te in sinu, qualicumque labore, neq; eius copiam cuique mortalium facturum. Quippe cui nondum extrema manus acceſſiſſet, multaque ad incudem reuocanda, non pauca atroci stylo fodienda, mutanda, transferenda: cui denique ipsa dies, quo curæ hominum meliores fiunt, plurima additura eſſet, aut demptura, vt tandem cum aliis lucubrationibus publici iuris facta, superbæ auris fastidium ferre poſſet. Scis enim aliud eſſe, rudi, atque otiosæ iuventuti verba facere, aliud morosam lectorum censuram subire, seculo præsertim erudito, auribusque subactis. Quare ne mihi quæso succenseas, si in hoc tibi morem gerere nequeo,

in

in quo existimationis meæ, veluti capitis summa vertitur. Teque rogo, atque obsecro per amicitiæ sacra, ne cui eam despondeas, sed crudam, viroque immaturam, claustris, & sera cohibeas. Verum quoniam virum mihi amicissimum eius desiderio teneri scribis: si is est, vt opinor, Amplissimus Capellanus, cui me vsu, & mancipio addictum profiteor, spódeo fore, vt breui eruditissimis eius oculis subiiciatur, ipsiq; propria dicetur. Librorum, quos indicas nullus mihi cognitus, vel auditus est, quasi in Lybiæ desertis, non in Vrbe studiorum matre degamus. Vale & me vt facis ama.

IO: COLBERTIO SACRARVM Largitionum Comiti. Lutetiam.

QVod te sequestro, & auspice, Rex Optimus Maximus, aspectum illum, quo non Galliæ modo, sed cuncta terrarum refouentur, huc flectere, ac tantæ maiestatis radiis peregrinum hominem perfundere dignatus sit, gaudii magnitudine fatiscens, fortunam meam non satis capio; ac veluti dulcissimo somnio circumamictus, vix mihi credo, vix tibi, cui summus æui regnator, res suas omnes credit.

Quippe ab eo, cui pacatus Orbis se totum debet, ac deuouet; cui paternus fulgor, atque auitum sydus, minima pars claritudinis est, qua intra iuventam, præradiat. Ab eo inquam, qui tam vasti Imperii mole, totque regnorum curis districtus, humano generi fata dispensat, in angulo Musis operantem non ignorari, rarum in primis, & magnificum. Si eadem Superis æqua potestas, cui Oriens, atque Occidens fasces submittit, serena templa supplici recludat, seque religiose adiri, atque adorari permittat, summa votorum, atque inuidiosa felicitas.

Sed vltrò compellari, vltrò in spem clementiæ adduci, & inusitatis Regiæ munificentiæ exemplis prouocari, atque obrui, supra omne votum est: & cum spem ipsam pene impro-

bam reddat, id tamen totum tui muneris est, qui mihi sceptra, Iouemque concilias, non magnorum post bella gigantũ, ægide, manuque corusca terribilem, sed placida maiestate, ac vultu, quo Cœlum, tempestatesque serenat.

Tuam ergo fidem, Heros inclyte, appello, vt me trepidum, ac beato fulgore præstrictum, non contra tueri, non hiscere audentem confirmes, Regiisque vestigiis aduolutũ, rite vota concipere permittas, ac veluti sacramentum præeas, quo legitime auctoratus, corpus, & animam Regum maximo addicam, Deos, hominesque testatus, fide, ac pietate in Dominum, me nulli mortalium concessurum.

Tuo ductu, atque afflatu, laureatos tripodes mouere, ac meditatum carmen inferre puluinaribus audebo, & Gallicis oloribus Regias laudes modulantibus interstrepere. Nam Regis Parens, atque Avus, duo fulmina belli, mihi iis libris dicti sunt, quibus res huius æui composui. Nondum tamen adytis successi, nondum sacris manus admolitus sum. Nunc te tuos præbente Diuos, ad id quod summum est proxime accingar, atque in vno vota omnia coniungam.

Hæc timidè apud te, summe Virorum, de te autem aliàs, cum Deo, si non fastidis Italum hominem inter cultores admittere. Rarum seculi decus, in quod Cœli istius pars grauior incumbit; qui sacrarum largitionum Comes, ea fide, ac diligentia sanctius ærarium, ac regni Cimelia, belli, pacisq; neruos, rerum summam dispensas, ac temperas, vt quantũ luxui, ac prodigo nepotatui detrahitur, tantum ingeniis, Musisque fouendis, inusitato exemplo, erogetur; neque vnquam exercendæ munificentiæ instrumenta, vel profusissimo desint; Rex quę Euergetes, perpetuo mortalibus benefacere, tantundem velit, & possit.

Sed quantò tu ad sacros census attentior, tanto generosius nobiliorem gazam, Musarum Quæstor, priuatis opibus instruis, & clarissimorum ingeniorum monumenta vndique contrahendo, Bibliothecam publicam rem facis, tot secu-

seculorum memoria dignus, quotquot ibi immortales animæ, beneficio tuo loquuntur. Vale.

Patauii IV. Cal. Maii MDCLXVI.

IOANNI CAPELLANO REGIS Consiliario. Lutetiam.

QVum singulari, ac propè diuina Regis maximi, & clementissimi munificentia, nihil mihi in vita optatius, atque honorificentius accidere potuerit; cumque hoc donũ, non præmium, amplissimo testimonio cumulatum sit, cuius ego honestamentum, vel regiis muneribus antepono, me nulli mortalium, plusquam tibi debere intelligo, cui totum hoc, quo ne maius quidem à Superis expectari potest, acceptum fero. Cuius felicitatis æstimatione mens hebet, torpetque, quod tantus Vir, amplissima dignitate præditus, sapientiæ studijs, & carminum gloria inter primos æui, non modo tenuitatem meam respexeris, sed inexpectato gaudio perfuderis, & bonus quidam Genius, veluti astrum temperans, ea præstiteris absenti, vt si officia, non animum, ac voluntatem remetiamur, moriturus sim ingratus.

Nam quoties triennium illud retracto, quo in me tuendo, atque ornando beatissima suffragatione, pertinax tuus fauor excubauit, rubore suffundor; & cum me totum excussi, eo loco positum intelligo, quo magnitudine æris alieni obruti, illud sola nominis professione redimunt.

Postquam igitur diu frontem perfricui, ad nouum hoc, & beneficum sidus oculos vertens, cunctanter, & trepidè regias laudes, prophano ore concipere, & si non publicæ expectationi, saltem pietati satisfacere, in animũ induxi. Quamuis enim monumenta, quibus res huius æui posteris trado, Rex incomparabilis rerum gestarum maiestate impleturus sit, atque ab Henrici Magni extremis labor noster auspicatus, exacto per longas moras Diui parentis regno, Principis,

omnium Scriptorum ingenia defatigaturi, rudimentis hæsurus, ibique desiturus, vnde ille incipit: quia tamen spissum opus est, & lenti moliminis, fert animus pauca carptim delibare, atque in antecessum dare, & attonitæ venerationis cultui proludere.

Tu Delie mentem inspira, tu ad Sacrarium digitum intende, præcipua quæque delibans, in quibus olim Historia se exerceat, ac summa regiæ laudationis fastigia transmitte. Erant quidem alia in manibus, vt libri Electorum, qui prope extremam manum receperunt; Origines linguæ Italicæ, quarum editionem id vnum moratur, quod idem argumentum ab viro Clarissimo isthic pertractari intelligo; Notæ in Pliniũ, quarum tamen vix tertia pars peracta est. Sed post habitis omnibus, huic negotio præuertendum est; ita tamen, vt nullam occasionem amplissimi nominis tui, atque ingentis humanitatis celebrandæ prætermissuri simus, cuius nutu, atque instinctu impellimur, supra quam valemus, sed infra quam cupimus, ad eum efferendum, qui aut abs te vno digne laudari potest, aut à nullo. Vale Vir, quantum est hominum in terris spectatissime. Patauij XV. Cal. Maij MDCLXVI.

ANTONIO BESQVIO.
Lutetiam.

SI, quales à te mihi nuper redditæ sunt, interdum epistolæ commearent, verborum parcæ, auri profusæ, melius vtique literarum studijs, melius ingenijs cõsultum esset; hac præcipue, quæ nunc seculum tenet, parsimonia, qua restrictior in dies, atque ad rem attentior procerum quorundam animus, tantum admirari, tantum laudare disertos nouit, verbaque verbis rependere; nec multum illi solliciti, quid ad sexcentos annos de ipsis historiæ sint prædicaturæ.

Sed seculi pudorem Hercules vester absoluit, qui pacato Orbe, tam regia, ac militari facundia, quam aureis cœlestis lin-

linguæ nexibus, ac lentis vinculis deuinctos mortales trahit, & ab extremis terrarum finibus, in sui cultum attonitos rapit, atque, absit verbo inuidia, cum obscuris hominibus, soloque ingenio censis, immortalitatem negotiatur.

O igitur, non suaues modo, sed plane aureas literas tuas, non atramento, sed radiante metallo exaratas; nec tam salutis, & felicitatis nuncias, quam ministras, atque effectrices! quibus euangelia, quæ reddam nescio: nam aurum verbis mutari, tam insulsum est, quam verba auro expendi, Regium. Salue igitur, principalis munificentiæ instrumentum, & portio; quæ quidem eo cumulatior accedit, quod per hæc, tanto Viro innotuisse, atque ab eo non laudari solum, sed etiam amari, instar thesauri duco. Perge tu ita scribere, vt omnes de Rege maximo loquantur, & scribant. Vale.

Patauij IV. Cal. Maii MDCLXVI.

IOANNI COLBERTIO SACRARVM largitionum Comiti. Lutetiam.

HAbent hoc Reges magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies, prodesse miseris, opemque poscentibus non abnuere. Sed Rex iste Regum, omnibus omnium gentium Regibus inusitatæ claritatis fulgore tenebras obducturus; cui nihil hodie est simile, aut secundum, ad cuius aures priusquam ad Deos spes, votaque sua mortales conferunt, hoc habet diuinum, vt ne preces quidem expectet, nec se rogari sustineat, sed spes anteuertat, vota præcurrat, & vt sic dicam, vltro prenset, atque ambiat, in quos cœlestis munificentiæ sinum effundat. Metuit ne diem perdat, aut aliquod sibi momentum, de humano genere benemerendi elabatur: munera muneribus auget, beneficia beneficiis cumulat, non offert bona, sed stupentibus ingerit, nec tam cum superis beneficentia contendit, quam cum hominum cupiditate decertat, vtrum illi plus expetere, quam ipse di-

largiri possit, vt initium nouæ liberalitatis sit consummatio prioris, nec vnquam largiendo defatigetur, nisi cum cessauit.

Quæ quidem immortalis liberalitas, iam se domi non continet: sed tam vasti imperii limites transcendens, in alio Orbe quærit quibus Regem probet, atque vt Homericus Iupiter longe operatur. Nam qui sæuissimis bellis terra, marique compressis, pacem Orbi, vel inuito donauit, pacis opus, & fructum literas ac disciplinas, ab interitu vindicans, non reliquos modo Principes terrarum dominos, quos spectatores magis habet, quam æmulos, animi magnitudine vincit sed se ipsum.

Ego quidem humili fortunâ, musarum secreto abditus, non ita pridem, te duce atque auspice, in ora hominum productus, regiæque munificentiæ exemplum Orbi ostentatus, tantæ felicitati impar, adhuc attonitus hærebam: nondum animum collegeram, nondum ruborem absterseram, nondum oculos beatissima luce præstrictos attollere audebam, quum nouo congiario locupletor, & nondum vertente anno iterata largitione obruor. Ita maximo, atque inopinato gaudio perculsus, non vocem modo, sed penè mentem amisi. Præsens tamen Numen intelligo, eiusque instinctu afflatus, victricem dexteram, quæ res humanas temperat, procumbens adoro.

Accedit pretio rei inæstimabile momentum, Augustæ vocis literis tuis redditæ: quo nullum certius, sanctiusque Oraculum Delphica cortina vnquam habuit. Summo huius ęui regnatori, maximis bellis feriato, id vero vnum cordi esse, eam dies, atque noctes versare curam, & coquere, vt constituto Musarum patrimonio, his auctoramentis excitentur ingenia ad excolendas literas, quę nudę atque inopes, totoque Orbe profugę, Diis, atque hominibus inuidiam faciũt.

Audiant hoc, quibus literarum cultores, despicatissima seruientium pars habetur, quibusque supina posteritatis securitas,

curitas; & nouissima infamiæ voluptas est. Sed alia est ista materia, & suo parata secreto. Ego hic tanto verbis parcior, quanto ille factis profusior.

Et quisquam post hac, non agitabitur his stimulis, his facibus non exardescet, non omni studio contendet, non omnes animi, atque ingenii vires profundet, vt literarum statori, ac sospitatori, non calamum modo, sed spiritum impendat, & vitam in opere ponat?

Quid ipse præstare possim non video, virium modicus, & ingenii, vulgi pars vltima nostri. Illud persancte polliceor, adnisurum me omni officio, ac potius pietate, ne tot beneficia ingrata habeam, atque irrita. Tu quidem Regium munus verborum honore prosequeris, currenti stimulos addis, neque tanto oneri imparem me fore iudicas. Quod ego iudicium muneri antepono. Dum iudicas, bonum reddis. Itaque minimo minus me tibi debere, quam Regi profiteor, qui vt immensum Regi deberem, effecisti. Quanquam ne id quidem debetur, quod persolui non potest. Ceteris mortalibus ita demum ratio constat, si datum & acceptum paria faciant. Regibus, quique Reges proxime contingunt, quemadmodum Diis, vna expensi pagina est, neque in creditum eunt, quibus sola largiendi gloria relicta est.

Ausus tamen ego sum, adeo frontem perfricui, pauxillum quid de ratiuncula subducere, & χρύσεα χαλκείων, aurea dona raudusculo rependere. Hoc est pro flauente metallo, ærea veterum numismata, atque adorandæ rubiginis reliquias, custodes cinerum lichnos, erutas bustis faces, quondam vmbrarum solatia, & id genus non totius assis friuola, & scruta Cimeliis tuis admetiri. Sed pretiosa fiunt, quæ templis inferuntur: & ipsa augusta Cęsarum ora, sacri vultus, radiata capita, muneris tenuitatem excusabunt, apud eum, qui Regum opes animo ęquat, sicut Regum maximum obsequio, ac fide fulcit, consilii pręstantia moderatur. Vale.

Patauii VI. Cal. Aprilis MDCLXVII.

AN-

ANTONIO BLANCHIO PRIVATARVM COMITI. *Lutetiam.*

TOt tantaque Rex vester, extremus naturæ conatus, & reliquarum virtutum fulgore superis simillimus, literis, earumque cultoribus quotidie tribuit, vt mihi beatiores illi esse videantur, qui diuina penè eius liberalitate fruuntur, quam ipse, qui illis tam multa concedit. Ego quidem repetita largitione, superfluentibus bonis, vsque in inuidiam felix, Cœli conuexa tetigisse mihi videor, nec vltra superos lacesso, altissimo eius iudicio beatus.

Sed Regio muneri, ingens à te dignatio accedit, qui Iouis interpres, ac fati melioris minister, non adytis responsa profers, sed de inexhaustæ munificentiæ fonte bona mortalibus, quantacumque humana mens concipere potest, æmulus Heri, dispensas. Tu quidem priuatarum Comes, in ædificia, & Regias substructionum moles, sumptus suppeditas, quæ tandem situ putria tempus edax rerum, atque inuidiosa vetustas conficiet; sed ingeniorum monumenta, in quæ sacri census, tua diligentia, profusius erogantur, durabunt inuicta, ac largitoris nomen, in omne æuum sacrabunt. Nos ergo aureis codicillis tuis, nonnisi vota rependimus, quæ rite suscepta, tu tãtæ Maiestatis vestigiis obsignabis. Vt istud naturæ miraculum, diu mortales votorum damnet, diu rerum humanarum fastigium tueatur, diu demerendis ingeniis mentem, ac nutum præbeat, tu manum. Vale.

IOANNI CAPELLANO. *Lutetiam.*

QVi nouis Augustæ generositatis incrementis ditatus, nec ingratus beneficiis, sed oppressus, Regum maximo, quique Regis maiestatem proxime refert, grates, si non per-

perſoluere, ſaltem animo concipere auſus ſum: quoties ad te, Fortunæ Obſequentis Antiſtitem, reſpexi, neque verba reperio, neque cogitatione aſſequi poſſum, quo pacto, non dico paria faciam, ſed novum hoc nomen diſpungam. Quiq; artem dicendi colo, tradoque, nunquam me infantiorem memini, hærenſque, ac defixus, vltra ſilentium imputo. Modica gaudia loquuntur, ingentia ſtupent.

Immò, vide hominis confidentiam, né conturbare cogar, foroque cedere, ac vadimonium deſerere, à te ingentium beneficiorum fœneratore, reſcribere decreui, neque Deũ, ſed vnum te, Regi, & illi quem Rex, ſupra ceteros extulit, debitorem delegare. Tua prolixa humanitas, me in has anguſtias coniecit, atque ære merſum, prope ad columnam Mœniam impegit. Tu ergo labantem fidem ſuſtine, ac fugientem ex Vrbe pudorem retrahe.

Sed quanta Regio muneri apud nos acceſſio facta ſit, vel inde ſcias licet, quod tuas, & magni Colberti literas, legêre Veneti proceres non pauci, lectaſque enixe commendarunt, ſic vt mihi quoque ex illis, non leuis commendatio acceſſerit. Nam etſi Auguſti patres, plus meritis ſemper tribuerint, his ærarij anguſtiis, inuſitato honorario, tenues labores proſequuti: viſi tamen ſunt iudicio de me ſuo fauere propenſius, ac pluris aliquanto me facere, & ſit venia dicto, ſibi iam placere, quando illi non diſpliceam, cui placuiſſe, ipſorum Regum ambitus eſt.

Sed profuſam Regis clementiam, ieiuna quorundam parſimonia, ac minuta diligentia reddit gratiorem. Quippe laudaui ego quendam Lamiarum de gente, eumque Pellæo Regi, tantum non antetuli. Verum ille magnus, à me præconiis ornatus, puſillo admodum animo egit; Nam cum illi laudatio oblata eſſet, legit eam non incurioſe, lectamque laudauit, ſed cum benefacere poſſet, maluit benedicere. Credo ne triparco illi ſeni Plautino abſimilis foret, cuius verba meminiſti.

Niſi

Nisi subuenisset coruos, peryssem miser.
Nimis hercle ego illum corvum ad me veniat velim,
Qui indicium fecit, vt ego illi aliquid boni
Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim.

Sed ille me ad coruos, rectà: qui laudationem cruce remuneratus est. Quare liceat quæ paulo post sequuntur subiicere.

Pici, diuitÿs, qui aureos montis colunt
Ego solus supero, nam istos reges ceteros
Memorare nolo hominum mendicabula.

Ceterum vt amoto ioco binis tuis aliquid reponam: sedula cura tua, ac singulari industria, libros meos Transtiberina merce obrutos, vbi fortasse melius latuissent, veluti è sepulchro erutos impense gaudeo, & summo virorum Colbertio acceptos fuisse, id vero triumpho. Eorum cum bina essent exemplaria, altera tibi destinata erant, vt laureatis penatibus tuis inducta, summum dignationis consequerentur.

Porro lucernas sepulchrales, sigilla, & id genus eruditæ antiquitatis reliquias, sed præcipuè veteres nummos selectioris notæ, ex paupere Musarum suppellectile delibatos, intra arculam conieci, eamque bene compactam, & cerato tegmine munitam tradidi P. Rochæ tabellariorum magistro, qui pollicitus est, daturum se operam, vt nulla interposita mora ad vos perferatur. Sed per genium tuum rogo, atque obtestor, vt audaciam meam, ne dicam temeritatem apud Colbertium excuses.

Quod ad Panegyricum attinet, cum non parum in eo progressus essem, manum de tabula tollere, ac veluti interiungere, coactus sum, dum publice docendi munere perfungor, quod me sibi totum asserit, neque alia curare patitur. Quanquam non paucæ aliæ occupationes, molestæ magis quam seriæ me quotidie exercent, ac distinent, molli scilicet fronte, nihil amicorum postulatis, vsque ad ineptias intempestiuis, negare audentem. Vbi proximis feriis res prolatæ

latæ fuerint, & literarium forum refrixerit, hoc vnum agam, vt quæ affecta sunt, absoluam: neque me inde nisi re completa auelli patiar, ac vitam prius, quam opus deseram. Sed argumenti maiestate attonita mens trepidat, torpescit, & calamus, iamque plane animum despondissem, nisi me Regiæ clementiæ spes, & tua grauissima monita confirmarent.

Delychno nuper Romæ effosso nihil adhuc certi compertum habeo, vtrum inexstinctus tot secula perennauerit, cum vix oculis meis in tanto miraculo crediturus sim. Cuius causam à me alias accipies. Sed viraginem tuam impatienter expecto, illi propitias auras, ventosque secundos precor. Tum ego Palladi Iouis vertice editæ sacra feram, & supplex aris honores imponam: legamque attonitus

Carmina quæ possunt oculos, auresque morari

Gallici Herculis Musagetæ. Vale mi sol, & me perpetuò foue.

Eidem. Lutetiam.

TEnues libelli, curta Musarum suppellex, quamuis euocati, ad vos cunctanter accedunt, ac veluti cœco carcere educti, ad Solis iubar caligant, ac subinde latebras circumspiciunt. In quo malui iussis tuis, quam pudori meo obsequi non sine spe fore, vt eos in Colbertij, cuius maximas ingenii vires, magna fortuna non onerat, Theatrum inducas, extrema cauea sessuros: nec Bibliothecam modo tuā, sed pectus istud ingenio, atque humanitate plenum iisdem aperias. Non quidem vt oculis tuis, quibus nihil eruditius Gallia habet, se dignos putent: sed vt in turbam coniecti, capite censeantur. Id ego consecutus digito vt aiunt, supera conuexa tangam. Tuum erit apud Virum amplissimum audaciam deprecari, & in mea culpa ignosci tibi postulare. Duplicia exemplaria, vt vtrique vestrum deseruiant: nisi quod pars prima Prolusionum sola reperiri potuit: sed breui vt spero recudetur. Scire velim, num idem vir summus, qui con-

contrahendis magnorum ingeniorum monumentis, grandē celsumque animum, vltra commendationem omnium protulit, etiam veterum Numismatum studio teneatur. Alterum quod te oratum, atque exoratum cupio, nisi impudens postulatum videtur, vt Regis maximi effigiem, sacros mihi vultus transmittas, vt sereno aspectu, non in singulos modo dies, cultus, ac veneratio augescat, sed proximo afflatu mēs trepida Numen concipiat, eoque incalescens, id instar reddere conetur, ad quod futuri Principes exigantur, simul vt veluti speculi repercussu, imago tua venerabilis oculis meis perpetuo obuersetur. Vale.

Eidem. Lutetiam.

NOn satis exprimere possum, quantum me literæ tuæ beauerint, omnibus humanitatis, & eruditionis notis insignes. Nec quod prius admiratus sim: blandam, & melle dulciorem orationem, sententiarum acumen, lepôres, ac veneres, & pectus sapientia plenum? Ain' vero te dum Regis maximi rerum gestarum breuiarium conficis, aliquid Italica lingua effutire conatum? ego vero sic censeo, omnia tam pure ac nitide perscripta esse, vt te in media Etruria natum iurare possim, tuamque vt appellas balbutiem, disertissimæ orationi antepono. Et quod de Cæsaris commentariis Tullius pronunciauit, esse dissertationem tuam, vt oportuit nudiusculam, & rem fortasse gratam facturum te illis, qui volunt eam calamistris inurere, certe sanos homines à scribendo deterrere. Neque vero Augustam imaginem delineando rudi colore telas imbuisti, sed cuncta tam apte, tam concinne, & feliciter formasti, vt hanc Apellis Venerem, nemo perficere ausit. Regia plane oratio est, de Rege incomparabili, atque vt iste Alexander κεραυνοφόρος ἀνίκητος est, sic imago quam dedisti, ἀμίμητος. Quid ergo mihi reliquum est, nisi vt verbis inuertam, & vestigia tua, quæ pre-

mere

merè non possum timidè venerer.

Quæ de studiis meis adscribis acceptissima sunt: De Historiarum monumentis alias cum cura perscribam. Quod ad origines linguæ Italicæ attinet, vereor, vt tam breui, quam cuperem eas publici iuris facere possim. Sicut enim opus ad calcem perductum est, quod multi hîc & ciues & exteri viderunt: ea tamen est mole, vt describere pigeat, nec vacet, in tot morosis magis, quam magnis publicè profitendi, atque officiorum occupationibus. Cum præterea omnis festinatio sera futura sit, nam V. C. isthic qui in eodem argumento versatur, prima operis folia adhuc à prælo sudantia Florentiæ visa accepi. Quare occupari locum patienter feremus, & aut spicilegium meditabimur, aut idem spatium decurrere nulla inuidia fuerit.

De notis in Plinium vix vlla spes posse ad vmbilicum perduci. Nam ætas mala est, & in extremas metas præceps, morborumque cohors aurem vellit. In Regis laudatione ponere vitam votum est: neque vltra vita opus esse existimo.

Extremum de fragmento Hypobolimæo, quod postulas, insignitam mihi iniuriam faciunt, qui sibi persuadent, me illud pro genuino fœtu habere.

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.

Genium tuum iratum habeam, nisi totus rubore perfundor, quoties cogito fuisse, qui hoc crederent, aut quasi in puerorum secula incidissent, id monstrum alere non dubitarent. Fœtum iratis Musis editum, nec Deus mensa, nec Dea dignata cubili est. Nec est tanti plura adiicere: sorex indicio suo periit. Tu vale, & me ama.

EPI-

EPISTOLÆ NVNCVPATORIÆ

Aliorum nomine ſcriptæ.

VRBANO VIII. PONT. MAX. Lucas Stella Epiſc. Patauinus Fel.



Ibi Pontificum, vatumque maximo Patauinæ Muſæ venerabundę procubuerunt, cum mihi noui Apicis decus gratulatæ ſunt. Totum enim id tui muneris erat, tuis auſpiciis, teq; tuos præbente diuos feſſis rebus ſubuentum fuerat. Tui muneris etiam eſt, quod ſpiro & placeo, vt cum Romano Pindaro loquar: ſi placeo, tuum eſt. Itaque auſus ſum has clarorum virorum ſymbolas Barberinæ domus ſacrario proprias dicare, ac veluti in ipſum diuinitatis penetrale irrumpere. Nam licet in excelſo rerum humanarum faſtigio poſitus, ingens vbique trepidanti occurreres, victuriſque æternum carminibus profundo ore ruens, non tam Imperii quam ingenii faſcibus ſubmoueres, te tamen, poſito terrarum moderatore ſupercilio, huc deſcenſurum ſpes erat, quod eadem facilitate Orbis, ac Muſarum regimen pertractes. Nec ſine cauſa in gentilitijs Apibus tuis earum Regi natura aculeum ademit, ſolum reliquit nectar. Iis apibus vndique decerptos flores, vile pabulum, ſed non ingratum afferimus: quandoquidem eædem ſæpe roſâ lilijſque tranſmiſſis, pallentibus violis florumque plebi adhæreſcunt. Præſente quidem mercede, quòd quibus inſedêre, mellis odorem inſpirant, & breui contactu vim ſui relinquunt. Flectas modo huc tu aſpectum illum, quo cuncta ſerenas,

renas, ac cœleſti rore breue diei ſpolium fœcundes. Tunc nemo vates Phœbum, ac Cyrrhæa ſecreta ſollicitabit: te vnum pectore excipiet.

Tu ſatis ad dandas Romana in carmina vires.

Vale Patauij VI. Cal. Nouemb. An. M DC XXXIX.

BENEDICTO SILVATICO
Franciſcus Bolzetta Typographus S. D.

HErculis Saxoniæ victura ſeculis monumenta in Ampliſſimo nomine tuo publicam olim lucem aſpexêre, nunc recuſa denuo, doctorum oculos ſubitura, ab eodem nomine ſibi commendationem parauerunt. Quod enim aliud illuſtrius optare, frontique præfigere poterant, quam cuius fama ſtrenuè orbem peruagata, cùm plurima prædicauit, minor tamen vero eſt? Hac vitæ breuitate, quæ vix in lucem editos letho applicat, & natalibus funera coniungit, nulla penè dies eſt, qua ſalutem ægris mortalibus dando, anguſtas æui moras non extendas, & contra fatorum imperium depoſitos iam, ac conclamatos ab extrema meta reuoces; Quodque maius eſt, id alios doces, quod penè ſolus præſtare potes. Itaque vt olim Epidaurum, ſic ad te hodie vniuerſo orbe concurritur, nemoque iam Aeſculapio, aut Ioui, ſed tibi incubat, vt ſaluti non per ſomnum reddatur. Exteri quoque Reges, ac Principes ad te preces flexerunt, quoties obſequij indociles morbi puluinaria ſcandentes, ſceptris ac purpuræ non pepercerant, ſpemque Regni, ac populorum vota tuæ fidei commendarunt, quæ vſque in inuidiam felix fuit. Ne hîc interim ignobilia capita tangam, quorum cenſum quotidie Libitinâ auertis. Quæ non inde Europæ Academia, te ampliſſimis præmiis euocauit, decuſque hoc magnum Imperio Veneto, Vrbique noſtræ non inuidit? At poſtquam tu Reip. Auguſtiſſimæ, ac patriæ priuata commoda antehabuiſti, Germani, Belgæ, Angli, Sarmatæ, ignotæ

quoque gentes Oceano, iugisq; Alpium seclusæ, hoc in Italia oraculum quæsiuêre, frequentantque quotidie mirabili concursu, non secus ac olim ad popularem tuum Liuium visendum ab extremo orbe conuentum est. Adeo siue hanc artem seruandi homines doceas, siue exerceas, in vtroque summus es, vbique admirandus, nusquam tui dissimilis. Nec vlli magis rei hanc Patauini Gymnasij florentissimam externæ iuventutis frequentiam, quam nominis tui celebritati debemus, sicut innumeri mortales tibi spiritum debent, ac lucem. Sic te Diua potens Salus respiciat, quæ nos ope tua semper respexit, in quo patriæ huius, ac celeberrimæ Academiæ spes sitas, ac collocatas videmus. Vale, vt nos quoque valeamus. Pataouij à die v. Septem. MDCXXXVIII.

IOANNI DOMINICO SALÆ
Franciscus Bolzetta Typographus S. D.

SI quis ex Patauinæ nobilitatis flore optandus mihi fuit, cuius nomine operis huius vestibulum augustius redderem, is tu profecto eras, cuius maiores ante quingētesimum annum noti celebresque splendore, ac dignatione cum principibus certabant. Quorum magna pars Astreæ, Antistites continuata diu potestate de fortunis ac capite ciuium cognouerunt: ex quêis Paganinum Baldi æqualem, & æmulum ætas illa suspexit. Alij castra secuti magnis legionibus imperitarunt. Non pauci ad aulæ genium facti, Principum negotijs immixti, paresque fuerunt: inter quos Paganinus alter, de quo Austriaci, ac Carrarienses diu ferro disceptauerant, togatus composuit, & recepta Taruisio, duas præterea Vrbes à barbaris redēptas, Italo Principi redonauit. Quæ gens inde patriæ fastos toties impleuit, & per longas honorum paginas lætius cucurrit? At tu Deorum beneficio diuersus à maiorum instituto, in altitudinem sapientiæ conditus, artem seruandorum hominum exercere maluisti. Quanto præclarius

san-

Sanctiusque est mortales Orco eripere, quàm per longas ambages, foriq; tricas & iurgia miserorum fortunas vexare: aut Martis studio hominum laniena, fusoque cruore inclarescere, aut demum aulæ lubrico nutantem per fraudes, ac superba fastidia magnæ fortunæ periculis caput obiectare. Macte virtute: hoc argumento maiores tuos vicisti, superos æquasti. Quippe fatis non semel intercedis, manium iura rescindis, hacque turba languentium, ac funerum densitate, tantum non feretro mortales deripis. Sic remotæ quoque gentes ad te vota vertunt, quoties morbi aurem vellunt, & per ignota maria ad opem tui vimque præsentaneam accurrunt, atque vt sic dicam tibi prius quam cœlo preces delegant, pœneque genua incerant. Reges ipsi, ac Principes, mortis arbitrio terribiles, submittunt fasces tibi, quoties fatorum satelles virga fores pepulerit, maiusque Imperium pauere docuerit. Ita cum superis pœnè ex æquo compositus, genus humanum tibi deuinxisti, vetera artis miracula renouando, quæ iratum fulmen elicuisse creduntur, quodque maius est, artem ipsam propagando, eiusque arcana non inuidendo iuventuti, quæ florentissima ex toto Orbe, alioq; Sole ad te confluit, & stipata Gymnasio, ex ore tuo venerabili pēdēs, re an oratione maior sis ambigit, vtroque incomparabilem prædicat. Iamque nemo pro se aut liberis, sed pro capite tuo vota nuncupat: te incolumi sospites sese fore cuncti sciunt. In quo voto ipse desino, & Anatomicorū principem tibi Medicorum facile principi, meque ipsum commendo. Vale publico bono.

Patauij à die XX. Octobris MDCXLI.

IO. BAPTISTÆ SONCINO. Pisas.
Dominicus Ricciardus Bibliopola. S. D.

ETsi perincommode accidit, vt florentissima isthæc Academia te nobis inuiderit, princepsque hoc Gymnasium desiderium tui ægre admodum ferat: illud tamen solatio est,

quod non totus excesseris, sed meliorem tui partem reliqueris, rectè factorum memoriam. Recens adhuc animis omnium obuersaris, nec semel occurris, καλοσῆι, μεγασῆι. Erudita voce tua adhuc aures personant : & siue Gymnasium cogitamus dignum, te ipso Theatrum, siue ægrorum vota, spesque raro delusas, quod amantibus accidit, recursat imago tua, & solatur mœrentes. Subit recordatio, quanti ad te audiendũ concursus fierent, quantos clamores excitares, quam flagrantibus nobilissimæ iuventutis studijs colereris, quæ non solum ab ore dicentis, sed arbitrio, ac pœnè nutu pendebat. Nam quoties pacato Musarum Regno tumultuatum erat, ac magno in populo exorta seditio, sæuiretque animis, præferuida iuventa, non ignobile vulgus: tu vsu, atque inueterata prudentia magnus controuersiarum disceptator, ac iungendorum animorum artifex mirus, illico regens dictis animos, mulcensque pectora in antiquam concordiam redigebas. Ita silentium, & quies, quoties te conspexerant genere insignem, studiorum claritudine conspicuum, splendore, ac magnificentia nemini secundum, præterea corpore ingentem, cito sermone, recto incessu, & inanium quoque specie apud iuventutem validum. Vbi ne male haberent homines mutuumue cruorem haurirent prouideras, ex altera parte languentes, & affectos saluti reddebas, non tetricus, atque incomptus, & medicamentorum sæuitia, morbis ipsis tristior; sed virilibus mundicijs placidus, ac lenis, serenoque aspectu, quàm pharmacis malorum depulsor, ac bona fide salutaris. Sed hæc fuere. Carendum nobis ijs bonis est, quæ te Etruscæ potentiæ, Principique optimo ac præstantissimo mirifice commendarunt, quod raro euenit, sanis rebus, & incolumi valetudinem, Aulæ, cunctisque mortalibus gratiosum. Hæc nos vtcumque feremus, donec aliter superis videatur. Interim denuo in lucem prodituro Gulielmi Harueij Operi Clarissimũ nomen tuum in solatium adscribere placuit, quod opus abs te, cum hîc esses commendari memini. Tu boni consule,

Iule, & non in totum obliuiſcere Patauini cœli. Nam quoties huc mentem feres, toties de ſingulari virtute tua, ac ſapientia cogitabis. Vale etiam noſtra cauſa.

Patauij die xx. Nouembris M DC XLII.

IOANNI VESLINGIO
Franciſcus Bolzetta Bibliopola. S. D.

NOuam Franciſci Plazoni V.C. editionem molienti mihi, ac de more illuſtre aliquod nomen, quod fronti præfigerem, circumſpicienti. Tu illico occurrebas, non Artis modo huius, æuo noſtro ſummus, ſed interiori quoque eruditione, ac bonarum literarum cultu nemini ſecundus. Subibant animum ingentia tua in rem literariam merita, tot exhauſti labores, conſumptaque ętas inter experimenta. Quum veterum ſapientiæ antiſtitum ſtudium æmulatus poſt longas peregrinationes, ipſam Aegyptum, famoſaque mœnia Lagi adiſti, non tam noſcendæ antiquitati, quàm vt herbarum omnium ſuccos exprimeres, & ne qua lapidum, virgultorumque vis lateret. Ibi occultos Nili meatus, erruptionem, incrementa, & frugiferam eluvionem improbo labore ſcrutatus, immortali mortuorum medicinæ, alijſque miraculis animum intendens, ſingulari ſtudio in exoticas ſtirpes, atque ignotarum noſtro cœlo arborum iniecta contemplatione, cópleto demum Alpini beneficio, tibi poſteritatem deuinxiſti. Nec mora, quin tot opibus ſuccinctum, linguarumque peritia impensè imbutum, Venetus Senatus in ſuo Athenæo Chirurgię, atque Anatomiæ præficeret, vt in florentiſſimo Orbis literarij Theatro, non tam huius artificij miraculo mortales obſtupefaceres, quàm Arti, origine ſua, & noſtrorum hominum torpore, barbariem excuſanti, Latinæ puritatis maieſtatem circumfunderes: & horrido illo, ſæuoque negotio, tanta eruditæ orationis dulcedine captos animos afficeres, vt quantum oculi paterentur, tantum ſibi placerent aures. Mox

veluti in solatium, vtque animus tantisper feralium attrectatione auocaretur, S. C. Floræ, ac Pomonæ sacris, hortorumque culturæ, hoc est ipsius naturæ parentis matronali mundo ac delicijs præfectus es. Quò scilicet ingenij tui amœnitas eiusdem varietatem prouocaret, cùm sit tibi penè facilius loqui, quam rerum naturæ pingere, præsertim, vt ait ille, in magno gaudio fertilitatis tam variè ludenti. Itaque quot illa colores in pompam ostentat, tot eloquentiæ tuæ flosculi vernant, nullusque non audet vivum germinantis soli peristroma, cum picturato orationis tuæ aulæo contendere. Et cum se Ver aperuit, nemo iam Phæacum hortos, aut Hesperidum vireta quærit, sed consitas Musarum manibus areolas, vbi tu sub platano, florentes telluris opes longa virga deducis, naturæ ambiguum beneficium, fatique instrumenta, exiguis radicibus, fibrisque demersa extrahis, nec delicijs tantum, sed saluti mortalium prospicis, qui toties ab extremis vitæ metis ope tua reuocati, te Aesculapio æquarent, nisi carminum dulcedine Apollinem crederent.

Sis felix, nostrumque leues quicunque laborem.

Patauij die XIII. Augusti MDCXLIII.

IACOBO LINDENOVIO TOPARCHÆ in Hundslund

Paulus Frambottus F.

ROmanæ historiæ parens Panuinius, omne Quiritiū ęvum pari fide atque elegantia complexus, ludos Magnos, & Circi studia peculiari opere exsecutus est: Carceres, aggerem, delphinas, vtrumque spatium metarum, ac graduum ingentia fragmenta, iacentium quoque obeliscorum minas, Vrbis parietinis semisepulta, ipsisque ruinis priorem magnificentiam in inuidiam testantia, improbo labore eruit, annisque magis, & obliuione, quàm ruderibus obruta excitauit,

luci

luci reddidit, vetereſque delicias, Vrbi, duas res olim anxie optanti, panem, ac Circenſes bona fide reſtituit. Quadrigarum miſſus, flexus metarum, factionum colores, populi ſponſionibus circa panni euentum certantis furorem, totamque illam, ſi arenæ immanitatẽ, ſcenæ impudicitiam ſpectes, magis excuſabilem Circi inſaniam, non ſine voluptate oculis ſubiecit. Magnum opus, Onuphrijque ipſius eruditioni, ac diligentiæ par. Sed illud neſcio quo fato temporis inuidiam iterum incurrit, æreque, ac literis ducti Circenſes mortalium incuria, bonarumque literarum neglectu diſperſis, aut ſuppreſſis exemplaribus pari obliuione, tamquam ruinis recidiuo funere conſepulti iacuerunt. Quare non exiguam me ab eruditis initurum gratiam ſperaui, ſi clariſſimi ingenij monumenta denuo typis vulgarem, ac veluti Panuinij beneficium perficerem, additis etiam in gratiam iuventutis pro ludorum corollario, doctorum virorum obſeruationibus. Quem autem alium quã te Generoſiſſime Lindenoui, qui ludis hiſce mappam mitteret Prætorem optarem? Quem longa procerum ſeries, ſed præcipuè magni Henrici Rantzouij abaui nunquam interitura gloria, ingenij cultus, literarum amor minime vulgaris, linguarum peritia, viuidus ac verè militaris ſpiritus Megalenſi purpura dignum reddiderunt. Regis autem Daniȩ potentiſſimi præſens fauor interiori miniſterio admotum priuatis curis ſuperuexit, Italiæ Reguli tantam indolem complexi in certamen coluêre. In te igitur triumphali veſte, cultuque Iouis ludis præſidentem, ſpectatorum mentes, atque oculi obuerſi ſunt. Iam maiorum tuorum ſeriem tanquam prænunciam Circenſium pompam, ferculaque, & thenſas libentes oculis vſurparunt. Quid aliud reſtat, quam vt ſignum mittas, admiſſumque ſpectaculis orbem voti compotem reddas? Neque te vetus factionum inſania, turbæque cœtus miſcentis furor perterreat. Viridis pannus partium tuarum erit, ſed & vna Venetus fauebit, terræque ac maris factio reliquis diſcors in hoc conueniet, vt tibi Romanos ludos Ro-

mana magnificẽtia edenti,iactatis togis claraque voce Plaudat. Vale. Patauij à die XIII. Iulij MDCXLII.

VRBIS VERONENSIS DVVMVIRIS
Paulus Frambottus F.

Redit ad vos Onuphrius vester, simulque mortis postliminio lucem reuisit. Nam licet tot ingenij fœtibus sibi superstes, nil præter cutem, ac neruos morti concesserat, nouissimo hoc partu aduersam Lucinam expertus, vitam simul dedit & perdidit, atque aliquid vltra mortem passus, penè totus perijt. Nam Panuinio fatorum inuidia intra iuventam rapto, in vltimo hoc fœtu ferè iterum fortuna peccauit, qui lucis nondum patiens paterno funere abstractus fuisset, & cui genitor non riserat, eum nec Deus mensa, nec Dea cubili dignata esset: nisi vestra pietas tamquam de Semeles vtero recisum, adhucque rubentem, tolli, atque educari iussisset, adoptasset, ac tanti ciuis desiderium posthuma prole lenijsset. Interim tamen quod de Ericthæo poetæ prodiderunt, in occulto ali mandastis, ne immaturus, atque informis parentem dedeceret. Sic ille ipso lucis exordio damnatus tenebris, ac veluti in ortum reuolutus est, quasi sibi non patriæ genitus esset. Sed tam præcipitis consilij inuidiam literarius orbis deprecatus est, & quodcunque demum Panuinio genitum esset, publici iuris fieri, tantum non cõuicio extudit. Nec animo æquo tamdiu hoc depositum latere passura erat Roma, quæ Panuinij opera sepulchris, ac parietinis eruta, temporis iniurijs erepta, lustratisque fastis, atque omni æuo sub legibus misso, sibi, atque origini reddita, asserta in pristinum splendorem, & quo Latij falces non penetrarant, Panuinij calamo porrecta Imperij maiestate, eum parenti Romulo æquare non dubitat. Sed maximè omnium splendidissimæ istius Vrbis intererat, ne id diutius in occulto esset, quo gentis Augusta primordia, æquata superis origo, soli coelique certamen,

tamen,

tamen, mistus Romano Gallicus sanguis, socia arma, tot belli pacisque miracula, donata Quiritibus ingenia, non decedens Tiberi Athesis, atque vno septem colles prouocans Verona, æternitati sacrata esset. Nec vltra dilata lux est, & de patriæ adytis arcanum hoc pignus productum. Ipse quoque in partem felicitatis vocatus sum, vt typis meis nascenti infanti obstetricarer, qui vt olim Dionysius, semel conceptus iterum natus est: nisi quod ille à matre cadens patri, hic à patre exceptus patriæ insertus est. Hanc Deûm progeniem, Panuinij incrementum primis munusculis mihi propitiare studui, & redeunti in patriam crepundia obtuli, patriæ ipsius ære ductam imaginem, veteris Veronæ de tanto corpore membra, nondum iniuria vetustatis victa, tot incendijs, ac barbarorum rabie restantia, Romanæ maiestatis imitamenta, fortius quam Romanæ moles ætati obluctata. Nec dubito quin eo viso dicturi sitis.

Sic ille manus, sic ora ferebat.

Quiddam tamẽ addere, vel demere, fingere, aut refingere religio fuit: mangonium vero fucum adijcere, & tamquam ex pædagogio ephebum oblita facie producere, illiberale facinus visum est. Sat scio næuis quoque amatores rapi, & ipsam infantium balbutiem parentes exosculari; sanè Panuinius

Emendaturus, si licuisset erat.

Valete Patauij.

PAVLVS FRAMBOTTVS
Lectori Salutem.

MAgno Fortunæ crimine factum est, vt Onuphrius Panuinius vir ad antiquitatis studium excitandum, omnisque veteris memoriæ notitiam reparandam natus, magnis editis operibus, in maximorum molimine, & apparatu extingueretur. Vix dici potest quanto id bonorum luctu, litera-

rum

rum incommodo, sed præcipuè patriæ ipsius detrimento contigerit: nõn tam, quod ciuem, scriptoremque clarissimum amiserit, quam quòd tot laborum, ac vigiliarum, quas ille in patria exornanda exhauserat, solidum fructum, ac gaudium ferre non potuerit.

Onuphrius enim postquam fugientem rei Romanæ memoriam ex ruderibus, ac sepulcretis excitauit, ac repurgatis Fastis ad longè maximum ecclesiasticorum Annalium opus purpurato scriptori viam muniuit, post triumphos, ludosque Circenses è profundo vetustatis erutos, atque vt omnia vno verbo complectar, post Romam Romæ redditam velut in se recedens patriæ annales grandiorem, atque vberiorem senectuti materiam seposuit: immo senectuti minimum credulus, veluti cum fatis festinans iuvenis totus huc incubuit, vtque extremum laborem, & pietatis opus patriæ adprobaret, in ipso opere consumptus est.

Quod si maiores in luce moras fata dedissent, haud scio an alia Italicarum Vrbium sicut vetustate originis, ita scriptoris gloria, ac diligentia cum Verona decertare posset. Sed intra quintum ac tricessimum annum mors atris alis oppressit, magnis ingenijs semper infesta, patiturque eadem pronas animas, atque inertes, seculi incommoda, ac dehonestamenta, ad extremos vsque humanæ vitæ terminos perdurare. Hoc tamen Panuinius mortis imperium deuicit, quod vita fugiente opus nihilominus confecit, licet perficere ac perpolire extremamque manum imponere properante fato vetitus sit. Diu tamen posthuma proles delituit, ac ferè parentem ipsum secuta esset, ni prouida Decurionum mens patriæ commodis excubans, grande hoc patriæ decus letho vindicasset. Nam cum nescio vnde thesaurus hic erutus esset, Decurionum decreto negotium datum est Marchioni Paulo Malespinæ, & Comiti M. Antonio Clodio, Vrbis primoribus, vt publici iuris fieret. Ita duo priores libri editi sunt, & ab Alexandro Becello Vrbis Cancellario merito inscripti Comiti Vincentio

Medi-

Mediceo, & Ioan. Spoluerino Equiti Duumviris, quorum ille eximia nobilitate, ac virtute iam fatis concessit, hic superstes Vrbem, ac seculum exornat, eloquentia, gratia, singulari in patriam pietate, opibus, ac principum hospitio summum in eadem patria locum iam diu adeptus. Additum Decreto est, vt ad veteres æneas tabulas Torelli Sarainæ suasu ab eximio pictore atque architecto Carottio delineatas, aliæ adderentur, quibus visendæ Vrbis partes, ipsaque antiquitatis miracula exprimerentur. Dū hæc sedula principum cura ac ciuiū opera ad Vrbis decus properantur, ex transuerso pestilentia incurrit, qua typographicæ operæ disturbatæ, Becellus ipse, & tabularum scalptor abrepti sunt. Et quasi non satis infortuniorum esset, pestilentiam incendium excepit, quo Vrbis ærarium conflagrauit, & in eo cœlatæ tabulæ liquefactæ atque ad informe æs redactæ sunt.

Hisce quidem flammis Palladium ereptum est, sed veluti iterum tenebris, ac carceri mancipatum, nisi eximia virtus, & singularis in patriam pietas Cottij Archipresbyteri subuenisset. Qui sicuti Romanæ Cottiæ gentis nobilitate, literarū studio, probitate, ac vitæ splendore nemini secundus est, ita in opere hoc eruendo, atque difficultatibus, quæ editionem morarentur pertinaci studio exhauriendis, mortales omnes anteiuit. Nam vbi primum pestilentiæ vix remisit, subodoratus apud Alexandrum Frattam I. C. Panuinij Codicem post Becelli mortem seruari, ipsum Frattam impulit, vt eum publico ne inuideret. Ita ille tantum pignus patriæ concessit, simulque seruati ciuis eximiū decus promeritus est. Interim Cottius illud animo agitabat, vt hoc opus in Germania, aut Gallia typis vulgaretur, quasi in Italia satis apposite, atque eleganter excudi non posset, ex quo scilicet cum ipsis literis, literarum propagatrix ars typographica tans Alpes excessisset.

Id vbi intellexi summis precibus ab eodem, atque à Comite Clodio, penes quem futura erat huius editionis gloria, con-

contendi, vt typis meis Panuinium publicari paterentur. Annuerunt illi qua sunt humanitate, codicemque transmiserunt ex autographo Panuinij descriptum, ipsum autographum missuri, nisi publico Decreto cautum fuisset, ne is vnquam efferri ex tabulario posset. Itaque & quod Panuinius perficere non potuit, & quod autographum consulere non licuit, multæ mendæ irrepserunt, multa nobis cum excusatione præfanda sunt, cum in historia ipsa, tum in temporum ratione. Et mendas quidem ipsas importuniores facile viri doctissimi sustulere, quos super editione consului, ceterum reliqua grauiora non ausi sunt attingere, atque hanc Apellis Helenam perficere.

Dum autem æreæ tabulæ exciduntur, toti tres anni affluxerunt, magno moræ pretio, dum vnusquisque certatim veteres Inscriptiones, lapides, ac fragméta transmittit. In quo pręcipuum decus Canonici duo promeriti sunt Iacobus Rosinus, & N. Lisca, literis omnibus exculti, & antiquitatis amore cum paucis comparandi. Accessere demum venerandę vetustatis Cimelia ex Academia Philarmonicorum deprompta ab Odoardo Roia; quem non tam patrui in Veronési foro principis patroni decus, quam propria virtus, & ęquatura patruum indoles commédat. His & alijs pluribus, quos longum esset percensere, debebit Lector quidquid hęc editio pręstabit, labores porro & vigilias editioni impensas ęqui boniqueconsulet.

SERENISS. FERDINANDO ET SIGISMVNDO Archiducibus Austriæ Germanicæ Iuventutis Principibus

Carolus Honoratus Felicitatem.

GErmania vestra Romanis olim Aquilis non in totum peruia, nec satis vnquam iugum ferre docta armorum sonitum toto cœlo non audijt modo hoc seculo, sed insolitis moti-

motibus cõcuſſa ac conflictata ſuiſque ſedibus conuulſa tam prope ab exitio fuit, quam olim ab imperio. Infectæ Alpes cædibus, dilutæ cruore niues, cladibus decolor Rhenus, albentes oſſibus campi, alti magnarum Vrbium cineres, tantum ſanguinis ac iuuentutis exhauſtum. Sed præcipuè Germaniæ pars veſtro ſubiecta imperio, veluti nauis magno in mari deprenſa inter pelagi cœlique minas deſtituta, claudo remigio, laceris linteis, ſaucio malo, fatiſcente carina, inſanis fluctibus pœnè obruta, deplorata, ac conclamata Dijs atque hominibus inuidiam faciebat. Cum Vos Principes, Ledæum par, magnum Iouis incremẽtum, fulſiſtis. Illico roſeus apex, lumènque iuuentæ, noctem atque hiemem vicit, venti poſuere, vnda minax recubuit, abſterſæ nubes, ſtrata æquora, ipſe pater Neptunus placido lumine cuncta placans, rebellantes fluctus cœlique inſaniam compeſcuit, ac bona fide reddita rebus quies, feſſique nautæ maris potenti, ac litoralibus Dijs, ſed vobis præcipuè præſentibus Numinibus ſecuri vota perſoluunt. Bono hoc omine, literæ quoque ac diſciplinę eodem fato inuolutæ reſpirant demum, & caput attollunt, laudumque veſtrarum materiam decora ingenia procudunt. Sic mihi quoque vacauit ex ipſo Aſtrææ ſacrario deprompta Oracula, quod olim in Græcenſi veſtra Academiam deſtinaueram, Numini veſtro veluti votiuam tabellam appendere. Sic vos diu feſſis Germaniæ rebus ſubueniatis, nec alterna morte ſidera ac manes reuiſatis, ſed longùm terris commodati, in cœlum ſeri redeatis, vterque immortalis, vterque beneficus, ac ſalutaris.

Valete Patauij die XIIX. Aprilis MDCXLIII.

Illu-

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino
RVBERTO PAPAFAVÆ ABBATI

Emmanuel Portus S. D.

SIdus clarissimum, ac maximum, publicam mundi lucem, naturæ opus singulare, non ad Thiesteas epulas in ortus reuolutum, aut Herculis natalibus diem impendens, aut demum Tyranni nece ferrugine obnuptum, sed citra mendacis Græciæ commenta, ad ægri Regis supremas preces flexis habenis retroactum, iterum Imperiosi ducis mandato defixum, & in ipsa Mundi orbita veluti sufflaminatum, quum breui dissertatione complexus essem; id opus merito tibi inscripsi, cuius natales, virtusque præfulgens, tanti sideris nitidissimam imaginem proxime referebat. Diu quidem regnatrix domus tua fulgore suo minores ignes occultauit, & cum reliqua sidera sinu suo Thetis reciperet, gentile plaustrum sublimi in arce poli, diu Oceani expers fuit: donec Sole Leonem, ac Libram complexo, sub Venetæ mansuetudinis cuncta refouentis tutela mitissime conquiesceret. Nec tu degeneres tanta fortuna spiritus traxisti, ingenij cultus priuato maior: Phœbea laurus tertio Penatibus inducta: linguarum peritia non ad ostentationem parata: omnis sacræ, ac prophanæ disciplinæ interior cognitio: forma, reliquusque paratus dignus imperio, mores seculi labem supergressi, candidi illustres, ac veluti sereno cœlo nusquam fex, aut nubes. Plura adderem si contra tueri fas esset, nec laudum fulgor mortalium luminum aciem hebetaret. Saltem vota concipere liceat, non defuturam patriæ, ac domui lucem decusque purpurascens, donec Sol magnum annum circumuoluetur, statasque vices, ac mundi meatus implebit. Vale.

Patauij Kal. Maij MDCXLIII.

Illu-

Illustrissimo ac Reuerendissimo
D. GEORGIO CORNELIO
Episcopo Patauino.

MOrtalium, ac Pontificum summus Vrbanus VIII. inter publica vota, ac gratulationes, eius te Ecclesiæ gubernaculis admouit, cuius parens, auctorque Prosdocimus ipsis Christianæ rei primordijs par, Apostolorum auditor atque alumnus, Heroicæ simplicitatis, per manus traditæ propagator, cum centum fermè annos in ea vigilia ac specula egisset, miti obitu ad superos concessit: cum viraginem Iustinam Regia purpura, sed magis martyrij murice præfulgentẽ veluti præmisisset. Vt mirum fuerit quomodo extremos æui limites incruentè senex excedere potuerit, tot certaminibus exercitus, tot appetitus insidijs, cũ ex Regio gyneceo puella in gladios incurrerit, & domita mortalitate, sexuque imbelli idem audendi viris exemplum fecerit. Quare non multo post Leuita Daniel æmulatus hoc decus, ne à Virguncula vinceretur, cruore suo Euangelicæ sementis glebas irrigauit. Hi Præstites Diui, Vrbisque tutelæ, ac secreta Numina, quibus Imperium hoc stetit, stabitque æternis Venetæ maiestatis auspicijs firmatum. Accessit longo proximus interuallo ex vltima Hesperia Antonius, sacraturus has terras maiori claritudine, quàm quas nascens tetigerat. Tres indigenas, quartum aduenam omnes cœlo adscriptos, vocare in vota Ecclesia hæc consueuit sacrorum solennibus, & reliqua psalmodia, qua superum laudes alternantibus choris peraguntur. Quæ preces intermissæ sunt, ex quo Pij V. decreto quædam in diuinarum laudum recitatione immutata sunt, vt ad eam normam hæ quoque redigerentur. In hoc sedulam operam impendit Martinus Sandelius innocentia, atque eruditione conspicuus, hortatu Marci Cornelij gentilis tui Episcopi memorandi. Sed vtroque rebus humanis intempestiuè sublato

labor

labor iste in manus meas peruenit. Nec eum diutius supprimere constitui, sed inter publica gaudia tibi sacrare, quem excessurum fortia facta maiorum magna spes est, eaque fama sequitur iuvenem. Nos interim, ea tibi vitæ spatia precabimus, quæ primo huius Vrbis Episcopo contigêre. Vale.

PRO-RECTORI ET CONSILIARIIS Patauinæ Vniuersitatis.

QVæ vestro nutu concepta & habita est, de disciplinarum atque artium præstantia Oratio, in vestro nomine lucem subire audet, eodem vno placitura. Cum enim vos ex nobilissimæ Iuventutis, toto Orbe contractæ, corpore publica cura selegit, consilio quam annis maturiores, vt Academiæ iura ac splendorem tueremini, nobilitatis atque ingeniorum florem ex toto Gymnasio esse declarauit. Iure ergo tenuem ingenij mei fœtum fouendum transmisi, etiam ob hoc, ne temere iudicasse videamini. Nam si quid laudis aut decoris est, id omne in vos redundet necesse est, mihi obsequij gloria relinquitur. Quod si cœtui quis vestro, in quo tot nationes, quot capita sunt, se approbauerit, videbitur vniuerso orbi placuisse. Valete Academiæ bono.

Eminentissimo D. CHRISTOPHORO S. R. E. CARDIN. LVDOVICO, MARTINO, ET DAVIDI Fratribus Vidmannis, Toparchis, &c.

Paulus Frambottus F.

VEreor ne absurde atque intempestiue facere videar, si vestra Domo recenti Fratris funere attonita adhuc, luctusque atque consternationis plenissima, irrumpere audeam, & hoc literario officio vos à mœrore, cuius quædam dulcedo

do est, immature abducere. Nam serio reputantibus ingens, atque inexpiabile vulnus familia vestrâ accepit, fortunaque nunquam indulgendo defatigata non hęsit modo hîc, sed tot annorum beneficia pœnè subuertit. Nihil est tam præclarum, tam magnum atque exaggeratum, quod in vestram domum longum virtutis ac fortunæ certamen non inuexerit. Immensæ opes priuatum cēsum supergressæ: pertinax Cæsaris Principumque fauor: congesti certatim honores: Romana dibapha penatibus inducta: quæque votorum vestrorum summa semper fuit, atque omnis felicitatis fastigium, Gens tota inter patricias eius Reip. allecta, cuius, vt cetera decora omittantur, diuturnitate Imperij ac felicitate, sapientia ac moderatione Respublicas omnes post se reliquisse: hoc vnum posteritas omnis memorabit, nisi quæ non credet, ingenti Europæ flagitio omni ope distitutam superbum Asiæ Regnatorem totius Orientis viribus succinctum per quadriennium non sustinuisse modo, sed crebris victorijs fractum, ac debellari posse doctum obsessis Hellesponti faucibus toto Oceano mulctatum pœne ad desperationem redegisse. Nihil ergo supererat, quod vel audacibus votis familia vestra concipere posset humanæ felicitatis exemplum: quæ Principum affinitatibus innexa; Germaniæ Proceribus inserta: Romano Senatui adscripta: demum Venetæ Maiestatis pars facta, auctoritate, opibus, gratia Christianum orbem complectebatur. Quinque fratres ætate, forma, ingenio, dexteritate florentissimi, vt, præfiscine dictum sit, vix alia domus facile reperiri posset, quæ plus virtuti ac fortunæ deberet. Sed sæuire hæc solitâ leuitate cæpit, ausa vno ictu de rerum summa decidere. Paulum natu maximum familię propagatorem, omnibus corporis animiq; dotibus insignem, conciliandę hominum gratię ac promerendi amoris miro & efficaci studio prędítum, intra iuventam rapuit, domumque totam ab imo concussit. Sed quo hęc grauiora sunt, fortibus consilijs opus est. Abstrudenda mœstitia, reuocandus ad firmitudinem animus. Satis

fratri dedistis, satis pietati. Et quoniam non aliud in luctu solatium efficacius creditum est, quam magnorum Virorum scripta percurrere, nō dubitaui ego Andreæ Argoli Viri præstantissimi Ephemeridas vobis inscribere, tum quia Auctor ipse de Pauli memoria bene meritus, in cuius nomine Dies Criticos evulgauit, tum quia summo studio ipse semper optaui in ære vestro esse. Erit vtique in ipso Opere grande solamen, quando hac siderum inspectione, hisque fatorum characteribus Cœlo descriptis, facile apparebit, quæ fato, hoc est Dei destinatione manent, ea vitari non posse. Valete & vosmet rebus seruate secundis.

Patauij Prid. Kal. Iulij MDCXLVIII.

FERDINANDO III. IMPERATORI AVGVSTO.
Benedictus Syluaticus.

EMeritis vitæ stipendiis, extremum prope æui cardinem premens, antequam vasa colligam, abs te commeatum petere Imperator constitui, simul arma, quæ per tot annos tractaui, sacrarij tui postib⁹ affigere. Octogesimus annus est, & quod excurrit, ex quo artem seruandorum hominum, aut didici, aut docui. Grande quidem artis ipsius beneficium, rarumque exemplum, Medicus Senex, sed exiguum spatium exercendæ facultati, quæ aut numquam satis discitur, aut numquam satis monstratur. Quantum in ea profecerim instar omnium erit, quod ab Diuo Parente tuo etiam tum iuvenis euocatus lapso, in languorem liberorum maximo, sacris puluinaribus admotus, humani generis vota absolui.

Inde partim salutis arcana profitendo, partim eandem mortalibus præstando consecutus sum, ne me tamdiu vixisse peniteret, cuius opera nonnemo vitam produxisset. Simul effeci, ne quis vatibus, quorum tamen Deus Medicus est, crederet, qui artes hasce mutas, loquaces ipsi prodiderunt. Nam per quinquaginta annos silenti iuventuti non parua locutus,

cutus,

cutus, responsa absentibus scripto reddidi, & deliberanti orbi è longinquo suffeci. Quæ responsa dispersa, ac vaga tanquam Sibyllæ folia in vnum contraxi, ne scilicet vnquam mutus essem, vt postquam ferreus sopor silentium indixisset, hoc quoque fatorum victor, cum posteris loquerer. Et sicut olim Artis huius experimenta Aesculapii templo sacrabantur, sic ego delectas consultationes Augustali tuo inferre ausum sum, si ita dicere fas est, artificii societate, quando tu celsa ac sublimiore via affecto, & languenti humano generi quotidiè mederis, ægrumque, & in senium præceps Imperii corpus, inaudita virtute reparas, ac veluti succis vitalibus recoctum florenti iuventæ restituis.

Itaque merito tibi seruatorum ciuium titulus debetur, laureaque tot triumphis exercita, mediam quercum meliore iure tuebitur, quam cum Romani Cæsares bellorum ciuilium profanatione, seruatos Ciues credi voluerunt, quos latronum beneficio non interfecerant. Hic ego artem desino, cæstusque repono. Sic tu raró medicis vtaris, hoc est, sero cęlum repetas, cuius sacro, & venerabili spiritu tot mortalium fata trahuntur, & catholicæ rei tutela continetur.

Illustrissimis & Excellentissimis D. D.
MARTINO, ET LVDOVICO FRATRIBVS VIDmannis Comitibus Ottemburgi Toparchis & Dominis Sumeregij Paterniani in Carinthia, &c.
Petrus Maria Frambottus Fel.

NOn primum hoc recensque domus nostræ erga vos fidei, ac venerationis pignus. Nam parens olim vestra facilitate, ac mansuetudine fretus, ausus est tantæ nomina famæ typis suis præscribere, & inde operi claritatem circũfundere, vnde Venetæ rei ingens decus, scriptoribus ipsis par dignatio, & pretium accedit. Etsi enim auctor, qui &

aliàs hoc insigni decoratus prodiit, & hodie opera nostra eodem titulo se circumspicit, per se clarus pollensque sit, nec prælum modo nostrum, sed omnium ingenia, atque admirationem fatiget, iterum in scenam, atque ora hominum productus, vestris auspiciis sibi caueæ fauorem, ac veteres plausus pollicetur, in quorum venerationem sonantibus cuneis Theatra consurgunt. Alioquin operis magnitudine, atque argumenti maiestate, sibi blandiebatur, quod veluti in sacrarum ædium fastigio nomen vestrum inscriberetur. Quippe Cœli templa serena lustrat, atque in ipsam mundi arcem iniecta contemplatione, naturæ culmen, siderum motus, & ipsum mouens percenset, ac fatorum arbiter, mortalium spes metusque versans, supera arcana recludit, atque ex illo æternæ lucis fonte claritudinem vobis adflat, a quibus ipse iubar accepturus est. Inde spes mihi, in tanto vtrinque fulgore, laborem meum, licet atramento & plumbo censeatur, nec obscurum nec inglorium fore, qui sicut obsequium cultumque Vidmanæ gentis cum paterna hereditate creui, ita officio, siue potius pietate erga vos, nemini mortalium, ac ne ipsi quidem parenti concessurus sum.


Valete Patauii Nonis Iulii MDCLXVII.



OCTA-

OCTAVII
FERRARII
FORMVLÆ
AD CAPIENDA DOCTORIS INSIGNIA.

OCTAVII FERRARII FORMVLÆ.



Chillem, cuius me nomen boni ominis causa optimus parens gerere voluit, hoc fato natum ingeniorum princeps prodidit, vt si castra sequeretur, manusque Asiæ excidio natas perituræ Troiæ admoueret, breuis & angusti æui in ipso iuventæ flore, rerumque maximarum apparatu extingueretur. Si vero Martis labores, ac pericula reformidans imbelli desidia torpens domi se contineret, futurum vt longo, & ad extremas vsque metas producto, sed ignobili æuo fungeretur. Nec poterat Dea parens acerbam fatorum legem eluctari, quorum decretis ipsi Deorum summo, ac superûm Regnatori vel ingratis standum erat. Itaque muliebriter sollicita, vt flecteret quod frangere non poterat, maluit filium ignoratum, & inglorium senescere, quam mille tropheis clarum intra iuventam rapi. Hunc igitur sub ipsis rupibus, ferarum medullis eductum, & à biformi magistro scrupea schola eruditum, vt insitam ferociam remolliret, exquisito cultu, ac muliebri mundo in fœminam fractum puellarum choro inseruit, vt propitiam saltem Venerem haberet, quem dirum Martis sydus aspectu infausto premeret. Hîc ille generosus, cuius modò nomine audito ipsum Pergami culmen nutabat, ac Phrygiarum matronarum corda pauore congelabant, veluti cum cultu virilitatem exuisset, lascivus ac petulans, pectus quod melius Aegis tegeret, mulitia sint he si renudauit, sibique comam strui, ac capillum fingi passus est, qui melius Troico puluere respersus, sæueque iactatus, pauentes Phrygas fugaret: Oculos ad mollitiem flexit, quos toruè minaces contra tueri Troiani non sustinerent, Græci ipsi pauescerent: monile collo decurrere passus est, qui catenas tot captiuorum millibus minaretur: Distincto

auro crura religauit, qui Regibus ipsis compedes pararet; manusque illas Troicorum fatorum ministras, quas Asiæ Imperator osculis fatigaturus, Rex Regum in se intentas formidaturus erat, vel telæ admouit, vel colo rudes aptauit, qui exhaustis Parcarum fusis tot nobilia stamina recisurus erat.

Neque tamen aut fata, aut generosi spiritus impetum frangere hoc sedulæ matris artificium potuit. Vix enim ornatus dolis Ithacus in faciem mercatoris versus, gynecęum ingressus est, vt hoc fortunæ depositum, quod Græcorum naues Ilijque exitium moraretur, deprehenderet, puellis ad gemmarum fulgorem perstrictis, & circa barbarici cultus spolia mussitantibus, visum ille ferrum, quod inter puellares delicias horrebat, incertum auidius an fortius inuasit & se quod erat fassus, gladium minaciter rotans Troianis iugulis hæsurum, aurasque verberans, ipsum assertorem perterre-fecit. Et licet humentibus genis mater se proditam misere clamans filii ceruicem iungeret amplexibus: Hippodamia formæ illecebris, arcanisque thori blanditiis, & efficaci silentio reuocaret, puellarum chorus blandam vim adhiberet, omnes denique dira fata, ac triste carmen canerent, breui moriturum, si Troiam peteret, ardensque Ilium ipsius rogo flammas suppeditaturum, tot blandimenta abrupit, maluitque fortis, ac gloriosus breui fato fungi, quam in fœminarum grege consenescens, ipsius Pylii ævum transcendere.

Non sum ego quidem Dea natus, nec mater mea totius elementi dote mortales amplexus redemit. Non ex alia parte Aeacum, & diræ domus Plutoniæ arbitrium iacto; Sed in vrbe non omnium postrema, sed gente antiquâ, ac probâ editus (si licet magna paruis componere) quod nomen mihi fata, parensque esse voluerunt, eo me dignum ostendere adnisus sum. Non quidem bellicis artibus, quibus domum nostram non semel floruisse Patriæ annales loquuntur, sed literario negotio, in quo vt minus periculi, ita plus fortasse

labo-

laboris ineſt, ac contentionis. Poteram igitur mihi ipſi has voces accinere, aut ſaltem ab aliis admittere, victurum me longè productis annorum ſpatiis, ſi alta quiete fruerer, vel otio Vrbano languefcerem, vel ruſtico torperem, ſi non literas modo, ſed earum nomen horrerem, ſi Doctorum ſupercilium, & moroſas exhortationes, ſi conuentus, & aridas diſputationes vitarem, ſi ſtertens ad medium diem, plus vini quàm olei conſumerem, &, vt omnia vno verbo complectar, victurum ſi viuerem, nec me vivum ſepelirem, vt cum mortuis quotidie confabularer; ſin vero triſtes iſtorum hominum ineptias ſecutus, violatis noctis induciis, rigente tempeſtate, ſtrato corpus deriperem, ſomnumque morantem oculis extergens, pluteo chartuliſq; affixus, caput ſcabens, vngueſque derodens cadentes oculos in officio continerem: ſi triſtis, ac ſubpallidus manè ſubſellia omnia Gymnaſii contererem, obſeſſis Doctorum liminibus iis declamantibus tota die commodarem feſſas aures, mox cubiculo redditus ſeras noctes traherem in longum, vitarem cætum æqualium, conuiuia ſumptuoſiora, acroamata, mimos fugerem, fore vt vere Achilles eſſem, ideſt breuiſſimi æui, ſiue potius Aiax, qui meipſum non gladio, ſed labore ſciens ac prudens conficerem. Vnam felicitatem eſſe bonam vitam, facere omnia libere, frui patrimonio, quod ſolum eſſet viuere, ſeque mortalem eſſe meminiſſe. Proinde iſtos triſtes, ac ſuperciliofos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pędagogos ne aſſis facerem, nec dubitarem bonam vitam, quam opinionem malle. Quid blandius, aut dulcius Laertiadi canere ſyrenes potuerunt? Nec deerant qui Achillis exemplo me ad puellarum contubernium amandarent, ſiue potius reluctantem perducerent, hac vrbe, iis moribus, vbi non pauci in illa lubrica palæſtra ſeſe viros oſtendunt, & Achilles probant. Si verum dicere licet vbique gynecæum eſt, nec opus matris dolis, ſed contra parentis ſanctitate, qui ne ad turpem cætum diuertamus, vix cuſtodiat, cùm maxime ſeruet, fixis, &

& inconniuis oculis, vt olim Argus excubet, non ad iuvencam seruandam, sed ne vituli in pugnam prurientes, nimis cito ad iuvencas deflectant. Nec raro miseri parentes abductos sibi natos, non istar Vlyssis mercatoris habitu, sed blandis modo, modo asperis dictis in libero loco ætatem suam oblectantes cum lachrimis rapiunt.

Quod si quis alius in hac Vrbe, aut alibi est, qui ab educandis recte liberis solidam, raramque gloriam petat, is certè optimus, sanctusque parens est, qui incredibili contentione, ac singulari charitate adnisus est, ne quis nostrûm in hoc ætatis flexu, metæ adhæresceret, & vt olim Thetis inertiam filio suadebat, ita hic contra Achilli suo maiorum bona facta ingerebat, omnes quidem morti destinatos, vitam sola virtute distingui: ea tempora esse, quibus nihil fortunæ credendum, quæ etiam maxima Imperia labefactaret: solam in literis spem, ac familiæ decus constitutum esse.

Quid parentis cura, & hortationes profecerint, non est meum dicere, ne aut putidus videar, aut modestas parentis aures onerem. Si non Achilles factus sum, certe Thersites non ero, & cum bono omine nunc primum in campum descendo, non cum fugacibus Troianis certaturus, sed Hectora, sed Aeneam prouocans, nec tam viribus fretus, aut obdurato Stigiis vadis corpore, quam Mineruæ hoc est ciuilis prudentiæ præsidio. Hîc Simois, hîc Xantus, hîc ipsa Iuris Numina effusa in spectaculum vincenti fauebunt; Quod si vincar illud solatio erit, me fortissimorum dextrâ, non imbelli Paridis manu cecidisse.

P. C. si vos dominos, ac patronos appellem iure meo facturus videor, non ex æui corruptela, vulgique assentatione, qua Domini diuina olim ac Regia appellatione prostitutâ, cuncta venerantium officia sacrorumque ceremonias pudendo fastu ad homines, eosque minimi pretii traduxerunt.

runt. Vt iam cum nullus non seruiat, omnes Domini adulationis mimo componantur, & quem olim titulum Cæsares gentiumque proceres vt inuidiosum aspernati sunt, mancipium adhuc lora, & compedes reformidans, sibi arroget. Iure inquam meo & citra gratiæ blandimenta facturus videor si vos Dominos, si vos patronos dixero, qui me hodie liberali causa manu asseruistis, mihique ius Latii ac Pop. Romani Quiritium, mihi libertatem donastis. Nam si sapientiæ magistri solum sapientem liberum esse dixerunt, reliquos capite minutos, ipse quoque ante hunc diem ingenuus licet, ingenuisque prognatus, nexus tamen diu in manu inscitiæ ac potestate fui, partim affectibus parui, partim blandiens iuventæ Imperium sensi, seculi quoque vitio obstrictus, superba dominantium voluptatum fastidia pertuli, neque

----- Seruitio me exire licebat
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi,

Et licet veræ istius libertatis hoc est Iurisprudentiæ cupidus, eam fugientem tota Italia sectatus sim; & Parmæ, Mantuæ, bis in hac Vrbe, tum Senis, ac Bononiæ huic Deæ initiari cōtenderim, non tam cito, vt votum fuerat ex lentis vinculis expedire me potui, in scholarum ergastulo liberale opus feci, solutus magis quam liber, & quod ille de Romanis aiebat nec totam libertatem, nec totam seruitutem pati potui. Nunc iusta libertas, quæ

----- sera tamen respexit inertem
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, & longo post tempore venit.

Veneti Cœli auspiciis vnico libertatis sacrario libertatem inueni vobisque Patres acceptam fero. Neque à me ista poëticè, aut ambitiose fingi vos ipsi declaratis, cum mihi in hoc libertatis atrium inducto ipsa libertatis insignia impertimini. Quid enim aliud toga, quid annulus, quid pileus, quid suffragii ius, quam libertatis argumenta olim fuerunt, cum vera libertas esset, & nunc sunt, cum illius modo simu-

lachrum

lachrum habemus? Et vos dominos, ac patronos appellasse assentatio erit, & blandiens mendacium? Meum erit post hac præstare, ne ingratus, aut inofficiosus libertus dicar, præcipuè aduersus te Alexander Synclitice mortalium consultissime, qui mihi Quiritium insignia circundas, sicut omne Latium, ac veteres Athenas eloquenti prudentia reuocasti. Quare beneficium perfice, & me censu iam liberum, legitime circumactum festuca vindica, atque in hoc Feroniæ templo cum pileo coronam impone; Ego

Vindicta postquam meus à Prætore recessi

te, hosque omnes Dominos, ac patronos iure venerabor.

QVod decreta duobus Laurea vnus modo grates gratiasque persoluat, nō inepte quis illud M. Bibuli vsurpauerit, qui Cęsaris in Aedilitate collega, cum ille in venationibus edendis communium impensarum solus gratiam caperet, non dissimulauit, idem sibi euenisse quod Polluci. Vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam Cæsarisque munificentiam vnius Cæsaris dici. Sed nemo iure quod silente collega ego vos appellem, aut illum beneficij immemorem, aut me audacem appellauerit, aut auidum nimis, qui mihi vni communis gloriæ pretium asseram. Ore meo vobiscum collega loquitur, vultuque & oculis gestientibus, quantum vobis debeat profitetur. Quid enim opus fuerat sanctissimo consessui vestro duos obstrepere, auresque placidas non vna molestia onerare? Sed quid ego ad inanem excusationem confugio, quasi duo simus qui beneficium debeamus? Sanctissimo amicitiæ fœderi iniuriam fecerim, si hunc vnitatis contextum improba diuisione labefactarim. Duo corpora Patres videtis, animi dulci mixtura in vnum coaluêre, nosque licet non ex ouo vt Ledæi fratres prodierimus, idem tamen cœlum hausimus, eodem disciplinę contubernio vnà pariter cum musis

adoleuimus, quæque sanctissima societas est iisdem Iurisprudentiæ sacris initiati sumus. Ita penè beneficium vestrum imminuistis, quod duobus delatum, vnum vobis obstringit; Quare nihil demum intererit, si quis hanc lauream collegæ, aut mei modò dicat, hocque templum Castori, ac Polluci dicatum, vnius Castoris esse ferat. Quòd si qua cum geminis fratribus similitudo est, ea vna videtur, quod tu amice, vel si mauis frater optime diuino semine procreatus, immortalisque futurus, humano ego parente satus, fatique legibus obnoxius, reliqua pares, imo idem sumus. Quin ergo ad supremum Iurisprudentiæ Iouem Carbonchium supplices manus tendimus, qui nos tales tantosque effecit, moxque veluti consecratos inter Iuris Indigetes referet, aureaque facundiæ cathena non nos modo, sed auditores in Cœlum trahet. Nos nihil attinet immortalitatem alternis partiri, totiesque viam illam cœcam ire, ac redire; Nam Iupiter hic non vt ille acerbè nimis, & auare, æterni æui bona trunca, ac mutilla indulgebit, sed plenam ac legitimam vtrique immortalitatem largietur, quemadmodum genti suæ per se clarissimæ, literisque æternum decus peperit. Sic voueo, sic auguror.

TAntum sibi veterum poëtarum licentia permisit, eoque mentiendi dulcedine prouecta est, vt Deos ipsos pro Imperio non semel Cœlo deduxerint, rebus humanis miscuerint, & si credere fas est nostrarum fœminarum specie captos, in terris quæsiuisse quod amarent, nec semel Iulia lege damnatos prodiderint. Nam vt promiscuos cœlitũ amores sileam, fucumque mulieribus factum, ne Apollini quidem suo Musarum præsidi, ac male sanarum mentium incolæ, & agitatori, poëtæ pepercerunt; Nam cum Deorum formosissimum, perpetuo iuventæ flore vernantem, nunquam lanugine aut respersis, aut vexatis genis lęuem, intonsum, & delibuta nectarę Cæsarie diuinum iubar fundentem, cunctaq;

aspe-

aspectu serenantem produxissent, ne tantum decus vacuum esset, aut otiosum, & quasi non satis flammarum Deus ille aleret, spretis Dearum conditionibus, Nymphæ Peneidos amore exarsisse magno caueæ plaudentis irrisu scriptum reliquerunt.

Primus amor Phœbi Daphne.

Quid expectatis? scilicet illico tanti Numinis incendium pectore puellam concepisse, ignemque cœcum medullis hausisse, atque inde accendisse iugales tædas, seque circumspexisse ambitiosius, quod illi placuisset, quo nihil pulchrius Orbis, ac natura ostentaret, quodque hinc sequitur, indulsisse amanti, & dum siderum, annique rectorem sinu fouet, labentis mundi cursum sustinuisse. Longe aliter se res habuit. Spretus amator est, elusus, repulsa, ac contumelia irritatus, ac superbo Virginis fastidio tot Cœli naturæque decora damnata. Inscita enim atque insulsa puella, cœlestem procum exhorrescit primo, mox sibi malè metuens à pedibus auxilium petit, ac celeri fuga imminenti amatori elabitur. Quò, quemue fugis Daphne? Apollo clamat, & vt se poëtam faceret precibus carmina miscet.

Non sum adeo informis nuper me in littore vidi
Cum placidum ventis staret mare.

Sed surdæ fabulam canit, quæ interim viam vorans, celeriq; passu auras præuertens, Solem oderat, & lucem. Nec segnius Apollo insequitur: huic amor, illi metus alas addiderat. Sed quî posset Daphne eum cursu vincere, qui Gigantæo gradu vnius dieculæ spatio vtrumque Orbem metitur? Iam igitur calcem calce terens Deus, iam summi verticis capillos spiritu afflabat, cum deprehensa Virgo parentem Peneum rogauit, vt se superbi raptoris manibus eriperet. Tulit ille natæ opem strenuè, atque impotenti amatori pro Virgine laurum succidaneam subiecit. Truncum ille nihilominus amplectitur, vitamque adhuc sub cortice calentem fouet, & palpitantes fibras stringit, figit ramis oscula, oculis

lis frondes admouet, latentem sub lauro Daphnem deperit, nectit inde sibi coronam, idque decus, ac solatium cultoribus suis in omne ævum sacrat.

Insani vates & helleboro mitigandi, si hoc aut crediderunt ipsi, aut credi posse sperarunt. Sed vt sub cortice Daphne, ita fabulæ integumento grande mysterium texerunt. Daphne sapientia est, humani, ac diuini iuris scientia. Eam Phœbus, ac Phœbæi mystæ certatim pereunt, procantur, tædas, ac thorum vouent. Quid illa? num facilis amatoribus est, num formam prostituit, vt vendat, num morigera, atque obnoxia sit omnibus, num in amplexus ruit? Fugit illa, fugit

Ocyor ceruis & agente nimbos
Ocyor Euro.

Nouaque hæc Atalanta cursores procos præuertit, & ne auro quidem fugam moratur. Non genus, aut forma, non amantium illecebrę, ac blandimenta volantem retardant. Atque eo euenit, vt ex infinita procorum turba quidam in ipso limine desperent, alii insinuatis pectinatim manibus reliquorum cursum marcentes speculentur, hi in medio cursu subsistant, illi labantur instadio, hi viribus defecti, atque ilia trahentes prope ipsam metam concidant, paucissimi fugientem Deam comprehendant. Fateor Patres, licet nec Apollo sim, nec specie, ac cantu insignis, Phœbi tamen cultor, vbi primis literarum vestigijs insistere datum est, Daphnes amore captus sum, & cum reliquis popularibus, atque exterâ florentissimâ iuventute fugacissimam Deam persequi cępi, summoque studio Achillem ęmulatus sum, quem à sola pedum velocitate vates maximus commendat. Quis credat? Octo annis continuare cursum potui, tantumque spatium ingressus, numquam animum despondi, iam iamque casurus optimi patrui plusquam paterna pietate, ac cura, vestro Amplissimi patres hortatu, ac vocibus, æqualium æmulatione cadens corpus spiritumque labentem sustinui. Sed quid? iam Deæ

toto

toto corpore imminens, iam colla lacertis nectens, veluti somnio deludor, ac pro formosissima Dea frondentem metam complector. O ludum sapientiæ mirabilem. Teneo te lux mea, teneo, votisque fruor ad inuidiam felicibus. Laurum stringo doctarum frontium decus, Imperii insigne, Augustæ domus custodem, non senio, non irati Iouis telis obnoxiam. Sed desperanda mihi fuit hæc gloria, prorsusque in cursu deficiendum nisi tu Io. Galuane V. C. labentem rexisses, currenti stimulos addidisses, & de laureato tripode Phœbeus sacerdos veluti in Pythicis victorem pronunciasses. Tuis auspiciis votorum summam attigi. Reliquum est vt Lauream tuum, ac Patrum sapientissimorum munus non in Iouis, sed in Amplissimi Antistitis Cornelii sinu, omni Capitolio augustiori reponam, & bono quidem cum omine, cũ Laurus purpuræ comes, ac decus semper fuerit, Laurus, quę in gente Cornelia Romano, ac Punico sanguine irrigata, mox Venetis tropheis efflorescens noua subinde propagine subolescit, donec antiquo solo reddita, Vaticanis lucis Romanos penates, vnaque Orbem cum magnis Diis, & sacrorum custodia complectatur.

MAgnos illos sapientiæ proceres, ipsaque virtutis nomina Pythagoram, ac Platonem indicto sibi exilio remotissimas regiones peragrasse, deuiasque Orbe nostro, & alio Sole calentes terras, ad ingenij cultum capiendum, vtque sapientum contubernio fruerentur perlustrasse accepimus. Sic Apollonium Thianæum Persas, Massagetas, Scythas, atque ipsos Indos penetrasse, vt Hyarcham in throno sedentem aureo, inter paucos discipulos docentem audiret. Inde totum ferè Orbem permensum esse, & pręcipue in Aethiopiam contendisse, vt Gymnosophistas ac decantatã Solis mensam videret in sabulo. Sic fiebat, vt dum illi mille locis sparsam sapientiam consectarentur in peregrinationibus

nibus consenescerent, & ante ad vitæ quam ad virtutis metam peruenirent. Cuius rei recordatio nostram nobis & felicitatem ingerit, & ignauiam exprobrat. Aeternæ enim Reip. prouidentia effectum est, vt quicquid vsquam egregii dispersum terris lateret, in vnam sedem contraheretur ipsi libertatis templo proximam, commodo adpulsu toti Orbi peruiam, Cœli solique amœnitate etiam barbaros allicientem. Vt magna pars in hoc bonum nasceretur, reliqua iuventus facili negotio nullis peregrinationibus, non aditis barbaris, aut præciso æquore, citra mille mortis vias, & quidem breui tempore ad ipsos Deæ aditus penetraret. Quod secordiam nostram grauius onerat, quibus bona in sinum fluentia spernuntur, tantaque fortunæ indulgentia euilescit.

Me quidem sub imperio Veneto natum inter suprema felicitatis connumero. Proximum votorum fuit in celeberrimo Lyceo vestro ad sapientiam informari, mox in hunc sapientum cœtum adscribi, quos cũ Brachmanibus, aut Gymnosophistis comparare sanctior disciplina vetat. Hîc verius illa poëtarum fabulis inclyta Solis mensa nunquam deficientibus epulis instruitur; Et vt illîc cũ sacerdotes noctu omni carnium genere vicinum campum implessent, vulgus rude ab Sole dapes æternas suppeditari credidit: heîc omne genus epulæ æternum suffecturæ, non alere modo sed instar nectaris largiri immortalitatem possunt. Hîc vidi & de proximo veneratus sum Hiarcham summum Astreæ Antistitem, Scipionem Gonemium aureo Themidis throno de musarum fonte libantem, & lectissimę iuventutis nobili grege fultũ, quod ex Cyprię Veneris regno ad Mineruę delubrum translatum Oraculum, mortales consulunt, Sortes captant, & minime fallaces tripodas sollicitant. Ventum est ad Limen. Deus ecce Deus. Dum ex adytis responsa fert, & non obscuras canit ambages, vos animis linguisque fauete.

QVod olim Athenis magnus ille senex scalas ascendens dicebat, Magnum spirare, parum posse: id verius mihi hodierna die vsurpare liceat. Qui enim Themidis templum vix à limine salutarit, nunc ipsa tecta subeuntem, & ipsum sic dicam Augustale irrumpentem, atque de penetralibus effata promulgantem quis ferat, nisi cui pectus humanitate plenum sit? Sed audendum est, cum honestorum cupiditas semper laudem inuenerit, & tutioris audacię sit, illa tentare quibus venia paratior est. Vel eo demum redibimus. Magnum spirare, parum posse.

THemistocles grande ruentis Gręcię columen, post depulsum inundantis barbarię metum, ac fugatas parua manu superbi Regis copias, quæ perfossis montibus & constrato mari, epotisque fluminibus, non tam Græciæ, quàm naturæ ipsi bellum indixerant, cum ab ingratis ciuibus testulâ fractus vertere solum, quod seruauerat, seque Medis, quos perdiderat credere coactus esset, & præter opinionem ab Rege Regum plusquam Regia liberalitate auctus, ad domesticos conuersus frequenter illud vsurpabat, Perieramus nisi periissemus. Verè nisi eum ciuium liuor indignum patria, quæ per eum non perierat existimasset, nisi barbaro furore seruatorem suum perdidisset, non ad Regiæ amicitiæ sacra admissus esset, non ad id gloriæ fastigium, non ad eas opes triumque Vrbium munus peruenisset. Extulit illum fatorum inuidia dum deprimit. Perierat nisi periisset.

Quòd si magna paruis componere fas est, liceat nunc mihi in re dispari idem vsurpare. Nam postquam literario exilio in hoc Astreæ contubernio ad Lauream Apollinarem eductus essem, & qualemcumque operam meam Aeternæ Reip. ac patriæ deuouissem, non liuore quidem, quo si me dignum crederem magnificè nimis de me ipso sentirem, sed nescio quo fato, occultisque causis & ideo iniquioribus, non ciuiũ

omnium

omnium odium, ſed paucorum aduerſum animum incurri, qui commota de gentis ſplendore controuerſia, non in me ſolū, ſed in maiores meos iniurii, eos iam felices, & compoſitos vltra fatum quoque & naturæ legem veluti revulſo ceſpite diffractâque vrnâ inquietarunt. Magno ſane impetu ac conſpiratione, vt me per ſummam contumeliam in ordinem cogerent, ac veluti ſacrum, & inteſtabilem, piaculum meritū ab doctorum cœtu concilioque abigerent, traducerent per ora hominum, & de auita familiæ noſtræ benefactorum poſſeſſione deturbarent, iureque patricio multatum, tanquam terræ filium in ſordes & plebis dehoneſtamenta reuoluerēt.

Quid agerem? me deſerem? atque auitum decus quod nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit imminui, ac perduraturam ignominiam obteri paterer?

Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni.

Ad Veneti Apollinis Oraculum confugi, Numenque omnia videns obteſtatus ſum, vt has calumniæ nebulas publico exemplo depelleret. Reſpexit Deus. Auguſtæ Curiæ cauſam meam approbaui, plenaque inde ſuffragia tuli, & ſicut ille quondam de matris nece, ſic ego de fraude in patriam Oraculi reſponſo abſolutus ſum. Perieram niſi periiſſem. Penè tanti fuit iniuria, quæ me Principis genio propius adſtituit, quâque factum eſt, vt præſentes Deos contra tueri, eorumque reſponſo beari fas eſſet. Quòd clariores inde euaſimus calumniæ debemus, quod penates ab ſordibus defendimus, quòd familiæ ſacra ſarta tecta ſeruauimus, quod auorum memoriam modicis rebus penè obſoleſcentem deterſo ſqualore in ſplendorem aſſeruerimus, id totum gemētium aduerſariorum artibus imputabimus.

Sed quòd nobis ferè gratiorem iniuriam fecit, hæc eadem machinatio me dignum hoc Areopago reddidit, veſtroque ſanctiſſimo conſeſſu. Veneta maieſtas mihi genus ſeruauit, vos à me P. P. optimi inſcitiæ calumniam propulſabitis, plus dixerim vobis debituro, quanto magis bona æſtimantur,

quæ in nobis sunt, quàm quæ à maioribus accepimus. Nomen meum ac dignitas ab vestro venerabili ore pendet, ac trahitur vniuersa. Per vos perire mihi non licebit, fortasse alioqui perituro nisi periissem. Vos Deorum beneficia perficite. Vos longo exilio finem imponite, quod natali solo antehabui, vt procul ab his moribus agerem, ne me patriæ crederem, quæ tanquam novum ac gigantum fratrem despiceret. Tunc redux ego vobis veluti Dijs Præstitibus soteria persoluam, nec pecudum fibris aras imbuam, sed sincero affectu nomen vestrum posteris quoque transcribam, quos beneficio vos ante cumulastis, quam eius capaces esse posșent: ipse illud identidem vsurpabo, periturum me fuisse nisi periisșem.

LAurea triumphalis, quæ olim non nisi cæde ac sanguine, atque ingentium copiarum strage parabatur, nunc salubri inuento ad pacis munia decoraque translata est, doctorum frontes coronatura. Hæc quondam magnis cladibus semper stetit, aucto etiam funesto pretio, postquam mortuorum numerus exactus est, vt non tam de hostibus, quam de humanitate triumpharetur. Nunc mitius res humanas Numina respexerunt, & inermis Musarum chorus furori martio lauream inuidit. Ita pro truci tubarum cantu, lenes doctorum voces successerunt, gladios calami excepêre, in pugnantium discrimen mitis disputantium concertatio venit, nec iam humanum genus delendo, sed donando immortalitatem Laurea comparatur. Quamquam si dicere fas est, antequam adhoc decus euehare certandum est, nec perfunctoriè, & vel bellum, vel belli simulachrum ciendum. Vt enim omittam ab iuventute sæpè musas armatas Sparthano more coli, eademque manu pacatos calamos, & sanguinolenta tela, Martisque fulmina tractari, cum domestico hoste, hoc est secum pugnandum est, & ab intestinis insidiis cavendum.

In-

Inſcitiæ monſtra debellanda, expugnandæ voluptates, fugandum otium, vincendæ cupiditates, algendum, ſudandum tanquam ſub pellibus, & in hoſtico. Violantur ſoporis fœdera, non ad vallum vigilatur, ſed ad pluteum aguntur excubiæ, iuvatque non ſub armis, ſed librorum faſce gemere, Luciferi ortu, quo caſtra duces & ſigna mouebant, excutitur quies, & ab eruditis mortuis commeatus petitur: itur ad doctores velut ad Tribunos, & Centuriones, per quos diſciplinarum teſſera diuidatur. Sic literarum Tyrocinium ponitur, ſic veteranum robur inducitur. Quoties velut in acie collato pede cum aduerſariis confligendum, infeſtoque rationum & auctoritatis mucrone iugulum hauriendum? Quoties ſcriptis hoſtes eminus petuntur? Sic per tot caſus, ac diſcrimina, improboque labore ad lauream contenditur.

Huic ego militiæ iamdiu non perfidum ſacramentum dixi, & baltheo cinctus ſapientiæ auctoramento ſub Aſtreæ vexillis merui. Placuit hodie Senatui Ampliſſimo triumphũ decernere, trabeamque & Laureæ decus dilargiri. Quid agam P. C. quo ore grates gratiaſque referam? Id vnum dicere ſufficiat, hoc laudum curru humanitatem veſtram immortalitatis Capitolium inuehi, & quoties triumphum decernit, toties ſapientiam veſtram triumphare. In veſtro ergo ſinu lauream depono, in tuo pręcipuè Paule Dotte, tu enim mihi Iupiter Anxur, hoc eſt florenti ætate ſummorum Iuriſconſultorum canos ſupergreſſe, cuius beneficio non tam vita, quam vitæ rectrix, ac dominatrix ſapientia contigit. Io triumphe, non tam mihi, quam vobis omnibus, qui quotidie de vitiis, de inſcitia triumphatis.

VLyſſes Troianæ gentis exitium grande fortunæ ſæuientis ſpectaculum, vbi Phrygia fata peregit, cum fugiẽtis patriæ appulſu ab iratis Numinibus arceretur, letho proximus, moxque naufragio periturus, fertur fatali zona, ex

mediis furentis pelagi minis ereptus. Non dubium tristissimæ mortalitatis exemplum, magnumque sapientiæ arcanũ, cuius ope ex perturbationum æstu, ex cupiditatum fluctibus atque ærumnarum procellis, ex fortunæ naufrago tumultu mortales eripiuntur. Quod si alius vnquam hoc Astreæ beneficium præsentius sensit, is profecto ego sum, in quem malo astro natum videtur fortunæ impotentia omnes calamitates, & Tragicæ scenæ mala expetiuisse: tot casibus, tot periculis, tot infortuniis exercitum, quantacumque perferre humana conditio potest. Hostium conspiratione oppressũ, longo carcere ac vinculis innocenter fractum, morbis sæpe ad extrema deductum, nec vnquam quietum, nisi cum alias ex aliis calamitates nondum satiatus fortunæ furor alternaret.

Tandem Astræa respexit, & tot malis iactato fatalem vittam largita est, cuius ope iratos fluctus exirem. Hæc vna mihi lux in cœca nocte, hæc Ledæa sidera affulsêre, meque in hunc felicitatis portum vestro beneficio deduxerunt. Nunc litoralibus Diis, idest vobis viri sapientissimi vota soluenda sunt: Tibi præcipuè M. Aureli Galuane vir consultissime, atque eruditissime, qui vt alter maris potens, & motos fluctus composuisti, & tumida æquora placasti, salutem debeo, & quod salute præstat honorem, ac decus. Pro quo tenuis cultus donarium, quodque nudum ex naufragio decet, simplicissimi affectus monumentum sospitatori, ac seruatori appendo.

VIctores Olympiæ in humani generis conuentu acclamationibus & plausu in Cœlum ferre, palmaque nobili euehere ad Deos vetustas consueuit. Corporis robur pedum velocitatem, equorumque & quadrigarum ignobile studium prosecuta. Quo magis lubet admirari laude premiisque exceptas corporis dotes, quibus ab brutis ipsis supera-

peramur, nullam aut exiguam ingenii laudem fuisse, quod nos ab reliquis animantibus secernit, estque eo nobilius, quod animi imperio, corporis seruitio vtimur. Magna seculi nostri felicitas, quo prospicere nobis veram laudem, eaq; bona possumus, quæ propria hominis sunt, nec aut ætate deflorescunt, nec morbis atteruntur, nec fatorum inuidiam reformidant. Sua literis laus est, sua sapientiæ, & corporis insignibus ingentes animæ decorantur.

Me quoque in hoc Iuris prudentiæ curiculo ad veræ gloriæ metam anhelantem, vna humanitatis vestræ spes sustinuit, labantem erexit, fouit, atque in hoc ætatis flexu gloriæ, & immortalitatis admonuit. Decurso igitur vestris auspiciis stadio, non aliud quam vos magnos Agonothetas venerari, omniaque bona ab superis precari possum. Quoscunque enim benigno lumine respexeritis, ij vulgo exempti nihil plebeium sapere aut spirare possunt, gloriæque commendati, æternitatis albo adscribuntur. Huc cuncta vota mea reciderunt, hoc est quod me vixisse gaudeam, quod tantam felicitatem primum Deo prępotenti, dein vobis imputem. Te vero Cęsar Feramusca Iuvenis doctissime, quo nomine appellem nescio, qui in magni patrui sinu arcana sapientię edoctus, ijs annis, ea publice profiteri cepisti, quibus ea primo perdiscere magna laus habetur. Tu hodie tuorum in me meritorum summam hoc vno absoluisti, quo ante mortales interioris literaturę, atque eloquentię, quod gentile bonum est, fama deuinxisti. Viuas modo, valeasque & quod mihi nunc, id diu pluribus merito pręstes, diu multos votis damnatos ad Themidis sacra sistas, sic te Themis, sic salus ipsa ęternum respiciat.

EXorientis glorię festa hæc lux mihi semper optatissima, & laborum meorum finem attulit, & nouæ felicitatis initium, & grande meritorum vestrorum incrementum. Nec

alia mihi lætior affulsit dies, qua me vestris auspicijs, atque humanitate innocens laurus vilibus curis euexit. Quæ quò maiora sunt, & spem quoque meam, ac vota præcurrunt, ita etiam maiestate sua subducta, nulla vi exprimi, nulla Oratione percenseri possunt. Cum præsertim eo ipso felicitatis fastigium attigerim, quod tuo ductu Abbas Paulucci, Vir præstantissime, immortalitatis insignibus decoratus sim, quem summum sanctior prudentia Antistitem, & disertissimum Pytho in huius Collegij, in seculi decus ostentauit. Verum sacra Charitum violare videor, & verborum volubilitate beneficij magnitudinem imminuere. Magis me tacente intelligent homines, quod vos non tam de me, quàm de studiosis omnibus atque hac ætate optime meriti sitis, atque eo maior benignitas vestra est, quo humanas vires supergressa hoc ipsum imputat, quod omni gratiarum actione maior est.

QVod me laboribus, ac vigilijs ritè expiatum ad Themidis sacra produxistis, atque ex Virtutis templo in proximum Honoris Theatrum transire iussum, doctarum frontium præmio decorastis gratias habeo, quantas capere imbecillitas mea potest, referre non potest. Nam si ex largientis dignitate beneficium æstimatur, quid vobis illustrius, aut præstantius excogitari potest, qui Deæ istius sacerdotes, Romanum cultum cum laurea rite initiatis conceditis, tum gloriæ atque immortalitatis arbitri quibus visum est æternæ famæ prærogatiuam dilargimini. Vestra hæc insignia ad laudis incrementum incitamenta sunt, magnamque mihi præclarè agendi necessitatem impositam sentio, vt cum me præstem, qui vestro hoc honore, tantorumque virorum iudicio non indignus videar. Me ergo nomini vestro perpetuo addictum habebitis, & ex hoc facile muneris vestri magnitudo apparebit, quòd sola beneficij professione exsolui possit.

Ve-

VEterum ſacrorum id demum ius fuit, vt & prophanos arcerent, nec tota ſimul traderentur. Sic olim Samothracia, ſic Eleuſinia adytis ſuis, & inexplicabilibus arcanis à prophanorum curioſitate, à ſacrilegorum auſu ſatis muniebantur; mortalium ſpes torquebant, ſuſpendebant vota, deſideria irritabant, cupiditateſque excruciatas differebant in longum. Hinc aliæ ex alijs ceremoniæ: minora, ac maiora myſteria: delibatus honos, ac completus, per longas ambages, per gradus, ac ſuſpiria, preceſque iam laſſas ſacra commendabant, & gratiora reddebant, quo fuerant expectatiora.

Veſtrum hoc Patres Iuriſprudentiæ delubrum eſt, in cujus ſpem præclara iuventus generis ac literarum prærogatiua informatur. Inſtar Eleuſiniorum hæc ſacra ſunt, veraque Theſmophoria, ad quæ non niſi per minora ſacra, longaque initiorum experimenta aditus patebat. Sic quicunque ad hæc veſtra myſteria vetuſtate, ac religione auguſtiſſima anhelant, ſacrorum initijs Patauij imbuuntur, atq; ibi per quinquennium, maiuſque ſpatium ad hæc præparantur. In hanc ipſe quoque fortunam editus atque educatus, huc tot annorum vota intendi, & Patauinis ſacris per ſexennium initiatus qualecumque virtutis experimentum dedi. Nunc demum in veſtibulo Deæ ante ora veſtra poſitus, Patres, ac Pontifices venerabundus obteſtor, per loci maieſtatem, per Deæ ipſius Numen præſens, per quicquid ſacrum, ac ſanctũ eſt, me ad Aſtreæ veſtrique cultum admittite: religioſum inuenietis ſi Deam, voſque adorari permiſeritis. Et quoniam tota initiorum religio ſilentio conſtitit, ad oracula tua magne Antiſtes ac Hierophanta patere me ſacrorum legibus vti, mutumque, atque elinguem tanquam Pythagoræum multum audire, parum, aut nihil loqui.

Ho-

HOmerus poetarum Plato, cùm fictis fabulis sanctioris sapientiæ mysteria prophanorum oculis subduceret, vt Iouis inexplicabilem maiestatem describeret, quùm forte is minus dicto audientes Cœlites haberet, vt admoneret obsequij, atque inluctabilem Imperij sui vim ostenderet, sic eum in concione superis minitantem inducit. Demissurum se in experimentum ex olympo auream catenam, tum Cœlites omnes, tam proceres ac Consentes, quam minuta Diuorum plebs, Cœlique ærarij, collatis viribus ad catenam appensi, tentarent, si quo pacto possent ipsum vel latum vnguē de solio dimouere. Vbi tanti conatus in irritum cecidissent, seipsum cum libuisset eâdem catenâ, non pelagi modo, terrarumque tractus, montium iuga molesque, inertem telluris globum, ipsasque inferorum sedes, sed omnes Deos inde pendentes, ac reluctantes in Cœlum subducturum, ac demissurum, tanquam si oscillatione luderet.

Quid aurea hæc catena apud vatem maximum esset, sapiētiæ interpretes anxiè quæsiuerunt. Alijs fatum, alijs prouidentia, alijs aliud arcanum visum est. Sed serio cogitanti mihi, non aliud, quam rerum dominam Iurisprudentiam ab Homero demonstratam apparet. Hæc enim Iouis mens ac consilium, hæc diuina potestas, visque immensa, & inluctabilis, fato maior, res humanas æquis Imperijs temperat, hominum societates tuetur, scelus ac maculosum nefas procul habet, furentem multitudinem compescit, hominem animal numquam satis domitum, per ferrum, atque ignes iracundiam explens, sub potestate habet, atque ab æterno Iouis solio pendens, summa imis vertere, Orbem concutere, ipsosque Inferos, ac brutam tellurem reuellere potens est.

Ita quicunque huic Deæ nomen dederit, eiusque sacris initiatus fuerit, eum rerum humanarum arbitrum illico fieri manifestum est, mortalium fortunas subiectu habere, præmia, ac pœnas decernere, hoc est Iouis ipsius æternam, atque incircumscriptam potestatem proxime referre. Fateor Auditores

tores optimi, in me pene puero mirabiles huius Deæ amores excitatos esse, & cùm primùm ex ephebis excessi, iniecta in maiores contemplatione, atrium domesticis imaginibus ex cultum perlustrans, vt auita laude ad decus capessendum incitarer, animi anceps hærebam, cui me studio potissimum addicerem. Hinc enim paludati, ac triumphales aui sceptra, & gladios oculis inijciebant, legionum regimen, defensam patriam, victricia arma circumlata, captiuorum greges, altamque cruore laurum, & per mille mortes acquisitam immortalitatem. Ita veluti desidiam, ac degenerem animum exprobrabant, si inter adolescentum subsellia iuventam consumerem, moxque ignaua, atque incruenta laurea, euinctis temporibus, ciuilibus officijs togam contererem, & vel fori iurgia clamosamque rabiem sectarer, vel Aedilis inæquales mensuras frangerem: vel rerum capitalium Quæsitor, supercilio, ac minis, sed magis cruciatibus sontes torquerem, inter quorum sordes, ac reatum miserè obsolescerem: aut demum ad Prætoris tribunal absurdos disceptantium clamores tota die audiens lites tollerem, vel sererem; Et si hæc omnia displicuissent, vel alto otio pallerem inglorius, vel ruri abditus inter agricolas, & operarios boues mustulentum Autumnum, atque ignauas hiemes, occupato villici munere sordente foco transigerem. Itaque torporem excuterem, & belli munia strenuè capesserem, quibus ingens gloria, altæque opes penatibus inueherentur. Hinc verum triumphum, hinc virilem lauream peti, cetera puerorum plorantium crepundia esse, otiosorum hominum ludibria, atque indecora inertiæ velamenta.

Contra hæc placido ore togati aui differere videbantur. Cauerem summopere ne tam præcipiti consilio aures commodarem, ne inanis gloriolæ spe animæ prodigus spiritum ac sanguinem arenæ, ac funeri autorarem. Ne exuta humanitate, ferarum ritu humanum cruorem haurirem, cœdibus fruerer, & alta hostium strage oblectarer. Quæ enim per

Deûm

Deûm fidem barbara voluptas, lanienam corporum exercere, bacchari per cædes, iugulare iacentes, spirantes vultus calcare, Vrbium interesse funeribus, accelerare fatorum rabiem, & quasi non tot quotidie morerentur, ne Libitina decoqueret, Acheruntis censum augere? Atqui feras, vel irritatas longo carcere, ac fame, consanguineis feris parcere, hominem homini lupum esse, & inter eiusdem gentis, atq; eorundem sacrorum participes sanguinem fundere, pro ludo haberi. Vt omnia tamen feliciter cadant, quem securum memorare suas pugnas posse. Quotum quemque ex sæuo ludo superesse? Veniret in mentem quot ipso militiæ rudimẽto intercepti essent: quot primis prælijs occubuissent, & quam semel corpore tetigisset tellurem, æternum morderẽt. Quot stipendiis emeritos post tot exhaustos labores, cum minime crederent, leui pila, aut imbelli mucrone prostratos; magnam partem pacis portui proximos, nouis fluctibus resorptos, Martis naufragio obrutos. Ite nunc mortales & magnis cogitationibus oblectate spes vestras, optate requiẽ senectæ: arma postibus affigite, præteruolans globus, cuspisque adacta vota intercipit, sæpèque collapsas domos vno ictu inuoluit. Proinde pacatum decus capesserem, & ciuilibus ministerijs patriæ, ac magistratibus spiritum reseruarẽ. Vt in summo Iustitiæ throno mortalium cætus regerem, iura populis darem, responsa etiam armati timerent, postremo longa serie ductos per familiam honores propagarem.

Hæc sententia mihi potior visa est. Inde me totum pacis studijs addixi, ac Themidi nomen dedi. Quid profecerim hodie si per vos libuerit experimentum daturus sum. Nunc sine lituo, ac truci murmure cornuum, pugnæ incruentæ simulachra ciere animus est, vel vicisse, vel etiam manus dedisse gloriosum fuerit. Hoc ergo agamus.

Na-

NAscentis Orbis primordijs cum recens humanum genus in omne ſcelus ac flagitium rueret, iratum Iouem poetæ prodiderunt, de ſuperum conſilio terrarum eluvione ingratos mortales perdere ſtatuiſſe. Ita laxatis Oceani clauſtris, Cœloque in imbres, ac grandines liqueſcente, primò plana Orbis ſtagnarunt, mox, & turrium faſtigia, & edita montium cacumina toto elemento obruta iacuerunt. Solum biceps Parnaſi iugum ea peſte intactum, ſacratum verticem cuncta prementibus vndis extuliſſe, atque illuc ex totius mortalitatis naufragio hominum par enataſſe, & in Themidis templo vota poſuiſſe, ſorteſque popoſciſſe, veteribus traditum eſt.

Quæ quidem reputanti mihi Patres Ampliſſimi, non obſcura, & maieſtatis Iuriſprudentiæ, & veſtræ humanitatis argumenta apparent. Nam vt olim aquis, ita nunc vitijs terrarum Orbis obruitur, & vel inſcitiæ fluctibus iactati mortales fluitant, vel voluptatum gurgite merguntur: & ſi recte calculum ponas, vbique naufragium eſt. Pauci admodum improbo labore euerberatis vndis ad bicipitis Parnaſi, hoc eſt Cęſarei ac Pontificij iuris cacumen enatant, & in Themidis templo humani generis fata petunt, redduntque. Me quoque Ionium frangere, noctem hiememque vincere, vaſtoque ingurgite pelagi, Cœlique furorem vitare, hucque demum appellere potuiſſe vix mihi credo. Veſtrum id munus eſt Patres optimi, qui amæna Parnaſi vireta incolitis, & quotidie mortales ſcopulis, ac fluctibus vindicatis. Tu præcipuè Cæſar Feramuſca Vicentinæ nobilitatis decus, prima iuventa inter Iuſtitiæ ſacerdotes virtutis merito adſcripte. Ipſe parens, locique dominus Apollo, cum hæc loca ſubiret, ætatis flore vernabat, & iam tantus erat, vt ab adoleſcente grandæui ſenes reſponſa peterent. Hoc tibi magnum ſuperi dederunt, vt inſidere tripodi, & fatidicas cortinas mouere iuvenis poſſis, vnde grandi ætate, totque annorum myſtæ ſubmouentur. Me igitur ad limina, laurumque Dei bono cum omine inducito. Fata cane,

&

& quæ tibi Delius inspirat, refer, sacra fronde tempora vela, Phebæa adita, atque Astreæ recessus pande, & eris mihi magnus Apollo.

VEtus mos fuit Orbeq; adhuc recenti inductus, vt quos præclara facinora, artes inuentæ, magnaque in genus humanum merita mortalitate superuexerant, eosdem Cœlo sacratos Diuorum numero adscriberent. Sic Hercules, geminique fratrès vitauerunt Orcum, sic Phrigius Heros, Romulusque pater Indigetum numerum auxerunt: sic demum nouam hominum Coloniam, quasi non satis monstrorum in Hesiodea diuinitate esset, in cœlum traductam, grata posteritas aut credidit, aut finxit. Rarius inde parciusque, maiore diuorum populo, quam hominum, Cœlitum ciuitate donati sunt mortales, donec Cæsarum fastus hos sibi honores ab ijs expressit, à quibus libertatem extorserat, vt vltima seruitutis patientia viuentes, ac videntes consecrarentur. Id vocabuli fastigium, etiam qui vanum crediderunt sibi inter regnandi munimenta circumposuerunt, & quasi fatali destinatione diuinitatis candidati Cæsares, vt citius Cœlum augerent, propere terris pellebantur. Multum irridentibus, qui viderant, quique audierant, sæpe Deos fieri, qui flagitijs hominum ius, ac naturæ sacramentum violauerant, & ab ijs Cœlo transcribi, qui alios facere Deos, se ipsos non possent.

Sed quæ est ista intempestiua philosophia? Quid ve attinet Diuorum veluti lustrum agere, atque Olympi album dispungere? Vt illa aut Græcæ assentationis, aut Romanæ seruitutis dedecora; ita si fas est dicere, vestra hæc Patres Apotheosis solida est ac sincera, non extorta, aut fucata, sed solius virtutis autoramentum. Nam si vos Deos esse dicerem, non modo assentationis suspicionem non vererer, vt etiam me rem præclaram fecisse arbitrarer, qui scirem sacrorum Oraculorum responso, Vos, & quicumque ius mortali-

bus

bus dicunt, & in excelso Themidis templo præmia, ac penas dispensant Deos vocari. Sed detur hoc modestiæ vestræ, detur seculi, ac Venetæ libertatis ciuili genio, vt vos non Deos, sed Dijs proximos, ac veluti Deorum optiones, sed Deorum imaginem, vestrumque hunc sanctissimum consessum, Cœlestis illius simulachrum, quo rerum naturæ vices, ac mortalitatis negotia æterna lege reguntur. Vobis enim tamquam pro specula excubantibus humani generis fata concredita sunt, nec secus ac Iupiter Homericus ex geminis dolijs bona atque aduersa mortalibus partimini, & cũ Dijs ipsis bene merendo de hominibus, contenditis. Ita si vos non Deos magnos, certe consentes, & consiliarios dici fas est. Idem ille Iupiter nisi adhibitis in consilium Dijs assessoribus fulmina mittit, altasque turres iaculatur, vos cum opus est de capite ac fortunis hominis sententiam fertis, ijdemque mortales Ioues, Tros, Rutulusue fuat, æqui estis.

Non itaque mirum esse debet, si in hunc Heroum conciliũ admitti Vrbis huius alumni omni ope contendunt, hæcque votorum summa est. Hæc nempe domus bipatentis Olympi, quo non Homerici Dij gregatim, ac tumultuariè, multoque Nectaris flore percussi congregantur, & in partes diuisi mera mapalia faciunt, sed ijs artibus exculta nobilitas, quibus parta est, sed sanctioris sapientiæ decus, sed vtriusque literaturæ cognitio, sed artes domi forisque præclaræ conueniunt, ac pro ciuium salute, pro Veneta maiestate, pro patriæ dignitate, pro gloria, pro immortalitate peruigili cura consultant.

Nec me audaciæ accusari par est, quod inter magnos candidatos nomen meum profiteri non dubitem. Nam si optimos mortalium altissima cupere, prudentiæ summus firmauit, in hac tenuitate diffidisse aut desperasse pusilli animi foret, ac degeneris. In id ergo ab adolescentia ad nisus sum: huc mentem huc vota conuerti, huc quinquennij labores direxi, huc nocturnas vigilias, atque indictum voluptatibus

bel-

bellum, vt tandem in hanc Olympi Regiam, si non inter magnos, at inter minutos Diuos numerarer. Deorum est, vt liuore non tangi, ita precantum vota pronis auribus excipere, quibus si me damnabitis, vos testor, posterosque meminisse volo. Nec tam præsentes alibi cognoscere Diuos, nec me potuisse mitiores.

CHarites Deas, quas Latini Gratias dixerunt, ingeniosa vetustas nudas induxit, ridentes, manibus implexas ac perpetua iuventa florentes. Omni veste abiecta, quod gratiarum actio simplex, ac minime fucata, nullisque pigmentorum iniurijs interpolata esse debet. Risus non beneficium modo, sed prompte, atque hilariter serenaque fronte collatum demonstrat. Quod manibus iunctæ sunt, id vero denotat beneficia non vna, sed & mutua, & alia subinde cumulata. Tandem florens iuventa, quid aliud sibi vult quam beneficiorum memoriam nunquam senescere debere, sed integram ac vigentem in animis mortalium perennare? Patres Amplissimi quantum vobis debeam vix ipse capio, & in tenuitate mea id vnum polliceri, id vnum præstare possum nudo ac simplici obsequio agere me nunc, & perpetuo habiturum gratias, quantas cumque capere humanus animus potest. Gestientem insuper tanto beneficio omnem vitæ tristitiam hac hilaritate discussurum. Et quia par pari reddere non possum, saltem quandiu spiritus hos reget artus, tanti muneris beata quadam recordatione perfruiturum. Iuvenis adhuc sum, sed celerimè labetur hæc ætas, & Deus faxit, annorum flos tristi senio soluetur: memor operis vestri gratia, ætatis iniuriarũ expers, perpetua iuventa vernabit. Tibi præcipue Paule Dotte Magnum huius Collegij decus, quo duce Charitum delubra ingredior, easdem Deas pręsentes ac propitias semper precabor, vt illæ de te, tu de humano genere optime quotidie merearis.

Vlys-

VLyssem capto Ilio terris, & alto iactatum fracta rate irato mari luctantem, ad Phæacum littora expulsum, nudum, omnis humanæ opis egentem hospitio exceptum, Regiis hortis, epulisque refectum, postremo maximis muneribus ditatum patriæ incolumem redditum Homerus vates prodidit. Magnum vtriusque fortunæ, & nunquam destitutæ virtutis argumentum. Me quoque si non rerum gestarum gloria & calliditate Itacho parem, at iuventæ erroribus, casus eius proximè referentem, lubricæ ætatis salo iactatum, hæc dies natali felicior ad has beatorum insulas exponit. Quid enim aliud Iuventa est, quam pelagus, vnde pauci incolumes enatant, plures eluunt, plerique omnes uvida veste vota litoralibus Dijs nuncupant. Aetatis ipsius in elemento instabili inconstantia, latentes infortuniorum scopuli, malaciæ blandientis perfidia, venti, ac turbines discordiarum, syrenum insidiæ, quid aliud quam maris fidem infamem reddunt? Iuvat nunc tellurem premere, magnæque matri oscula figere, iuvat trepidum respectare, gurgitesque, & dehiscens pelagus fessis luminibus tueri, iuvat vobis Phæacibus grates, gratiasque habere. Tibi præcipue Michael Pierucci præstantissime tanquam Alcinoo seruatori, quem ingenii singularis solertia, eximia sapientia, nec vno casu exercita virtus Phæacum sceptro dignum reddunt. Tu me phaselo vastum æquor ingressum consilio, ope rexisti, tu cautes vitare, tu littus legere, tu ridenti serenitati nihil fidere docuisti: nunc me portum subeuntem per Nausicaam, hoc est Iurisprudentiam excepisti, nouoque cultu alium iam hominem induisti. Tibi ergo tantum debeo, quantum naufragus, & exspes tutelæ debet, & seruatori.

COelo demissam, humanis rebus decus, ac tutamen sapientiam, nascentis Orbis initio innocentes animæ exceperunt, eiusque beneficio vitam Dijs proximam transege-

re. Non fixæ ære leges, non minis, ac supplicijs vetitum nefas, non terrore coercita peccandi licentia, sed sponte virtus placebat, boniique mores sola innocentiæ commendatione probabantur. Sed ea primorum mortalium moderatio fuit, vt cum verè sapientes essent, sese modo sapientiæ cultores profiterentur, mitigato eorum fastu, qui superbo hoc titulo intumescebant. Et diu quidem diuinam hanc Penelopem nobilissimi proci in nullius iniuriam sectati sunt, diuque vita magis, ac moribus quam verbis sunt philosophati. Quid eo sæculo beatius cum præter ostentationem sapere licebat, seque non modo à publica re, verum à mortalitatis contagione secernere, & anticipata beatitate perfrui, omniaque ad sapientiæ præscriptum exigere pretium fuit?

Ita quandiu sincera, minimeque fucata sapientia viguit, is honos eius sectatoribus habitus est, vt vel Dij vel Dijs geniti certe humana sorte augustiores crederentur. Sed postquam factione, & scelere sapientia contaminata est, barba & pallium, sed præcipue intoleranda superbia penes impostores remansit. Si vultum cultumque respiceres, non improbares, Compositum os in modestiam, deiecta lumina, subducta supercilia, verba veluti ex imo pectore eluctantia. Proscissi seculi mores, temporaque virtutibus infesta palam damnata, procax in summa capita libertas, & ad captandam vulgi auram importuni latratus, animæque tanquam rei superuacaneæ contemptus.

Sed si introspiceres dira ambitio, in æquales liuor, fœda flagitia, Deorum contemptus, & hominum, communicatæ vxores, matrimonij reticenda in propatulo vsurpata, pecorum ritu vulgati concubitus, & media luce plantati ciues, interior vita toto Cœlo ab oratione discors, opinionum pugna, & solo vincendi studio digladiationes, nulla veritatis, aut virtutis cura, inter infensos corruptosque, ac corruptores.

Incredibile dictu est quantum, quamque inexpiabile odiū sibi,

sibi, ac posteris monstra hæc conflauerint. Primo enim dum sapientiam in partes secant, & quod olim Homerici Heroes μύστιλλον τάρατ' ἄλλα distrahuntque ac lacerant, solidum eius contextum labefactarunt, tum erumpentibus flagitijs, tantum sibi atque arti dedecus contraxerunt, vt quoties aliquis in publico apparuisset, opaca barba, & renudante perscissuras vanitatē tribonio, statim illud vulgo vsurparetur, Impostor, & id quod dicere nolo. O fatum sapientiæ infelix! Siccine à cultoribus suis vexari, trahi, lacerari, prostitui? Verum hoc vnum diuinitatis argumentum est, inter philosophorum fœda facinora, inter mortalium execrationem, Orbisque liuorem agitatam sapientiam, nihil de pristina maiestate amisisse.

Est quod superis etiam hoc nomine gratias agamus, quorum virtute sine opprobrio vulgique inuidia, ac saluo frontis pudore, non per ganeas, ac gurgustia, & fœdissimarum voluptatum latibula, sed palam, & clara luce huius Deæ sacra frequentare licet. Profligata impudentia est, compressa licentia, detracta sycophantis larua, & tandem bona fide sapientia mortalibus restituta,

Vtinam hodie reliqua conuenirent, & Philosophia veteri probro asserta, si non cultorum suorum infamia, saltem mortalium neglectu, & neglectum sequente inopia, non laboraret. Laudatur nunc philosophia, & friget, summo cultu, ac veneratione sacrum hoc nomen excipitur, reliqua iacent, & Medicis, ac Iuris consultis cuncta occupantibus, magna hæc artium, ac disciplinarum mater, siue alumnis suis, siue ancillis decedit, & penes se inanes titulos, penes gnatas, operasque suas rem esse, & factionem non inuidet, non indignatur. Quid ergo opus mihi fuerat infrugiferam sapientiam sectari, & non potius iis artibus nomen dare, quibus honestæ opes pararentur, veteris, & numerosæ familiæ commodo, cui graue onus incumbit innocens, & minime opulenta nobilitas? Primum omnium optimo parenti gerendus mos fuit, qui mihi Victoris nomen indidit, vt fratris eximii philosophi memo-

riam renouaret, cuius doctissima voce adhuc hæc sapientiæ sacraria personant, quem olim ætatis nostræ Philosophorum Princeps, animæ dimidium suæ, & gymnasii mentem appellare consueuerat, qui si fata aspera rumpere potuisset, absit dicto inuidia, profecto effecisset, vt summi illius viri extra aleam ingeniorum, sicut extra omnem inuidiam positi desiderium mitius ferremus. Prouidè ergo mi parens cauisti, ne tanti viri memoria intercideret, vt eius nomine tanquam stimulo ad gloriam patrui æmulandam excitarer.

Super omnia eo precipuè ad Philosophiam animum adpuli, vt me liberali causa manu assereret, & quandoquidem mihi illud beatissimum contigit, vt non Athenis, quòd ille gloriabatur, sed sub maximo ac mitissimo Veneto Imperio nascerer, hoc est maxime libera terrarum parte, reliquũ erat, vt quoad fieri posset, animum etiam in libertatem vindicarem. Nec aliter seruitium exire licebat, quam si Philosophiæ ope vitiorum compedes, lenta voluptatum vincula, iuventæ blandientis nexus effugerem. Philosophiæ beneficio etiam capillatus capere pileum possum: illa aduersus feros, & impotentes dominos vindicias tulit.

Erant prӕterea aliqua hoc seculo, his moribus, quæ non nisi philosophico stomacho concoquere possemus. Nisi quis loca sola, ac deserta cogitat, quibus aspectum tristibus, ne ne doleant oculi, subducat. Occurunt illa vulgo, nec lumina modo, sed indignantem animum lacessunt, quæ solius sapiẽtiæ præceptis, quàm aspicere possumus, tam ferre. Cuius vis atque institutum est, vel malos meliores facere, vel eorum labe non infici. Itaque me totum huic Deæ addixi, quantum profecerim, Iuvenes ornatissimi, explorare vester labor est, mihi gloriosum fuerit ex sapientiæ contubernio, quod dificillimum est, modestiam retinuisse, vt victus dem manus, nec contentione, aut altercandi studio, sed veritatis amore in campum descendisse dicar.

Rebus ad nutum fluentibus animum insolentius non attollere,

fere, neque aduerſis frangere, humiliuſque demittere ſapientia prima eſt. An recte me in hac Muſarum palęſtra geſſerim veſtrum arbitrium erit, mihi vtriuſque fortunæ moderatio relicta eſt. Neq; tamẽ longo verborum ambitu grates expediam, quod tantum beneficium verbis expendi nõ poſſit, & Philoſophia magis rectè facere, quam dicere præcipiat, animumque erudiat, quam liuguam. Hoc etiam me excuſabit, ſi duo clariſſima Veneti Senatus lumina, geminam huius Vrbis tutelam, & benefica ſidera, non exaggeratæ Orationis pompa, atque effuſis Rhetorum myrotheciis, ſed ſimplici, ac ſincero affectu proſequar. Ex ſacrorum formula fauebo linguæ, nec tantas laudes inopia ſermonis humani temerabo, & ad tantum fulgorem perſtrictis luminibus, id vnum paſtores populorum, poteſtate Diis proximos precabor, vt quemadmodum immortalibus operibus magis quam verbis ſibi hanc Vrbem, genuſq; humanum deuinxerunt, ita etiam non tam verba, quam mentem ſupplicum reſpiciant.

AVdiuere ſuperi vota mea: audiuiſtis vos, quibus ſecundum diuos omnia debeo. Non plus olim ad Thebanę Sphingis aſpectum, nodoſaq; ſortis verba expauit Oedipus, quam ego ante ora veſtra placido licet lumine ſerena ad legum ænigmata horrore ſacro perfuſus ſum. Dirceæ rupi monſtrum illud inſidens, cruento rictu cœcas ambages miris modis implicans, hærentes captoſque ad carmen horrendum mortales, infanda vates mactabat: ſpirituſque impendio lubricæ, atque ancipitis Orationis inſcitia ſtabat. Liceat Patres dixiſſe. Sphinx, ſed humana, ſed mitis veſtras has ſedes incolit. Non illi ferinum os, pallenteſve genæ, & imbutus mortalium cæde rictus, non cruenti vngues, alitiſque feræ aſpectus eſt. Nihil præter obſcuras ſortes & implexos nodos ſphingis habet. Hanc quicumque ſacramentum Aſtreæ dicturus eſt, accedit, ſortes poſcit, reſponſa elicit, qui-

bus soluendis trepidet. Nectit illa ambagés, nexasque miscet, mentisque dubiæ acumen explorat, & torquet. Non vnus Oedipus est, & implexæ sortes innoxia vate solvuntur. Sed quicumque deprehensus hæsitat, nec se expedire, cœcoque negotio extricare nouit, is quidem non vita, sed quod vita carius est honore mulctatur. Mitiori seculo maius supplicium obuenit, si tamen inter viuos numerandus est, qui sibi ipsi superstes, inter viuentes salua fronte versari non audet, sed famæ decoctor ex doctorum, hoc est ex hominum albo expungitur, vitamque morti simillimam, quoniam de vtraque siletur, transigit.

Ego valde metui, ne pro Oedipo Davus essem, sed vestris auspiciis Patres lenta vincula exire licuit, tua præcipue ope Paule gentis prærogatiua ante omnes disciplinas Docte, & postquam ceteros docere cæpisti Doctissime. Qui intra iuventam ea cumulate præstas, quæ vel polliceri magnum habetur, in hoc Iurisprudentiæ studio, iam tum metas attingés cum adhuc in carceribus versari laudabile esset. Tibi hisque vniuersis prolixe gratias agerem, nisi me sphinx arcanorum insigne silentii admoneret.

VT verum fatear Patres, & ipse fortunam meam vix capio, & beneficium vestrum maius est, quam vt verbis exprimi possit. Vix iuventam egresso, rudique & inexperto humani generis fata commendantur, & sine Areopagi suffragijs, vitæ, necisque mortalium arbiter constituor, idque sine prouocatione, Dictatoris imperio. Quid maius Iupiter Homericus Diis tribuere potuit: cum manubias, & fulmina dispertiret, fulmine etiam in artis huius parente pectus liuoris capax testatus, summa indignatione adimi sibi ab homine vno supremam illam potestatem, & diuinitatis argumentum, cui & perdere homines impune liceat, & depositos in Parcarum contumeliam deripere Orco.

Vi-

Videte Patres quàm minimum mihi licere debeat, cui tantum licere voluiſtis. Et Reges quidem non ſine iudiciorum apparatu, ac Tribunalium fremitu, ſupremas neceſſitates peragunt: qui in hunc cœtum adſciſcitur, ſine laqueo, & lictoribus, non dicti die, de vita hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet duobus verbis deliberat. Ne Dij tamen tantum nefas ſirint, vt quis hoc diuinitatis Imperio in perniciem abutatur. Diua ſalus, & vos omnes, & quoſcumque ægros inuiſam reſpiciat, vel me potius pater fulmine ad vmbras adigat.

Interim quantum vobis debeam ſatis ſit quod intelligo: tibi præcipue Io. Baptiſta Soncine Brixianæ nobilitatis ipſiuſque Hygiæ decus ſummum. In cuius ſanctiſſimo contubernio eductus menſarum ſacra, & hoſpitales Deos muſarum fœdere iunxiſſe glorior. Vt me tibi totum perpetuo nexu vendicare poſſis, quemadmodum tibi medicæ artis, atque incredibilis humanitatis faſtigium aſſeruiſti.

Nimirum res humanas fortuna verſat, potens ſuperbos vertere funeribus triumphos. In me quoque veſtris auſpicijs P. A. ad immortalitatis Capitolium albis quadrigis vehentem, ex trãſuerſo eiuſdem licentia incurrit, patruique amantiſſimi, medica arte clariſſimi morte triumphum muſarum funeſtauit, totamque hanc lætitiam quantamcumque capere mortalis animus poteſt fœdauit, corrupit, infregit. Me miſerum, cui pro Epinicio Nænia canitur; pro curru pheretrum, pro feſta pompa ferale agmen ducitur: pro æde Martis vltoris, Libitina petitur: pro Capitolina palmata, atra toga ſuccedit: vtrinque faces, vtrinque tubæ: nec opus eſt ſeruo, qui me hominem eſſe admoneat, cum etiam mortis depulſores moriantur.

Parcite Patres ſi auguſto in loco feralia attrecto. Etiam artis huius parens Deuſque, ſublatum Iouis ira filium luxit,

& per oculos Dei iuisse lachrimas, in solatium mortales acceperunt. Reuocare tamen animum ad firmitudinem præstat vestra Patres humanitate, qui triumphum decreuistis. Ex tuo amplexu solatia petam Io. Baptista Soncine, cuius Medicæ artis præstantia inuidiæ capax, minima tamen laus est, quē ciuilis prudentia, ac nobilitas, publicusque fauor æqualium ceruicibus extulêre. Lauream largiris, ipse querceam promeritus, non vnum ob ciuem, sed innumerabiles mortales seruatos. Triumphi ipsius omnisque gloriç supremum decus est, quod lauream rara felicitate, in Iouis non vnius, semper iuvantis, ac placida maiestate fauentis sinu depono. Sic mihi & Vrbi huic Numen beneuolentia vnum, potestate duplex propitium, ac salutare sit, cuius aspectu sereno abstrudere mæstitiam cogor, pro amisso patruo duplicis genij, & audere liceat parentis tutelam sortitus.

VEteres in Aesculapij templo stratis ouium pellibus ad captanda in somnis morborum remedia indormire solitos accepimus. Quòd per quietem Deos salutis præsides, ægritudinis curationem ostendere, & quid cuique morbo pellendo proficeret demonstrare crederent. Sic olim medicina non nisi Deorum ministerium fuit, qui cum ex hominibus in Cœlum medicos euocassent, ipsi ad curandos mortales crebro Cœlum deserebāt. Quid hac arte augustius, quid diuinius dici potest? Sed melius, fatendum est, humanis rebus consultum, ex quo relictis somnijs, ac somniorum interpretamentis, mortales mortalibus beneficas manus admouerunt, & certa rerum obseruatione, naturæque parentis præscripto, Deorum beneficia homines prouocarunt, obluctando fatis, atque æuum extendendo. Quod si quis nunc viuit qui hoc præstare possit, tu pœnè solus es Benedicte Syluatice, naturæ miraculum, qui si Homericis temporibus vixisses, nullos Machaones, aut Podalirios, sed tuum nomen vi-

ctuuris

ctu ris æternum carminibus diuinus vates consecrasset.

VEstrum hoc beneficium Patres, nec inusitatum, nec nouum familiæ meæ obuenit: non recens hæc laurea primùm penatibus nostris inducitur, neque hic dies vestra in domum nostram merita auspicatur. Diu est cum parens optimus, dignus vobis visus est, qui in eum cœtum adscriberetur cui humani generis salus dono superum commendatur. Vestro beneficio hic adoleuit, vestro consilio, ac sapientia imbutus generosos spiritus, & mortalitati beneficos in patriam retulit, vt quam à suis vigilijs, ac laboribus, ab humanitate vestra facultatem accepisset, hominum saluti impenderet. Ibi ducta vxore patriæ ciuem, familiæ alumnum dedit, nihilque antiquius habuit cum primum adoleuissem, quam me ad hoc Epidauri delubrum sistere, vt inde ingenij cultum caperem, vnde ille didicerat, vtile Reip. esse, & procreare homines, & eosdem à mortis meta reuocare. Et quoniam fatis vetaretur arte medica sibi æuum vltra humanæ sortis terminos extendere, sicut in me seipsum, ita artem suam propagare voluit, vt in hæreditate herciscunda in paternæ professionis partem venirem.

Vos eum hodierna die votorum compotem reddidistis, & redintegrato laureæ honore, me Hygiæ sacris volentem initiastis. Quapropter meo & parentis nomine gratias ago, quē scio dubitaturum, plus ne vobis debeat, quod se tanto honore dignum existimaueritis, an vero quod beneficium hoc ad posteros quoque pertinere volueritis, quod supremis tabulis largiri non potest. Te vero Hieronyme Frizimelica magnum artis Medicæ decus, sidusque propitium, ac salutare, cuius benefica vi ab ipso rogo mortales subducuntur, vt bonum quendam genium, ac miserorum tutelam semper colam, artisque huius auspicatissima rudimenta, bono cum omine ponam, quod & corpora ab morte retrahas, & animis

do-

donare immortalitatem possis, quam tibi egregijs factis peperisti.

VIdeo Patres quantum dignitatis, sed & quantum oneris hodierna laurea mihi impositum sit. Mortalium fata manibus meis commissa sunt, iusque innoxium vitæ, ac necis, & velut in Imperium mortis, atque Inferorum pacem pugnaturus, auctoratus sum. O triste ministerium, si ars saluti hominum inuenta, aut inscitia fallat, aut incuria venales vitas impune traducat. Plus vobis, quam Aesculapio, aut Apollini debebo si vsque in Iouis inuidiam Erebi iura resoluam. Me ab irati Tonantis fulmine securum præstabit laurea, tum ego opima Acherontis spolia humanitatis vestræ delubro affigam. Ita vos meque salus ipsa respiciat.

FAto profugum Vlyssem, naufragio ad Phæacum litora eiectum, beneficio Palladis humanissime exceptum & Regium in morem excultum accepimus. Hæc magna virorum fortium tutela, quæ per tot casus & discrimina erranté rexerat, ex Troiæ Halosi seruato, & ab iratis fluctibus erepto, in litore inhospito iacenti, cum ætatis honoribus, ac iuventæ flore prioris fortunæ cultum circũposuit. Nec aliud tam præclaro commento diuinus ille senex expressit, quam beneficam sapientiæ vim, quæ rerum humanarum potens ea bona cultoribus suis dilargitur, quæ non modò è naufragio enatant, sed fortunæ impotentia, ac rerum vicissitudine maiora sunt.

Ipse quoque Numinis huius maiestate perculsus, ante ipsius sacrarium venerabundus steti, & in secretiora admitti aut optaui, aut merui. Nec alia vota concipere fas fuit, quam quæ audire homines possent, & in quorum partem venire superi non abnuerent. Exarsit illico animus, & in rei pulcher-

rimæ

rimæ contemplatione defixus res humanas, curasque inanes mortalium ridere sapienter cœpit, quorum pars breuis æui sortem accusaret, pars vnam fortunam miseris votis sollicitaret, multo plures præter propter vitam viuerent. Hoc sensum sapientia imbuerat, vt nec illi vita opus esse crederem, quem veluti prophanum hoc templo absistere socordia, aut stupor iuberet.

Et licet nec Vlysses sim, nec Telemachus, vtcunque tamen iuuerit Mineruæ contubernio, affectuum pugnam, vitiorum illecebras, cupiditatum æstum composuisse. Cuius cœlesti ope, vt e naufragio ereptus vobis me, vt ille Phæacibus approbare possim, non vt Aretalogus, & mendaciorum splẽdidus artifex, sed eiusdem Deæ responsa, & Oracula promam, vt vestris auspicijs vestraque ope ad sanctioris sapientiæ, rerumque diuinarum contemplationem accedam, & in vno omnia vota coniungam.

ANnus, quo temporum vices, & momenta reguntur, ipsaque seculorum æternitas disponitur, qui paulo ante infans vagiebat in cunis, repente adultus, moxque rapida mensium vertigine senio fractus, supremam nunc animam agit, eandem cum luce emissurus, vt in se conuolutus, rediuivus resurgat, redditaque iuventute dierum, ac tempestatum accessu, ac recessu denuo effætus, mox reflorescens nos omnes, serius, ocyus vnum post alterum, non redituros supremæ horæ adstituat. Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est! Redit annus, annique tempestates recursant, soluitur hiems vere, ver in æstatem incumbit, æstus autumno temperatur, donec iners bruma recurrat, nobis postquam breuis occidit lux, nox est perpetua vna dormienda. Hæc temporum fuga, fatorumque irreuocabilis rapiditas, monet me vt properem, & ne crastino quidem credens paucas horas iniecta manu, complexuque toto asseram, ex- *Dicta Pridie Kalen. Ian.*

tremam

tremam fastorum paginam occupem, ex pereuntis anni rogo lauream rapiam, ipsoque desinente anno, bene incipiam, totque anteactis laboribuus imponam magnum diem. Sed ne labentia in præceps fatorum momenta, vestramque morer patientiam, quorum beneficio Sol cadens, sed & reuertens doctorem videbit, postremas preces tibi allegabo Paule Dotte vltra annos seculique mores doctissime, te Ianum vtraque tempora respectantem, & siue pereat annus, siue renascatur, nunquam de studiosa iuuentute benemerendo defatigatum, saluere plurimum iubeo, atque auspicato tibi hisque omnibus Nestoreos annos precor, coniectis in vnum votis, vt vobis annos de meis annis Iuppiter addat.

NOn novum est, aut recens, militiæ rudimenta à literis auspicari, atque in scholis ante quam in castris tyrocinium ponere, magnarum rerum incrementa hisce studijs adolescere, Laureamque palmatæ, ac triumphorum sociam, Castalio fonte irrigatam, à sacratis musarum lucis peti, doctorum frontibus ante destinatam, quam Cæsarum. Nam quantum cogitatione assequi possum, & præteriti temporis memoriam recordari vltimam, Troianis temporibus Pilij senis sapientia coniuratę Græciæ miraculo fuit, eiusque melle dulcior oratio, feras mentes, & sanguine imbutas mitigauit; Quemadmodum minoris Atridæ dicendi vim regiam, átque Ithaci hybernis niuibus, ac procellæ similem, armatæ phalanges expauerunt. Ita & Sparthana Resp. minime omnium ambitiosa, ac sola Græcæ vanitatis expers, armatas Musas coluit, credo ne Palladi inuideret, quam parma, & casside ferocem obstetricante Vulcano parentis vertice prosilijsse poetæ prodiderunt. Athenæ inde summos oratores, ac vates magnis exercitibus, & classibus præfecerunt, vt nescias, magisne Demosthenem legiones ductantem, an populi frœna moderantem Philippus reformidauerit. Pericles incertũ

ma-

manu, an linguà promptior, certe vtraque Græciam miscuit, istâ tonasse, illâ fulminasse creditus.

Quid Romanos loquar feram Martis gentem? Apud quos serò admodum literæ, ac disciplinæ receptæ, sed semel admissæ horrido castrorum contubernio admotæ, atque inter signa, pilaque minitantia ambitiosius cultæ. Transeo, à Scipione Ennium, Polybium, ac Panætium expeditionum socios, sed magis bellicæ laudis testes, ac præcones circumductos. Sileo Romanorum vltimum Brutum sera nocte ante Pharsalicam pugnam librorum Polybij epitomen conficientem, & altera nocte quæ diem ipsi, ac libertati supremum antecessit Platonis libros legentem. Vnus Romanæ libertatis euersor, Martis, ac Veneris eruditulus nepos, & ex Euripidis orchestra, regnandi causa iuris ingeniosus violator, tam cupide literas adamauit, vt libros paludatus circumferret, & in tanta rerum contentione, atque Orbis sibi subigendi molimine, serio studijs incumberet: vt vix credibile sit sexaginta triũphis succincto, & victorijs Orbem peragranti, vacare potuisse, vt aliquid legeret: contra eodem rerum suarum commentarios ita scribente, vt eloquentiæ palmam summis prę̨riperet, & non tam armis, quam calamo Romani nominis pomæria produceret, quęri potuit, an vnquam arma tractauerit. Sed ille cum Musis, ac Marte operam diuidens, quę die agebat, noctu lucubrabat; Et ex eo Magna facere, & scribere Cæsareum est.

Sunt hæc non infitior magnę fortunę exempla, sorte mea, ac mediocritate longe maiora, sed quibus facile consilium meum tueri possim, vt non ineptam, neque absurdam rem fecisse videar si in procinctu Musas adoro, atque ex vmbra in solem, ex palestra in aciem & campum descensurus sum, si veræ laureæ præludo, neque impudenter postulo, vt me Mineruæ commendet epistola Marti. Summo enim æternæ Reip. discrimine, fatis constantiam eius, & fortitudinem tentantibus, socijs subiectisque populis certatim opes, ac spiritum

ritum deuouentibus, non sibi desidendum ratus patruus meus, me atque fratrem plusquam paterna beneuolentia cõplexus, memor numquam in gente nostra defuisse, qui difficillimis Reip. temporibus rem, atque animam mitissimo imperio auctoraret, quantas opes ex tenui, sed auito patrimonio contrahere potuit, Reip. sacrario obtulit, meque ipsum tanquam pietatis victimam, ipsis libertatis aris adstituit. Itaque properandum mihi fuit, & abiectis lusorijs armis decretoria sumenda. Sed antequam in discessu patrios penates saluto, Patauini Dii iustitiæ, atque æquitatis præsides religiose adeundi fuerunt, Vosque magni eius sacerdotes compellandi. Tu præcipue Carbonchie præstantissime Themidis supremos honores in Patauina Academia virtutis merito adepte. Quem vno Baldo minorem Perusia iactat, præcipua Europæ Gymnasia admirata sunt, Vniuersus Orbis responsis, tamquam Oraculis paret. Sed hæc exigua pars laudum est, quibus humanitatis gloria præcellis. Comitas innocentia, antiqui mores, pectus omni ambitione vacuum, omnium amorem, ac flagrantissima studia meruerunt.

Sed iam castra, iam prælia meditanti pulcherrimum augurium obijcitur, tres Soles Veneto mari purpurascens iubar efferentes. Non quales extremis Romanæ Reip. temporibus cum triumuirorum conspiratione libertas oppressa est apparuisse scriptores prodiderunt: diro & abominabili ostento tres dominos humanis rebus impositos. Hoc lætissimum auspicium Rectores, Pastoresque populorum terris commodatos, quorum beatissimo fulgore nox caliganti mundo discutitur, hicque terrarum angulus strepentibus circum quaque furialis belli nimbis, secura serenitate renidet. Et adhuc Oceano caput tollentes adoramus. Quid cum summam Cœli orbitam tenuerint? medius præcipue nondum plenè purpureus mysticus Mythra sacrorum, atque æquitatis oculus, lucem magnis sideribus breui fœneraturus. Quid aliud quam vota precesque fundemus? Ego precipue laborum meorum atque

operum

operum teſtes aduocabo, vt media claraque luce ſpiritum quem æternæ Reip. religioſiſſime addixi, cum ſanguine fundens, ingens operæ pretium faciam.

VEtus eſt, ac peruulgatum, miniſtram fulminis alitem, volucrumque principem pullos ſuos vix editos Solis radijs aduerſos in experimentum ſiſtere, cuius iubar ſi fixis, & inconniuis oculis ferant tanquam ſuum ſanguinem educare, ſi deiectis luminibus fugitare ſplendorem, & tantæ luci impares videat, vt ſpurios, & adulterinos illico abdicare, & concerpere. Cuius exemplum olim imitati Germani feruntur, qui recens natos infantes, & adhuc à matre rubentes gelidis Rheni lymphis merſare conſueuerunt, quarum rigori ſi ſuffeciſſent, vt genuinum fœtum tollebant, hieme victos, fractoſque vt degeneres abijciebant. Sic & Pſillos, Marſosq; accepimus gentem aduerſus venena naturæ antidoto armatam, ſolamque ſerpentium peſtem, hoc vxorum fidem experiri ſolitos, fœtus proxime editos in dolia ſerpentibus plena iactando, quorum tenellis artubus ſi innoxie ſerpant, & aduoluantur angues, nec niſi corpus lambant pro ſuis agnoſcunt, certi adulterinam prolem ab ſerpentibus confectum iri.

Placuit ſemper vobis hoc conſilium Ampliſſimi Patres, qui generoſam iuventutem, veramque parentum prolem non ante adoptatis, atque in hoc Aſtreæ ſacrarium admittitis, quam ſeptem annorum experimento continuis laboribus, ac vigilijs veſtram eſſe, hocque Cœlo, ac ſolo dignam probaueritis. Ex eodem ego numero in huius fortunæ ſpem educatus, procul à patriæ illecebris, ac iuventæ corruptelis in celeberrima Academia tyrocinium poſui, ac legitimo ſeptennio confecto, aduerſam fortunam expertus, quæ ſæpe rebus humanis illudit, repetito paulo poſt experimento, totum id eſſe fatorum crimen oſtendi, virtuſque repulſæ ſordidæ neſcia

scia aduersis clarior enituit.

Hæc totius nobilitatis vota sunt, in hanc spem omnes eriguntur, hæc felicitatis summa, vitæque ciuilis, ac beatæ columen, ac fastigium. Quo enim nomine amplissimum hunc consessum appellare ius, fasque est? Curiam Quirinalem in qua non Græca adulatione, iure quis vos Reges appellaret, nisi paternæ venerationis affectus magis placuisset. Atticum Areopagum, cuius maiestas superis cordi sit; Themidis sacrarium in quo salutaria Vrbis huius pignora seruantur. Sapientiæ templum, vnde responsa, certaque iuris Oracula certatim petuntur. In quo flos populi illibatus, Veneto Cœlo sæpe nectaris vicem præstitit: Reipublicæque post homines natos maximæ negotijs immixtus, nihil non posse Cœnomanorum ingenium ostendit, vbi ad inclitam nobilitatem studiorum cultus accessit.

Ita non ex equestri censu, ac quatuordecim in hunc Senatum alleguntur, sed illis modo amplissimus ordo patet, quos sua maiorumque virtus ad æthera euexit. Præcipuum iuuentuti incitamentum, ne quis alienis meritis, alienæque famæ incumbat, hucque nihil præter fumosas imagines afferat. Quare & arduum est quod labore quæritur, & dulce postquam vigilijs partum est. Hoc enim vos populo secernit, ac veluti Dîs superis miscet, reliquorum ceruicibus superuectos. Vobis fortunas suas mortales commendant, vestrum patrocinium ascifcunt, in vestra esse clientela gloriantur, vestros etiam nutus tantum non adorant. Neque iniquum est vos idem virtutis experimentum ab alijs exigere, per quod in hoc fastigio stetistis. Et quod olim Troicis fatis seruatus Heros canebat, identidem nobis indicatis, Discendam à vobis virtutem, verosque labores, fortunam ex alijs, sed ex vobis hanc quoque, cuius egregij fabri semper fuistis, nihilque illius impotentiæ in res vestras permisistis.

Qua ergo fronte vos parentes appellare possunt, qui ignauia degenerarunt, & somno graues oculos ad vestrum splendorem

dorem attollere non poſſunt? Quorum mollis ſocordia ſeueritatis veſtræ rigore conficitur, in quo ſolo parentum indulgentiam exuiſtis, vt liberos vobis dignos redderetis. Clauſtra hæc ſunt inexorabilia, non prece, non pretio panduntur, ſola virtus penetrat, eo præſtantior, quod minime vulgatur, nec plebeio contactu polluta ſordeſcit.

Id à vobis ſapientiſſime inſtitutum eſſe nemo eſt qui poſſit ignorare. Niſi enim creſcentem ambitus licentiam coercuiſſetis, ſubmota inerti nobilitate, in auguſto hoc conſeſſu videre licuiſſet maiorum effigies, faſtorum paginas, ac memores titulos, & quidquid externi decoris vetuſtas poſteris tranſmittit, ſed nihil fere præterea, cuncta aliena, priuatæ laudis ac domeſticorum exemplorum exiguum quid. Familiæ quidem ſplendorem, ſanguiniſque prærogatiuam requiritis, plebemque ſordidam, ac ſeruile vulgus longè arcetis, ne reſponſa conſulentibus reddat, qui adhuc flagra ac compedes perhorreſcit, ne ius pretio diſtrahat, cui omnia mercede conſtant, ne bona Themidis negotietur, qui ſordido lucro vitam tolerat, ne denique ceteris imperet, quem illiberali artificio ſors aut natura mancipauit. Recte ac ſapiēter feciſtis. Non enim ita vulgi fecem reijcitis, vt ſolam ſanguinis generoſitatem recipiatis, quaſi vna familiæ claritudo aditum in hunc locum præſtruat. Quid enim per fidem veſtrā quantumuis magnis maiorum meritis præfulgeat, patriæ ac ciuibus conferre poterit, qui ſolam maiorum recordationem labentem iam ac ſeneſcentem huc intulerit? Ignavus ipſe & ſola vetuſtate tumens: nullus ingenij cultus, non artes ac diſciplinæ. Feret ille inertiæ gurguſtijs educatus ſplendorem hunc, ora veſtra, atque illa ſupercilia quibus hæc patria innititur? Quid ſi illi verba hoc in loco facienda erunt? Obmuteſcet, trepidabit, non ſecus ac minuta nauis, magno mari deprehenſa, veſaniente vento. Quid ſi ad Venetum Senatum eius Oratione vti velit hæc patria, vbi etiam eloquentiſſimorum mens, atque audacia frangitur, infantiſsimus tu auitam

Kk fa-

facundiam memorabis, & inerudita balbutie patriam dehonestabis? At maiores docti & eloquentes fuerunt, hoc dedecus tuum prægrauat, cuius inscitiam auorum splendor latere non patitur. Prius te quam tua mirari debemus. Da ergo aliquid, quod titulis subscribere possimus, præter honores, quos dedimus illis, quibus tu omnia debes.

---------- sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic vt nihil ipse futuræ
Laudis agas. Miserum est aliena incumbere famæ.

Quare mihi quoque dulces fuere labores, læta incommoda gratæ vigiliæ, quæ me illuc euexerunt, vt citra audaciam vota concipere possem, & ad consessum vestrum, idest felicitatis summam aspirarem. In quo non iudices vos rigore obseptos opto, sed quod initio professus sum, beneficio patres. Vos prolem vestram, quam tot experimentis non degenerē comperistis, nolite exponere aut abdicare, sed ea charitate excipite, qua parentes liberorum quoque næuis & balbutie capiuntur. Tunc ego enitar, ne hac publica adoptione videar indignus.

THesea, Pirithoumque matronam Ditis diripere aggressos vates maximus scriptum reliquit. Nil mortalibus arduum est. Non eos longa, & inextricabilis via, non demersa terræ visceribus vmbrarum Regna, non crassa Inferûm caligo, non ignei amnes, & refusa stygis vada, non solido adamante vinctæ fores, non bellua centiceps, furiarum cubilia, sontium verbera, Dirarum lampades, & quidquid vnquam metus, aut concepit, aut finxit, à tanto incepto absterruerunt. O illis robur & æs triplex circa pectus fuit, qui mundi confinia, mortis limites, atque eructantia Inferum caminis incendia, non siccis modo oculis spectare, sed sponte subire potuerunt. Quid illis fortius, aut animosius vnquam fuit, qui intrepide mortuorum sedes solo nomine terribiles

yi.

viuentes adière, clauſtraque manium perfringere, infernos poſtes reuellere, diras excubias fallere, aut pellere, naturæ deficientis latebras rimari, toto mundo obrutam Reginam procari, Orbemque alterum concutere adorti ſunt. Metus, horror, ignis tenebræ, chaos, dulcia virtuti.

Pręclarum rerum humanarũ documentum fabularum integumento prophanorum oculis ſubductum. Quid enim aliud Proſerpina eſt quam ſapientia, Cereris legiferæ ſuperumque Regnatoris filia, ſub ima telluris, intraque mundi viſcera detruſa, vt eius inueſtigatione mitiore cultu Orbis manſueſceret, & à ferinis dapibus ad humana alimenta conuerteretur. Hinc iuncti curru Dracones, hinc erumpentibus Aetna flammis accenſæ tædæ, hinc totus Orbis beneficio peragratus, & præcipuo Deorum dono frugibus cõſitus, damnata glans, & diſcreti pecudum paſtus, nuſquam reperta Proſerpina, matris luctus, & inferiæ viuenti factæ. Quæ omnia demonſtrant quàm difficile, quamque arduum negotium ſit ſapientiæ inueſtigatio. Eam enim ſator hominum, atque Deorum, profundo rerum naturæ ſinu abdidit, cœciſque latebris demerſit, ſolumque laborem, ac contentionem philoſophiæ pretium fecit. Itaque non vnus Theſeus, Pirithouſque, ſed infiniti propemodum Proſerpinam quærunt, eamque tenebris addictam vocare in lucem ſummo opere contendunt. Inter hos ipſe quoque nomen profiteor meum, & vt tantæ Deæ amplexibus fruerer nullis laboribus, nullis vigilijs vnquã peperci. Non me longi itineris, & in acceſsi difficultas abſterruit, non cæcæ ambages, tenebræque & perpetua nox, non cuncta caligine inuoluta ſubmouerunt; non terribiles viſu formæ retardarunt. Id vnum diſcrimen fuit quod illi inferos, & damnata pœnis loca, ſed quicumque ſapientiam ſectantur, ardua quidem & difficili via, ad Cœlos tamen contendunt: illi irremeabile iter remetiri non potuerunt, ſapientiæ cultores ex Cœlo immortalia dona hominibus referunt. An hæc ego templa rite adierim hæc dies declarabit. Vos qui

eius sacris initiati estis rite fauete, nam aut me vobis sapientiæ studium conciliabit, aut vos me Philosophiæ commendabitis.

HOc erat in votis, maiora priuato concipere, spem in longum porrigere, ad honorum fastigium contendere, & vt omnia vno verbo complectar, me vobis, cœtuque isto amplissimo dignum reddere. Vestra humanitas omnia felicitatis argumenta consumpsit, totque laboribus, ac vigilijs magnum diem imposuit. Quo me vertam Patres? Vnde gratiarum exordium sumam? Quibus verbis Marce Marchiane laudes tuas expediam? Næ ego amens sim, si ingentia tua decora mente complecti ne dum Oratione perstringere ausim. Te Vicentia natalium iure sibi vendicat, te Patauium professione prudentiæ suum esse contendit, te Aeterna Resp. meritorum gloria complectitur, te Gymnasium delitias suas esse ait, te Musæ politiores ambitiose colunt, te Iurisprudentia amplexu toto asserit. Ita quidquid dixero minus erit. A te ergo Iuris insignia expecto, à quo omnia summa, Academia, cœtusque amplissimus expectat quotidie, & consequitur.

DElphicum templum initio Themidem Iustitię Deam tenuisse fama est, cuius responsis humanum genus regeretur, legibusque atque institutis mortalium vita constaret. Mox Apollinem in eius locum successisse poetæ prodiderũt, qui occupato adyto per tripodas, & cortinam perplexa dicta, cæcisque ambagibus implicitas sortes funderet. Ex illo sacrum, ac prophanum ius omne, quod in aperto omnibus patebat, Oraculis obscuratum, responsis implexum, mox & interpretum discordia, & altercantium studijs inuolutum magis, ac contortum, sæpe non alio quàm Delio coniectore

solui.

soluitur. Quodque fateri pudet, tam densa nocte pulsę Themidis fata premuntur, vt responsa sua ne intellecturus quidem Apollo videatur. Hæc sunt quæ consultantium mentes torquent & fatigant, in quibus explicandis quum multum præclara ingenia desudarint, æstuant tamen, & implicantur, nec satis sę expediunt.

Quo magis desperandum mihi rudi, atque imperito, quique vix limina, laurusque Dei longè salutauerim. Nisi me tua virtus Paule Dotte Vir præstantissime firmaret, & in ipsa Oraculi sacraria induceret, fortesque expediret. Desponderem profecto animum, & non vno Apollinis responso sollicitus in varias partes versarem. Sed tua fretus sapientia tantum mihi roboris sumo, vt ea responsa publice proposita non explicare modo, sed etiam tueri audeam. Tu mentem inspira

...... nec si te pectore vates
Accipiam, Cyrrhæa velim secreta mouentem
Sollicitare Deum, Bacchumque auertere Nysa.

LAurum triumphis olim dicatam, & gratissimam domibus ianitricem Cæsarum Pontificumque, in gremio Iouis deponi solitam, quoties lætitiam nouam victoria attulisset, naturæ interpretes tradiderunt. Atque id non quia perpetuo vireat, nec quia pacifera sit, hoc enim nomine oleam præferendam, sed quia spectatissima in monte Parnaso, ideoque etiam Apollini grata. Quod hercule indicat Lauream totam esse ingeniorum, mitibus musarum studĳs sacram, à pacatis Apollinis lucis ad Martis castra, atque horrentia signa, & recenti adhuc cruore stillãtia pila vocatam esse. Vt verum sit quod veteres tradiderunt, honorem lauro in triumphis habitum, quia suffimentum sit cædis hostiũ & purgatio. Contra, doctarum frontium Laurea peculiaris est, pacis opus, pacisque artium insigne, ac solatiũ, mitis, atque innoxij triumphi comes, omnibus ciuicis iure præferenda, quippe quæ

non vnum ciuem; sed humanum genus literarum beneficio quotidie seruet.

Quæ reputanti mihi quantum sit beneficium vestrum Patres succurrit, qui mihi lauream cum triumpho decreuistis. Non ego hîc quadrigas & inuidiosam pompam, non pictam vestem, ac Iouis cultum, non spolia victis gentibus concesso latrocinio direpta, non reliquum crudelitatis, atque auaritiæ triumphum optarim, sed omnia hæc vestris suffragijs iure postposuerim. Triumphus mihi est & quidem amplissimus te auspice Cæsar Feramusca Lauream adeptum esse, in cuius domo Laurea toties depacta, tot triumphis grauida, noua sobole Cæsarum siluas prouocare potest. Et iam vos non antiqua modo Scipionum, ac Cæsarum nomina, sed & facta trophæaque retulistis. Vt iam fere perpetuus domi vestrę triumphus sit, quum per ora patrum, ciuiumque subuecti inter acclamationes triumphis omnibus maiorem moderationem retinetis.

VIctorem Olympiorum in totius Græciæ conuentu pronuntiari, bonorum omnium complementum, votorum summa, ac felicitatis fastigium olim habebatur. Huc tanta, & tam assidua corporis exercitatio, perpetuæ contentiones, tot annorum curæ tendebant. Vt scilicet aliquis pedum velocitate, agilitate membrorum, virium robore ceteris præstitisse renuntiaretur. Quasi vero cum omnes homines corporis firmitate, aut dexteritate superasset, non à vilissimis, ac tardissimis pecudibus vinceretur. Quanto sapientius, qui abiecta corporis cura tanquam ignobili ac sordida, animi culturæ toti incubuêre, vt quanto à belluis viribus corporis vincerentur, animi dotibus reliquos mortales anteirent. Ita ego huius diei lætitiam omnibus certaminum celebritatibus merito prætulerim. Cum scilicet post nobilem disciplinarũ palæstram, non in vulgi frequentia, aut populari panegyri,

sed

sed inter tot Iurisprudentiæ Oracula non cursor, pugilve, aut quinquertio, sed ignauiæ, atque inscitiæ victor pronuntior. Quodque totius felicitatis complementum est, beatissima præconis voce renuntior, tua inquam Ioannes Capiuacæ, qui ipsam nobilitare Lauream potes, & quot quot à te summum hoc decus ambitiose expetunt. Tu laureti Musarum non incola modo sed dispensator es, ac nemo fere huc accedit frontem coronaturus, qui dextram tuam non circũspiciat, secumque præclare actum existimet, si à te hoc virtutis insigne quolibet diademate augustius impetrauerit. Me quoque voti compotem reddito, nouo tibi voto damnãdum, quo plures votorum reos quotidie facis.

DElphicum Oraculum præsenti Numinum fide, atque inueterata tot seculorum religione augustissimum, antequam vasta templi mole, totque barbaræ opulentiæ donarijs staret in eam formam, quæ capiendo Deo, Regibusque ac populis consulentibus par esset: antequam fatidici tripodes, laurique & cortinæ loquaces, totque votis sollicitata penetralia, & cum sacrarijs adyta ponerentur: immo antequam ipse Apollo futurus vates antris se conderet, non aliud quam specum, terræque fata parturientis hiatum fuisse veteres prodiderunt. Cumque adhuc anceps id bonum improuidæ mortalitati futurorum anxiæ lateret, miro quodam modo patuisse grauissimus auctor Pausanias scriptum reliquit. Forte prope illud antrum diuinitatis depositum Pastor caprarum agmen pascebat, ignarus quantus loco Deus incubaret. Dum illæ frondes, ac salicta detondent in pabulum vna propiùs ad specum accessit, illudque ingressa trepidare, subsilire, motusque inconditos edere cępit. Ea res pastorem aduertit, qui propere accurrens visurus, quæ causa pecudem agitaret in motum, scrutari specum instituit, nec mora & ipse siue Numine, siue telluris spiritu instinctus, ro-

tare caput, torquere corpus, mox & vaticinia fundere cæpit.

Non absurde, aut immodeste Auditores optimi facturus videor, si casus meos, huiusque diei fortunam hoc miraculo comparauero, cum Capræ Iouis altricis insigne genti nostrę plauciſſe videam. Nam si hoc Astreæ sacrarium cum Delphico Oraculo contendero, fortaſſe iniuriam maiestati eius feciſſe videbor. Illic per ambages, cœcasque sortes, atque implexas non vno responso, deliberantes Apollo ludebat; Ex his adytis ipsius Themidis ac Veritatis certa fixaque responsa consulenti orbi redduntur. Illic Pythia væsano spiritu vrente præcordia, oris rabie, toruo lumine, comarum laniatu, totoque habitu furiali non esse Deum, qui pectus anhelum premeret indicabat. Hîc sexus nobilior placido ore sedatam Numinis maiestatem explicat, sine strepitu Inferniq; terroris scena. Oracula illa Christi seruatoris aduentu imposito silentio obmutuêre; Hæc præsenti ipsius Numine regũtur, certisque diuinitatis effatis inspirantur.

Sit ergo hoc oraculum sed sacrosanctum, sed diuina fide, sed certo, atque irrefragabili instinctu venerandum. Suus tamen sacer horror loco inest, nec metus expers veneratio. Qui prope acceſſerit, pedemue intulerit obfirmato licet animo sit, pectoreque intrepido, exhorrescat neceſſe est, totisque artubus contremiscat. Intranti non vultus non color vnus. Expertus id ego hodie sum Patres Ampliſſimi, ac gentilitio Capræ insigni veteris illius capellæ fabulam veram reddidi. Vix enim verenda hæc limina libaui, vix tot Iustitiæ Sacerdotum os venerabile pauido lumine aspexi; cum mihi soluta frigore membra, nec mens, nec animus constitit, sed attonito similis etiam corporis motu deprehensi animi signa dediſſem, nisi placidus fulgor, qui ex serena fronte vestra renidet torpentem subleuaſſet. Da mihi hanc veniam Cæsar Feramusca Vir Nobiliſſime, vt te Pastorem appellem, nam & Reges suos Homerus vates hoc titulo decorauit. Tu me de grege non egregium quidem, & eximium, sed semper

amœna

amœna ingenij tui florentissimi vireta secutum, sed Hyblæũ eloquentię tuę succum depastum, pauitantem, ac trepidum in hæc Prudentiæ templa induxisti. Tu quidem Deo plenus, certaque Oraculi huius fides, etiam sacrorum pastor, lituo, atque apice dignus siue Iuris oracula reddis, siue facundia tonas semper venerabilis ipsaque moderatione insignior.

Sed quid? Et ipse fatidicum antrum ingressus sum, tuoque beneficio diuinationis potens, tuo, vel loci Numine afflatus pauca vaticinabor, quibus olim fidem facturus es. Erit mox tempus cum te patruo parem non Vicetia modo, sed Europa mirabitur, nec ista solum adyta quaties, sed Venetis oraculis misceberis, quorum Interpres diu idem patruus fuit. Et siue patrui cœlibatus, castarumque Pieridum consortium integro placuerit, Vaticanis rosetis decus additurus es, siue hoc meritis de te maioribus posteros es daturus in ipsa libertatis sede Iuris fata loquentem exteræ quoque gentes conuenient: nec me, aut affectus, aut Apollo deludit. Hæc publica expectatio, hoc Oraculum est.

OMnes homines qui sese in hunc augustum cœtum adscribi adlaborant, quem qui Astreæ templum dixerunt, Iustitiæ sacrarium, Delphicam cortinam, Phœbæum tripodem, musarum delubrum, Pieridum chorum, Nemesis adita, duo dolia queis Iuppiter præmium, & penam mortalibus dispensat, Iuris penetralia, totiusque prudentiæ Augustale, eius tamen merita inopia sermonis humani æquare nõ potuerunt. Omnes inquam homines qui se huius sacris initiari postulant plurima de loco, de se pauca & modesto sensu proferunt. Alij à Deorum immortalium laudibus ordiuntur, plerique Iurisprudentiæ veras, sed cui non notas? laudes exequuntur: magna pars legem quæ sorte obuenit in Cœlũ ferunt. Omnes quidem recte ac sapienter. Sed quid attinet huius loci encomia perstringere, & culpa ingenij deterere?

Quum

Quum præstet, quod de Carthaginiensibus Sallustius ait, Silere quam pauca dicere: & quidquid demum dicatur minus vero futurum sit. Quid autem vastum pelagus laudum Iurisprudentię exigua cymba pręcidere coner, & vobis ad littus sedentibus, ac spectantibus, iratis Dijs naufragium prouocare? Quare in exitu ipsam fortunam adorabo, de qua magna pars mortalium conqueritur: ipse propitiam, ipse fauentem expertus sum, vt Delię Clarięque sortes non olim magis beneficæ, ac salutares mortalibus adfulserint. Nam cum variante sortes vrna, alijs Leges implexæ partim obscuritate, partim ipsa breuitate, & discordibus sapientum sententijs obueniant, ea mihi hodie contigit quam ne sperare quidem ausus essem. Vos si quid recti audieritis, id omne fortunæ, secus dicta tenuitati meæ imputate, atque humanitate vestra fortunę beneficium fouete.

MOrtalium Nomina arbitrantibus fatis imponi, eaque naturæ ac genij occulta quadam vi, prosperæ, vel aduersæ fortunę pręsagia esse, vetus opinio est, ab heroicis vsque ducta temporibus, nobili Academicorum disputatione comprobata. Namque Socrates in Cratylo, Regem regum Agamennonem ita appellatum cēset, quod diu in Iliaca expeditione mansurus esset: Adrastum, quod re infecta Thebis rediturus: Priamum, quod puer auro venalis pependisset: sic Atreum, sic Tantalum, ac Pelopem diri exempla fati infausto nomini retulisse. Sic Protesilaum, quod primę Troię victima casurus esset: Thesei natum ab equis lacerandum, Hippoliti fatale nomen implesse tradit Ausonius.

Nam diuinare est nomen componere quod sit
Fortunæ, morum, indiciumque necis.
Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt
Discordes artes, nomina praeueniunt.

Eadem ratione Athenienses de nobili illa in Siciliam expedi-

peditione ex Niciç Nicostrati filii Imperatoris nomine optimam spem conceperunt. Nec dispari consilio princeps terrarum populus, in delectu, & censu, ac sacrorum pompa fausta nomina prætulit, vt primi citarentur, Victores, Statilij, Valerij, atque id genus auspicatissima vocabula. Sic demum Augusto ad Actium, dimicaturo forte oblatus Eutyches agaso, cum Nicone asello victoriç pulcherrimum auspicium fuit.

Etiam postquam Christiana religio Orbem veritati asseruit a diuis, atque heroibus nomina infantibus indi lustrico die sanxit: non quidem fortunç prosperioris blandimento, quam rebus humanis exulare iussit: sed renouandç maiorum memoriç, prisçque çmulatu virtutis, & quadam superum reuerentia.

Mihi quidẽ Ascanio parentes prænomen dixêre. Accessit gentis vetustæ nomen, ex qua cum Dauli olim dicerentur, Docti cognomen sortiti sunt. Credo quia tunc plures doctrinç sacra sectarentur, quam tempestate hac, qua multi Docti nascuntur, pauci fiunt. Quisquis ille fuit, qui magnũ, ac memorabile nomen primus in familiam intulit: sicuti titulos omnes, aut çquauit, aut obruit: ita ingens incitamentum çmulandi decoris posteris reliquit, ac veluti legem statuit, ne vnquam ab ea appellatione degenerarent.

In hac .n. Vrbe, quæ Musarũ, tẽplũ virtutis domicilium, literarum hospitium, scientiarum emporium, atque omnis officina doctrinæ semper fuit: quç sapientiç insignibus fœta, literariis triumphis grauida, humani generis magistra habetur: & vt olim Ceres, cuncta terrarum spatia, optimarum artium fruge conserit: in qua totius Orbis ingenia excuduntur: nouaque quotidie laurearum silua subolescit, vt facilius sit doctorem, quam hominem inuenire. In hoc inquam literatorum populo, non vnum aliquem, sed gentem in plures familias dispersam, Docti cognomentum, veluti literarum spolium mansuro elogio reportasse: sicut insignis ac pene

sin-

ſingularis prærogatiua eſt: ita degenerem nepotem arguit, atque ignominię nota perfundit, ſi quando inſcitię ſordibus auitum ſplendorem commaculet. Illi quippe exprobrat, intrare eum in alienum triumphum, quoties doctum limen ſubit, & veteri cincta atria cerâ inuiſit, ſimul ex alto ruborem excutit, quoties animorum ingentiũ imagines ignauus, & inglorius heres contemplatur.

Hæc cogitanti mihi, ex ipſius doctrinę ſtirpe generato, atque identidem reputanti, tanquam in vnam arborem plura genera, ſic in noſtram domum multorum inſitam, atque illuminatam ſapientiam, ingens ſtimulatio fuit, ne gentis nomen mentirer, ne familię titulos eluderem, falſęque appellationis reus peragerer. Hoc eſt ne omnis doctrinę expers ita Doctus deridiculo vocarer, ſicut

Canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Lanibus, & ſicca lambentibus ora lucernæ
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſi quid adhuc eſt
Quod fremit in terris violentius.

Hęc me cura ſub pectore fixa dies nocteſque verſauit, hęc veluti Miltiadis trophęa excitarunt, in hoc omnes ingenii neruos intendi, ne capite minutus maiorum albo eraderer.

Nunc quas grates, gratiaſque vobis referam P. Ampliſſimi, qui me voti compotem hodierna die feciſtis? nec tam nomen mutaſtis, quam noua dignatione mactaſtis, ac veluti manumiſſo, & in cenſum literarium recepto, tria nomina eſſe iuſſiſtis, vt qui Aſcanius Doctus, etiam Doctor appellarer. Accedit vnicum felicitatis ſpecimen, à viro doctiſſimo, doctrinę mihi titulum deferri. A te inquam, Claudi Berigarde, qui ſicut ſummus ſapientię Antiſtes, nominis tui gloria Orbem repleuiſti, ita non hominis hodie, ſed virtutis nomen haberis. Ad doctrinę famam comparandam ſatis eſt, ex contubernio tuo profectum eſſe. Ego vt hoc incomparabile beneficium, neque ingratum habeã, neque irritum, poſthac ſumma ope contendam, vt doctus potius, quam doctor indigeter

getem, & si Ascanius esse non potero, Brutus ero.

Diram, atque inhumanam Pisæi certaminis legem fuisse accepimus. Nam cum Oenomao, in fatis esse responsum fuisset, vt à genero interficeretur, Hippodamiam filiam forma præcellentem, multis petentibus procis ea conditione se traditurum pollicitus est, vt secum curuli certamine contenderent, victor nuptiis potiretur, victus autem morte inauspicati amoris pęnas persolueret.

Ita non paucis interfectis, nemo erat, qui infausti certaminis aleam subiturus non animo consternaretur, & imminentis exitii horrore perfusus vehementissime commoueretur. Cum præcipuè interfectorum recisa colla, oraque valuis antefixa, manantia tabo, ac tetro sanguine rorantia conspiceret.

Dii melius quod seculo nostro tam dira immanitas exulat, nec fœdo spectaculo oculi violantur, nec vitæ pretio victoria constat. Ceterum totum hoc negotium sero reputantibus, non Hippodamiam, sed Virginem Astræam procantibus durior conditio proposita videtur, ac maiore animi consternatione in certamen descenditur: quanto grauius est ingenuo homini decore, atque existimatione, quam vita spoliari. Certantibus illic, momento temporis, aut cita mors aderat, aut victoria læta. Hic ignaui agitatores æterna ignominia notati, vitam morte duriorem exigunt, omnibusque despecti, ac ludibrio traducti oderunt lucem, & mortuis inuident.

Et nos ergo P. P. in curriculi limine dubium certaminis euentum expauimus, toto corpore exhorruimus, ac misera trepidatione concussi penè animum despondimus. Sola vestra incomparabilis humanitas, marcentes animos erexit, & ab vltima desperatione reuocauit. Itaque quantum vobis debeamus, magis vos intelligere potestis, quam nos verbis ex-

exponere. Vt rem paucis absoluam vobis vitam, ego & collega, debemus, vobis decus, & famam, quæ bonis omnibus vita potior est. Te præcipuè Vir præstantissime præsidem, atque Agonothetam perpetuo venerabimur, cuius singulari humanitate, gratia, atque auctoritate freti, hoc periculosæ plenum opus aleæ constanti animo subiuimus, ac tua signa secuti votorum compotes facti sumus. Et sicut tu nobilissime præco in Astreæ curriculo victores pronuncias, ita nos gratissimo animo, tua tibi redditum imus, idest trophæa quæ à te accepimus, in humanitatis tuæ sacrario perpetuo mansura, defigimus.

MEdicinam quæ Deorum inuentum est, mutam artem & ingloriam, male sani poetæ appellare ausi sunt: in Apollinem communem parentem ingrati, a quo illi verba tantum, dulcesque nænias, & rerum inopes nugas discere maluerunt. Sed si Deus est mortali, iuuare mortalem, & hęc vna est ad æternitatem via, nihil in rebus humanis diuinius censendum est, quam cum superis paria facere, & aduersus mortis imperium strenue pugnare. Scilicet laudanda facere quam loqui præstantius esse medici iudicarunt; plusque illi salutari silentio præstant hominibus, quam qui dicendi artem profitentur.

Nam si Græci cothurni princeps recte pronunciauit, non esse sapientis medici incantationes recitare in morbo, qui habet opus sectione: cum mihi domi facultas suppeteret, ingenium quam linguam excolere malui, & bene facere mortalibus, quam benedicere, sapientiæ summam existimaui. Quis enim non malit ab aliis laudari, quam aliorum præconia venditare? sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica, quæ alios collaudat, seipsam non potest.

Nullus ergo mirabitur, si ingens hoc beneficium, quo me hodie Patres amplissimi affecistis, cum veluti Plutum in

Aescu-

Aesculapii Sacrarium induxistis, vt mentis oculos recuperem, silentio venerabor: cum ex disciplinę minime loquacis præscripto, tum quia quidquid dixero, ingentibus vestris in genus humanum meritis, minus futurum sit.

De te pręcipue Vir Amplissime in cuius laudes sequendas, vel ipsos vocalissimos pręcones poetas verba deficiant necesse est: quique tot linguas soluis, quot tu ipsa morte depositis, spiritum ac vitam reddidisti. Sit ergo ars nostra ingloria, dummodo illis lingua, nobis sit dextra felicior: sit muta, dummodo illi verba non desint, quibus male sanis helleborum præscribere possit.

LIuiæ post Augusti nuptias suburbanum reuisenti, Aquila præteruolans, gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, itaut rapuerat dimisit in gremium: cumque vt Tranquillus tradit, nutriri alitẽ, pangique ramulum placuisset, magna pullorum soboles prouenit, tale vero lauretum, vt triumphaturi Cęsares inde laureas decerperent; fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere, atque obseruatum sub cuiusque obitum, arborem, ab ipso institutam elanguisse: quemadmodum deficiente Cęsarum progenie in Nerone, silua omnis radicitus exaruit.

Magnum quidem ostentum, terris inuisę, libertati inimicę stirpis peritur æ: sed longe maius est, vestrum hoc lauretum non in suburbano ignobili, sed in ipso Parnasi vertice, musarum manu consitum, cum quotidie laureæ, doctorum capita coronaturæ decerpantur, nec deficere vnquam, & luxuriante subole, multiplici propagine, in nouos fętus reuiuiscere. Vno auulso non deficit alter, & simili frondescit virga metallo. Hic enim medica ope, veluti magica vi, laurei surculi auro flauescunt, & crepitante bractea irradiãt: iisque inexoratæ fores laxantur, atque immitis aula patescit,

scit, vnde reluctantibus fatis ab Orci limine animæ reuocantur.

Huius incomparabilis felicitatis hodie ego compos factus, quantum vobis debeam Patres intelligo, satisque est, intellexisse, nisi quis ita amens sit, vt referendæ gratiæ locum esse putet. Tacitá ego veneratione me voto exsoluam, & te Georgi à Turre, ingeniorum huius æui Aquilam totius naturæ capacem, sublimi nisu, mortale fastigium supergressam, quę cęlitus delapsa, immortali fronde doctorum capita velas, summæ admirationis cultu prosequar, tuoque ductu, veluti pullus implumis æternum sapientiæ iubar, ac diuinitatis radios inconniuis oculis ferre assuescam.

ETsi me tribus ab hinc annis vestra ingens humanitas in sapientiæ augusta templa induxerit, riteque initiatum, eiusdem Deæ altaribus propius adstituerit, nondum tamen votorum summam confeci, Hygiæ sacrario, ac salutis adytis exclusus. Id mihi incitamento dies noctesq; fuit, ut tandem maiora mysteria capescerem, & in medicinæ penetralia admitterer.

Videbar enim mihi Homeros procos æmulari, qui cum Penelope potiri non possent, ancillarum contubernium, seruiliter sectabantur. Sapere à philosophia didiceram, sed bene mortalibus facere, eosque a morborum mortisque insidiis tutari, veluti lex annaria vetabat. Vbi ad legitimam ætatem perueni, vestro nutu generosissimo salutis arcana, quæ frustra prophani mortales videre cupiunt, accessi, ac de proximo veneratus sum. Itaque quantum vobis debeam intelligo: vt vnquam soluendo sim, ne sperare quidem audeo. Hoc vno beneficij vestri Magnitudo constat, quod sola nominis professione rependi potest. Tibi verò vir Amplissime pro factis verba referre, tantæ dignitatis iniuria foret. Nam cum innumeri sint, qui tibi spiritum, ac vitam de-

beant,

beant, seque tua prope diuina ope renatos fateantur, ego me hodie re natum, eodemque momento in numerum virorum relatum, tibi æternum acceptum feram.

DIuinus vir Plato cum sapientiæ arcana fabularum inuolucris obtegeret, narrat in Protagora, Deos immortales, antequam humanum genus conderent solos Orbem coluisse, cumque fatale generationis tempus aduenisset, Prometheo, atque Epimetheo fratribus negotium dedisse, vt singulis animantibus, prout in dias luminis oras ederentur facultates, ac vires, & ad vitæ tutelam instrumenta distribuerent. Rogauit fratrem Epimetheus, vt totam muneris eius prouinciam sibi concederet. Cuius assensu cæpit animantium cuique suas dotes, ac naturæ præsidia, & munimenta partiri. Et alijs quidem corporis robur, ac firmitatem donauit, imbecillioribus velocitatem, qua aduersa effugerent, largitus est. Quibus corporis molem negauerat, eos pennis instruxit, atque in sublime sustulit, & Cęlum incolendum dedit. Vt alia virium robore, alia celeritate pręstarent. Hæc cornibus, inquit magnus Naturæ interpres, illa dentibus instruxit, pleraque vnguibus armauit, hæc ad statariam pugnam, illa aduelitarem instituit, & quædam viribus fidere, quædam in fuga salutem petere coegit. Vbi veluti paria æquauit, ne mutua pernicie conficerentur, excogitare cępit, quomodo ea à Cœli, & tempestatum iniuriis tuta redderet, vt sub dio sine noxa dies, noctesque degere possent. Itaque varia tegumenta tribuit, densis pilis, villisque obtexit, horrentibus setis, cortice, testis sepsit, squammas veluti cataphractis obduxit, velleribus inuoluit, durissima cute, & corii laminis loricauit, pedes vnguibus, calloque atque osseo munimento calceauit: alia aliis alimenta prospexit.

In quo quidem fatale nomen expleuit, atque in ea parti-

tione veluti in Theatri missibilibus Epimetheus, hoc est improuidus, & futuri incuriosus apparuit. Nam cum omnes dotes, & naturæ bona in muta animantia stulte profudisset, nihil sibi superesse vidit, quod in hominum genus exhausta liberalitate conferret. Sero fratris amentiam Prometheus intellexit, hominemque imperaturum ceteris animal, omni ope destitutum, egenum, nudum, in nuda humo, sine tutela, sine telis, brutorum iniuriæ obnoxium, facilem cuiq; prędam, ac sæuientibus feris ludibrium, & lanienam animaduertit. Nec aliud illi in tanto discrimine aptius remedium visum est, quam vt à Vulcano, & Minerua cum igne sapientiam furaretur, sicque vnicum hominibus telum, ac munimentum ei prouidè circumposuit. Deerat prudentia ciuilis. Sed illa, in arce apud Iouē horribili custodia seruabatur. Nam alimenta quidem vitæ necessaria per sapientiam adepti, sine tecto tamen, sine lare, sine lege, vagi, dispersi atque inculti ferarum more degebant, iisdem feris ob imbecillitatem obnoxii.

Donec Iupiter humanum genus miseratus, Mercurium misit, qui pudorem ac Iustitiam, qua in vnum coalescimus, Vrbesque frequentamus, impertiret, neque vt reliquas facultates, eloquentiam, medicinam, artesque, earum tantum studiosis, sed vniuersis Iuris sacra distribueret, legesque conderet, quibus pudoris, & æquitatis expertes, tanquam ciuitatis pestes plecterentur.

Si vlla arx est P. A. in toto terrarum Orbe, in qua Astreæ terris quondam fugatæ sanctum Numen seruetur: si quod sacrarium, si quæ adyta Themidis ac penetralia, hoc profecto vestrum delubrum est, non horribili quidem sed arcta, & seuera custodia, aduersus prophanos obseptum, quo nemo aspirare audet, nemo eniti, nisi quos æquus amauit Iupiter, atque ardens euexit ad æthera virtus. Virtus scilicet generis, & maiorum bona facta, hoc est purus, nullisque vitiorum, aut turpis lucri sordibus contaminatus

san-

ſanguis: nón curuæ vileſque animæ, fœdis cupiditatibus demerſæ: non plebeia pectora, Vrbium fex, & purgamenta. Neque tamen ſola ſanguinis prærogatiua admittitur, ſed noua virtus auitæ gloriæ æmula, ſed laudis certamen, atque immenſa contentio, æquandi decoris, & ſi ſuperi annuunt, augendi, atque amplificandi nominis, ne alienæ tantum famæ incumbamus. Quid ego in hac honoris palæſtra, in hoc virtutis ſtadio præſtiterim, hodierna dies oſtendet: ſi modo clementiæ veſtræ, atque incomparabilis facilitatis aura, tenues conatus attollet, & ſubleuabit, atque ad tot annorum vota, ipſius felicitatis culmen, aditum patefaciet. Tunc ego vos, non tanquam Iuſtitiæ ſacerdotes, ac ſeculi decora, ſed veluti beneficos, ac ſalutares genios venerabor.



OCTAVII FERRARII

Variarum Inſcriptionum atque Elogiorum

LIBER VNVS.

Amplissimis, ac Præstantissimis Senatoribus

PETRO SAGREDO
D. MARCI PROC.
IO: GRIMANO EQVITI
BERTVCCIO VALERIO
EQVITI.
Academiæ Patauinæ Curatoribus.

OCTAVIVS FERRARIVS FEL.



Res Soles visos non sine ostento vetustas credidit. Cùm nempe Romana libertas seruiẽti Orbi par, ciuis vnius bonis malisque artibus concussa, Triumvirorum conspiratione in perpetuum sublata est. Quasi tres dominos terris imminẽtes sidus illud tum triplex portenderet, quod quia solum est, solusque siderum regnator, vnius Imperium referre videtur. Sed tam verisimile hoc prodigium prudentioribus videri debet, quam Solem eundem, Quirites interfecto Cæsare miseratum, obscura ferrugine nitorem condidisse, quod in seruilis patientiæ dedecus poetarum natio dominantibus gratificata est. Cùm potius libertatis funere atratum luxisse credi par sit, qui non nisi liberis hominibus ab initio illuxit. Aetati quidem nostrę gratulari licet, hac sede libertatis terris omnibus expulsæ feliciori ostento tres Soles Reip. ac literis affulsisse, magno ipsius libertatis blandimento, quasi vnius Imperiũ ne in Sole quidem perferre possit. Ipse triplici Numini vestro, quod bea-

to fulgore cæcas mentes serenat tenues ingenij fœtus fouendos produxi, vt eodem momento à vobis vitam, & claritudinem accipiant. Neque hîc pium, ac sincerum affectum declarare attinet coram Numine cuncta audiente, cuncta vidente. Ius mihi modo fasque sit contra tueri, tunc venerabundus ex cognomine elemento, non tam Deorum, Heroũque parente, quam verè libertatis sacrario, non vnum Solem per temporum vices Reipub. ac literis exorientem, occasui nunquam obnoxium precabor. Patauij in vestro Athenæo Nonis Decembris M. DC. XLVI.



In Ara Diuæ IVSTINÆ.

Diuæ Iustinæ
Mortales exuvias
Arcana Vrbis pignora
Tot seculorum depositum
Ciuium pietate mille cladibus ereptum
Monachi Cassinenses
Regia templi mole complexi
Veneta mansuetudine cuncta refouente
His demum penetralibus
Sacrarunt.

Sub imagine Dominici Molini.

Hos habuit vultus
Dominicus Molinus
Hoc aspectu maiestatis plenissimo
Omnium amorem ac venerationem
Adeptus est
Sed animo nihil pulchrius
Nihil augustius vnquam fuit.
In hoc ciuilis prudentia sacrarium
Musæ domicilium posuêre
Conuersis huc omnium gentium
Ingeniis atque linguis
Raro in tanta fortuna exemplo
Facere quæ scribantur
Scribere quæ legantur.

ELOGIVM

Lucæ Archiepiscopi Stellæ cùm Patauinæ Ecclesiæ gubernaculis admotus est.

Huc animos huc vota.
Sidus ingens
Patauinum Cœlum longa luce augebit
Vt olim decidua vi populis beneficum affulsit
Non adscriptum superis mortalem
Sed terris commodatum Indigetem ostentat.
Mores mutabit non Regna
Lunæ Solisque æmulum
Irrequieto meatu
Ipsum præuertet Solem & maturabit diem
Et postquam Sol decesserit
Obluctabitur nocti & prorogabit lucem
Mox in tenebrarum remedium
Minorum ignium pompam explicabit
Eximium Pulcherimum
Donec argenteum iubar cum Sole purpurascat
Sic cum publica lux reliqua sidera occultabit
Eminebit
Ac terrarum siderumque rectorem
Vel vice referet vel proxime consequetur.
Huc animos huc vota.

In Lauream Roberti Abbatis Papafauæ.

Robertus Papafaua
Tot Procerum tot Heroum verus, certusque sanguis
Cum

Cùm ad immortalitatis Capitolium
Apollinarem lauream triumphali toga deferret
Viro Phœbi Musarum chorus assurrexit
Phœbus ipse vaticinium dixit
I bone quo te tua ac maiorum virtus vocat
Novum tibi decus novum fastigium para
In quod nihil fortunæ liceat
Cui in tuas auorumque res plurimum licuit
Sceptra, fasces, curules, radii
Fatorum negotium sævumque ludibrium est
Sapientiæ debes quod hæc quoque contemnere potes
Quam tu purpuratis atauis prætulisti
Breui tamen fulgebit Apex, iterum Sarrana, ac dibapha
Laureati iterum postes & Capitolina toga
Honorum pagina fastos implebit
Et toties inducta penatibus Trabea
Romanum vellus fucabit
Nec de fortuna conqueri poteris
Quæ gentem tuam in æquum redegit
Vt te aduersis probatum nihil fatis debentem
Rerum culmine dignum ostenderet.

Francisco Puteo
Venetorum disertissimo
Facundiam libera ciuitate
Animum Regia fortuna dignum Superi dederunt
Vt communi libertatis & eloquentiæ Regno
In populos seruitii expertes dominaretur
Et dominas rerũ opes honeste partas honestius profũderet
Pari orationis ac vitæ comitate
Innocuos sales & liberales iocos
Edita mari Dea dilargita est

Vt

Vt his vèluti mitibus limphis ſalum ipſum dulceſceret
Illis condiretur ſeculi fatuitas
Patronorum eloquentiſſimo
Bonarum literarum cultores
Inter auctores eloquentiæ clypeum cenſent
Et ad eius laudes ſequendas
Ipſiuſmet vocem Romanis Græcique auribus dignam
Exoptant.

Ioanni Nannio D. M. Procur.
Ioanni Piſauro D. M. Procur.
Ioanni Grimano Equit. Patauini
Gymnaſii Moderatoribus.

Iane Pater Triceps
Muſarum ac temporum Moderator
Faſtorum Titulus & Honos
Qui totum in orbem cum ſpectes
Nil præter Venetos habes quod tuearis
Apud quos terris omnibus pulſus
Aeternum cum libertate ſacrarium nactus es
Cuius vnius initium & finis
Te cuncta videntem latet
Iane Pater
Qui patens clauſuſque pacem
Ac pacis opera in inuidiam foues
Aditumque diuinitatis reſeras
Hanc ſapientiæ ſtrenam placatus excipe,
Et volens foue
Troianos rerum dominos gentemque togatam.

M. An-

M. Antonii Martinenghi Episcopi Turricellani.

Imperatorium Decus
Martinenga in domo toties partum
Laureamque tot triumphis repetitam
Pacatæ excipiunt Infulæ
Sacerque Apex ac Lituus
Reddit Augustiora.
Hoc gentis Capitolium est
Hic currus ac spolia
Milleque annorum Manubiæ.
Eximiæ tot bellorum animæ
Venetæ maiestatis pars ac ministerium
M. Antonio Nepoti
Sponte decedunt
Fascesque Imperatorios
Pontificali trabeæ submittunt.
Hercules
Eoas acies Cyprique trophæa
Io: Maria
Triginta stipendia
Creticique exercitus regimen.
Io: Franciscus
Tarrense prælium
Ac Principale connubium
Nestor
Alteros triginta annos
Et sanguinem toties patriæ impensum
Honoris symbola conferunt
Hoc vno gaudent hoc se circumspiciunt
Crudis tamen votis neque ambigua spe
Quin violæ eximium colorem induant

Et

Et cum toties auorum paludamentum
Proprio aut hostili sanguine rubuerit
Pontificium velamen
Sacro murice irradiet.

Diui Andreæ Corsini.

Terris commodata Cœlo recepta Andreæ Corsini mens humanum emendat genus Diuorum numerum auget. Fortunæ fastum abdicat, opesque & genus, quæ prima mortales putant. Mox in se recedens se ipse vincit & domat, iamque sui maior vno minor est Deo. Pestes inde malaque fugans & lucem functis reddens proxime accedit ad Deum. Velatus infulis populis exemplum & salus præsens Diuus habetur. Tandem mature Deo redditus locum mutat non animum. Vota quotidie fiunt, beneficio stat fides. Odiu Imperium hoc fortunet sospitet domum diuque mortales votis alliget.

MARIA AVSTRIACA AVGVSTA. Vnico ad hanc diem exemplo Imperatoris filia coniux nurus & mater Regis soror cum è Germania in Hispaniam proficisceretur S. C. à Francisco Priolo D. M. Proc. Regio paratu excepta frequenti principum ac procerum officio has Aedes maiestate sua impleuit sacraq; mensarum atque hospitales Deos miscens fortunæ principalis fulgore penates in posterum nobilitauit. Marina Priola ad renouandam tanti hospitij memoriam H. M. P.

GA-

GABRIELI EMO PRAEFECTO. Quod Bibliothecam ventis atque imbribus peruiam libris situ corruptis ipsisque parietibus vitium ducentibus sartam tectam exegerit & absterso squalore in pristinum cultum restitutam insigni liberalitate auxerit. Octauius Ferrarius B. M. P.

Epicœdium Lucæ Stellæ Patauini Episcopatus initio extincti.

Cape animos Ciuitas mœrens
Non te deserit sed Cœlo redditur
Sidus ostensum modò:
Illic æternos in Orbes collectum
Gratiore purpura rutilat
Ridetque spes & amara curarum
Illinc te placido respiciet lumine
Rebus tuis fortius excubans
At tu ne fletu Indigetem viola.
Sed thensas, ac puluinaria
Voue
Vocabitur hic quoque votis.

ELOGIVM

Marchionis Fabritij Coloredi.

Quas subis hospes ædes
Substructionum mole artificum ingenio omnique cultu
Cum veterum magnificentia certaturæ

Nul-

Nullum maius ornamentum Domino suo habent
Fabritio Coloredo
Quem in Etrusca aula consenuisse mirum esset
Nisi in eadem summo fastigio proximus
Plures honores ac titulos
Quàm annos numeraret.
Flagrantissima apud tres Principes gratia
Incertum belli an pacis artibus clarior
In Hipponensi prælio victricis classis Legatus
Equitum S. Stephani & Cataphractorum ductor
Cubiculi Præfectus S. Sophiæ Demarchus
Adolescentiæ Principis Moderator
Rector Senensis Vrbis Summus Aulæ Præfectus
Raro exemplo
Sex & triginta legationibus
Apud omnes Europæ Principes perfunctus
N. N. Coloredi fratris filij
Hunc honorum Indicem familię fastis
Sacrarunt.

Antonij Quarengi.

Antonium Quærengum
Virum magnum si cum maximis comparetur
Ac fermè Italorum vltimum
Posteritas colet
Et ignotæ quoque gentes loquentur.
Quem inuidendum Augusti æuo poetam Principes dixêre
A quo tam propè abfuit
Quam hi longè ab aureæ ætatis munificentia
Hoc Italiæ decus extremum
Vrbs rerum domina

In

In humani generis ac literatorum conuentu
Eodem loco habuit quo popularem quondam Liuium
Quæ duo ingenia magnitudini suæ paria inuenit
Nisi quod hic sanctiori sapientia animum imbuerat.
Comi facundia amænisque moribus
Rem raram ac difficilem consecutus est
Vt in aula consenesceret
In eius admirationem aula obuersa
Aucta etiam apud posteros gloria
Quod magis quæsituri sunt
Cur honorum fastigio caruerit
Quam quomodo habuerit.

Marini Georgij Bergomi Prætoris.

Marinum Georgium
Solem Inuictum
Cuius benigno sidere
Non tam perpetuo vere recreata
Quam rerum omnium prouentu ditata sunt
Orobiorum Pergama
Solem sibi tantum ostensum semper propitium
Nec nisi aduersus sontes sagittis vsum
Non occasui non tenebrarum vicibus obnoxium
Minoribus quoque sideribus luce fœnerata
Præclarum eximium
Omnia intuentem omnia exaudientem
Peragrato orbe suo
Maternam Delum inuisentem
Deuincti æternum populi
Inter Pæanas & vota prosequuntur
Et qui orientem coluere occidentem quoque
Venerantur.

Marini Marino Abbatis.

Marino Marino Abbati
Cuius Inclita gens
Deorum hominumque parenti Oceano
Originem imputat
Famam ſideribus tranſcripſit
Gentilitias vndas ſtemmate complexa
Exqueîs duo quæ ſola ſunt mortalibus exiſtunt
Sol & maris potens Virgo
Vt hæc & ille
In excolendo alumno certarent
Hicque à ſacrorum ſiderumque Rege
Traditum cum inſulis lituum
In atrio libertatis ſacraret.
Tum Muſæ Caſtalios latices
Mutare properarunt his lymphis
Quarum nihil præter nomen amareſcit.
Sic ò ſuperi
Ex gentili Salo ſuperbus murex rutilet
Vnde arena Pactolo non conceſſura
Puriori metallo flaueſcit
Hoc magno Phœbus mercetur
Hoc Thetis emat omnibus vndis.

Cardinalis Franciſci Barberini.

Salue magnæ ſpes altera Romæ
In quem capacem & ſuffectūrum
Romanus Atlas Orbem alternis reclinat
Curamque terrarum æqua lege diſpenſat

Sal-

Salue Magni patrui
Atque humani generis amor & deliciæ
A cuius aſpectu nemo vnquam triſtis diſceſſit
Quem nemo triſtem aſpexit
Niſi cum de mortalibus benemerendi
Occaſio ſublata eſt
Patere modo gentilitias Apes
Aethereum nectar depaſtas
Ad hos flores ſacris areolis ſatos decurrere
Vt mel non tam ſugant quam adflent
Tunc ſacrario veſtro ſerti ac ſoluti appendentur
Quando ſuperi æque corollis atque Hecatombis
Propitiantur
Hæc vota trepide concipit
N. N.

Andreæ Vendrameni Prætoris Patauij.

Andreæ Vendrameni
Nicolai D. Marci Proc. F.
Sacrum ac venerabile nomen
Venetæ maieſtati par
Titulis omnibus maius
Extare hîc Decuriones voluerunt
Singularis æquitatis ac manſuetudinis
Monumentum
Sicut ingentia in Vrbem promerita
Animis omnium
Ad æternitatem impreſſa ſunt.

Hieronymi Bragadeni
Sacros vultus
Venetæ maiestatis simulachrum
Quod intra iuuentam
Integre ac strenuè administrata prouincia
Compresso grassatorum furore
Rerum beato prouentu
Cunctos ditauerit
Decuriones Dicarunt
Vt ad eius exemplum
Futuri Præsides exigantur.

In Collegij Nobilium Venetorum Epheborum Institutione.

Vt regnatura suboles
Dignum fortuna dignum maioribus
Animorum cultum caperet
Senatus Venetus
Pietati ac Musis
Heîc domicilium P.

Vt Veneta Nobilitas
Et futura Respublica
Literarum contubernio
Ad magnæ fortunæ cultum informaretur
Et capaces liberæ dominationis spiritus
Hauriret

Se-

Senatus Venetus
In his ſedibus
Numeroſam ſpem
Et ipſa libertatis vota
Pudori ac Muſis
Commendauit.

Ioannis Antonij Zeno Patauij Præfecti.

Ioanni Antonio Zeno
Quod inter Imperij curas
Et magnæ Fortunæ meditamenta
Muſas reſpexerit
Iuris cultores
Iuris ſeruantiſſimo P. P.

Ioannis Antonij Zeni
Conſtantiam & celeritatem
Igne quodam volucrem
Difficillimis temporibus
Vrbi ac Reipublicæ ſalutarem
Philoſophorum ac Medicorum cœtus
Aeternitati ſacrauit.

Pauli Caotortæ Patauij Prætoris.

Paulo Caotortæ
Herculi Muſageti

Artium ac disciplinarum conseruatori
Beneficentissimo
Facilitatis, ac clementiæ summo
Sapientiæ atque Hygiæ sacris
Operata pubes
H. M.
Corpora & animas
Religiosissime addicit.

Decora Alta
Henrici Lindesaij Scoti ProRectoris
Quem magna virtus
Ignorantiam recti & inuidiam
Supergressa
Principum inclinatione
Cunctorum ordinum fauore subnixum
Immortalitati commendauit.
Iuris cultores P. P.

HENRICO LINDESAIO.

ProRectori cum paucis comparando
Cuius industriæ ac dexteritati
Veneta maiestas primum indulsit
Vt ProRectores deinceps
Eodem ritu quo proceres & nobilia capita
Laurea insignirentur
Iuris studiosi P. P.

Chri-

Christiano Bruno Dano
Cui ob formam Imperio dignam
Animique dotes Regias
Præcipuè splendorem & munificentiam
Gymnasium Patauinum
Suas Fortunas commendauit
Eiusque sedula opera & prouidentiâ
Tristissima tempora moderate exegit.
Pro Rect. B. M.
Iustitiæ Sacerdotes.
P. P.

Christiano Bruno Dano
Pro Rectori
Principis beneuolentia
Cunctorum ordinum
Flagrantissimis studijs
Semper bene vso
Astreæ cultores P. P.

Philiberto Vizzanio
Patricio Bononiensi
Qui Caroli Emanuelis Fratris magni Philosophi
Studium atque obseruantiam in Remp. æmulatus
Gymnasij regimen adeptus
Cum fratre paria fecit
Vt ille præceptis sapientiæ
Iuuentutem excoleret
Hic dextre ac liberaliter obeundo

Academiæ iura atque immunitatem
Tueretur
Philosophi ac Medici
Posuerunt.

Carolo Benzono ProRect.
Qui Romana generositate
ProRectorum decus imminutum
Non sibi
Sed Gymnasio Asseruit,
Iuris candidati. P. P.

ALOYSIVS CONTARENVS.

Cum Venetam Maiestatem ad Europæ Principes Orator circum tulisset demum ad Turcarum Imperatorem Legatus ea temporum calamitate exceptus est, quæ in experimentum fidei, ac constantiæ diuinitus illata videretur. Punicis enim Piratis ab Veneta classe pulsis, & intra Vallonæ portum profligatis superbus Asiæ Regnator super insitam sæuitiam humanique sanguinis sitim recenti Babylonis expugnatione inflatus adeo ex canduit, vt Reipublicæ totique Europæ intestinis discordijs laceratæ atrox & inexplicabile bellum minitaretur. Primus irarum turbo in Legatum detonuit: Hic contra fas gentium in vincula coniectus, non carceris horrore deformata maiestate, non proximi exitij denunciatione fracto animo, inter tot Fortunæ minas metuendus magis quam metuens primo pacis conditiones Reip. parum decoras constantissime repulit: mox liberaliter ac dextre obeundo feras mentes adeo circumegit, ac flexit, vt fœdus paruo

re-

redemptum renouarit ijs legibus, quæ ne sperari quidem à barbaris potuissent: sicque horribilem tempestatem Orbi Christiano impendentem singulari sapientia ac felicitate auertit. Hoc beneficij incomparabilis monumentum Corcyrenses L. M. Posuere.

Andreæ Legio Prætori
Cuius Dijs æqua potestas
Solis beneficijs stetit
Maluitque mortales
Rubore suffundi quam sanguine
Atque illuc currere lachrimas
Iussit
Qua cruor iturus erat.
Non minus Legum quam Legij
Iuuentus studiosa
Molliter ac liberaliter habita
Parenti optimo & indulgentissimo
R.

SCIPIO FERAMVSCA.

In omni vitæ actu esse quam videri bonus maluit. Itaque in altitudinem animi compositus ex sapientiæ, atque eloquentiæ studio, quo præstantissimorum gloriam æquauit nihil magis retinuit quàm modum. Consilij, mentisque vi non summis modo patriæ curis impositus, sed æternæ Reip. arcanis admotus, immixtusque, grauissimas regendorum finium controuersias non semel sustulit. Et siue in patria reos tueretur, siue eiusdem patriæ preces ad Venetum Senatum deferret,

virili

virili magis & incompto quam populari dicendi genere magnos vbique clamores excitauit, & quanta vlla vnquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus est. Cetera seuerus, ac simplex, frugalis idem & largitor, in commune bonus, fortunam in potestate habuit, & ex magnis opibus nil sibi præter munificentiam reseruauit. Tandem Cæsare Fratris filio ingentis animi iuuene in eandem patriæ, ac Reip. spem producto extremam ætatem sibi asseruit. Iamque sui maior anteactę vitę veneratione non modo ciuium inuidiam effugit sed cumulatiores neglectæ in tempore gloriæ fructus assecutus est. Senos & sexaginta annos integer exegit.

BENEDICTVS SILVATICVS Bartholomæi F. summis in patria honoribus functus, ex legatione ad Serenissimum Principem Cornelium Equestri dignitate ornatus, in patrio Gymnasio primarium Medici professoris munus vnico ad hanc diem exemplo adeptus, à Cæsare in Germaniam, per Italiam à Principibus summisque viris per quatuor & quadraginta annos euocatus, septuagenario maior paternum Suburbanum modico lare ac tecto, & angusto per obliquos tramites accessu in commodum, laxatis veteribus nouis adiectis cubiculis, porrecta fronte surgentium pinnarum coronamento antiquum tholum cingente, in ampliorem & augustiorem hanc formam redegit & vt mollior aditus esset collis dorso clementer accliui scalas supino ascensu, vagoque per amœna despectu suspendit. Præterea obiacentem colli planitiem directa area explicuit & diductis hinc inde riuis placide alluentis fluminis commercio aditum aperuit ac totius ædificij prospectum nauigantibus propiùs admouit.

Im-

Immortale decus
Danielis BlantKij Dantiſcani.
Qui Gymnaſij Regimen
Ea modeſtia renuit
Vt inuito faſces delati ſint
Eo ſplendore atque abſtinentia peregit
Vt publicas rationes
Ingenti ære alieno conturbatas
Expedierit
Et vel optimo ſucceſſori
Difficilem æmulationem reliquerit
Phil. Medicorum & Theologorum
Cœtus
ProRectori Benefico & ſalutari
L. M. P.

Nicolaus Leucius
Villam à parente inchoatam
Laxius ac magnificentius inſtruxit
Agri limites innocenter extendit
Documento poſteris
Augendi per honeſta patrimonij.

Paterna Rura
Aedibus Vrbanæ magnificentiæ
Sine ſtrepitu æmulis
Excoluit
Latifundijs extendit
Ac priuatum pomærium
Produxit
Incitamento minoribus
Vt rem per honeſta meliorem faciant.

Hoc

Hoc militari aſpectu, & feſtinatis ſenectutis honoribus aſperſa cæſarie Regiaque totius corporis dignitate præcellit Scipio Papafaua in Hieroſolymitana familia omnes honorum gradus emenſus, magnitudine animi atque egregijs factis ſeculum exornans. Hunc vix in lucem editum Princeps Melitenſis ordo Chriſtiani nominis Prætorianus ſuis inſignibus tanquam infulis velatum adoptauit, vt cum ceteri fiant Equites hic natus ſit, & faſcijs baltheoque ſimul cinctus ſe ante militem meminerit quam hominem. Inde peragrata victorijs marìa, prædonum cæde non ſemel imbutus Oceanus, piratarum ſæua latrocinatio repreſſa, Melitenſia trophæa aucta, militiæ rudimenta fuere. Nec ſegnior in eo exornando ſacer ordo fuit, atque ille benemerendo. Congeſti in iuuenem honores, iuuenis ſummæ rerum admixtus, demandata in Veneta prouincia publicæ rei procuràtio, donec abſens ſupremam maris præfecturam adipiſceretur, vt ſtatim eius auſpicijs Ottomanicus furor interioris vitæ pignoribus ac barbaricæ luxuriæ inſtrumentis mulctatus contunderetur. Tandem Meſſanæ Prior honorum fulgores mereri maluit quam optare, & virente ætate cum Præmia laudis ferret adhuc poterat.

In aditu Academiæ quæ in tutela Dianæ.

Triuiæ templa ſerena ſubiturus
Interq; minores ignes
Sidus noctibus excubans
Venerare
Eiuſque errore certo creſcentis ac decreſcentis
Aeternos labores irrequieto meatu
Quietem mortalibus ferentes
Aemulare

Tum

Tum ipſius ſacris
Vigiles ſenſus
Et amica ſilentia
Integer admoueto.

Quos vides nec ſe familiæ, nec ſeculo indecores gerunt. Cum fortuna ſæuiente ita compoſiti, vt contra ſtent, atque in veſtigio hæreant, nunquam animos ſubmittant, cum non aliud ſibi ereptum ſentiant, quam quod illa etiam largiri poteſt indignis. In cetera quibus faſtigium debetur nihil illi permiſſum, illuſtriori virtutis experimento, quanto præſtantius eſt mereri Imperium quam habere. Noua itaque ſubole penates implent, quia maiores vt poſteros haberent meruerunt; Quorum titulis non elati neque aduerſis fracti tam modeſtè antiquæ domus ſplendorem tuentur, vt nihil emineat præter bonam mentem. Et parere bonis & imperare ex æquo glorioſum ducunt. Magno vtique ſolatio, conſtare ſibi bonam famam, quæ euerſas regnatrices domos raro conſequitur.

IACOBVS FERAMVSCA.

Animi vigore corporiſque dotibus inſignis, Patauium excolendo ingenio profectus manſuetiores literas tam auide arripuit, vt breui latinæ Orationis maieſtate aſſurgeret, atque elegans carmen funderet: mox ſummorum virorum cõtubernio Iuris ſcientiam ſectatus, tantos progreſſus edidit, vt magnorum Iuriſconſultorum gloriam iuvenis æquaret. Inde ſuis redditus eloquentiam tuendis ciuibus exercuit: iam tum principibus patronis adnumeratus ſummum ciuem pa-

patriæ repræsentasset, si qua fata rumpere potuisset. Extinctus est Patauij nondum xxxI. annum excedens.

Magistri Corlominij.

Venerabilem Corlominium
Literarum prodigium
Fatorum liuor inchoauit non absoluit.
Ne aut conuicium seculo deesset
Aut solatium
Scientijs omnibus per somnum
Vt olim magni Heroes imbutum
Nulli intelligunt & omnes admirantur
Natura silentem Eleusis interpretem
Non elephanti
Sed cognatæ pecudis corio circum texit
Disce lector
Aut fatuum nasci oportere aut ....
Aut vtrumque.

Grande hoc insanientis sapientiæ depositum
Simul de potestate exijt & matre
Bellusque hic pullus
Veluti ad gentiles & agnatos
Ad Musas capistro ductus est
Quarum contubernio id modo didicit
Vt se id vnum scire quod nihil sciret
Socratica modestia profiteretur
Mox Syriæ Deæ ferculum
Ac delicium

Ex

Ex aditis responsa
Quę nec ipse intelligeret dedit.
Donec fatalem Oraculorum defectum
Pateretur.
Iam sibi rudit & Musis
Ingens documentum
Nullum magnum ingenium
Sine mixtura dementiæ fuisse.

Hippolito Monario
Rerum capitalium Quæsitori
Diligentissimo, atque integerrimo
In seuero morum magisterio
Beneuolentiam omnium adepto
Eius Tribunalis Actores.
P. P.

In funere Federici Borromæi Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis.

Federico Borromæo
Parenti patriæ Beneficentissimo
Qui ingentis animæ prodigus
Consilio atque ope pestilentiam
Repressit
Honesta largitione
Esurientem plebem sustentauit
Vrbs Mediolanum
Orbitatis metu icta
Hoc malorum extremum putat

Eum sibi præreptum
Cuius virtute mala omnia tolerauerat.

Federico Borromæo
In quo omne gratiarum decus
Natura consumpserat
Cuius Regia forma mortalibus
Imperium sine satellitio fuit
Heu Ciuitas infelix
Aspectu etiam post mortem
Maiestatis plenissimo
Extremum fruere.

Sapientissimo Federico
Quod literis propè inter mortuis
Spiritum ac lucem
Reddiderit
Et inuidendam Regibus Bibliothecam
Scientiarum Sacrarium
Disciplinarum omnium Prytanæum
Exstruxerit
Collegium Ambrosianum
Parenti Indulgentissimo
Se suosque labores æternùm sacrat.

Federico Borromæo
Liberalium artium Reparatori
Felicissimo
Pictura & Sculptura

Ex

Ex pestilentiæ naufragio ereptæ
Templorum maiestatem Vrbium decora
Ipsamque æternitatem
Seruatam gaudent.

Federico Borromæo
Quod relabentem sacrorum morumque disciplinam
Caste ac constanter retinuerit
Musasque in Coloniam deduxerit
Sacris præterea ac prophanis operibus
Vsque in miraculum excultis
Vrbem ex lateritia marmoream reliquerit
Ciues Mœstissimi.
L. M. Parentant.

Gaspari Seuerino Hiort nobili Dano.

Qui dum præcipua Europæ Gymnasia lustrat Nationis precibus ad istius regimen compulsus, ciuilis prudentiæ quã vndique contraxerat tale specimen dedit, vt cum in ipso ornando virtutes omnes certarent, magnificentia ceteris præfulserit. Sapientiæ candidati P.

Comiti Paulo Bennasuti Vicentino.

Quo non præstantior alter liberæ Iuventutis frena moderari. Cuius in tuenda Gymnasij dignitate splendorem ac fidem omnes experti, eloquentiam Veneti Patres admirati sunt, & cum multa causæ tribuerent, plurimum personæ indulserunt. Iuris studiosi P.

Alexandro Macradio Vicentino.

Quem forma Imperio digna, liberalitas priuato censu, consilii vis ætate maior ita supra ceteros extulerunt, vt solertia, & dexteritate se ipso maior visus sit. Nam præferuidæ iuventutis dissidio, tumentes animos ita circumegit, & flexit, vt ex turbida tempestate insperata tranquillitas emerserit.

Iuris cultores P.

Nathanaeli Schrodero.

Qui reditum in patriam adornans studiis omnium, ac prensatione vltro ambitus, vt Gymnasii regimen capesseret prudentia liberalitate & candore Germanico ita se gessit, vt Impèrii tempus breuissimum visum sit, & quo eius memoria maxime in longum prorogaretur Iuris studiosi optimi Prorectoris imaginem cordibus omnium impressam, cordis symbolo sacrauerunt.

Melchior Tetta Siccensis Dalmata.

Adoptione Germanus, dexteritate Italus, ita vtriusque gentis genium miscuit, vt eius cætus moderator, quem e toto Orbe delibata iuventus constituit, dignus ex omnibus visus sit, qui adoptaretur ab omnibus, splendore ac munificentia præteritis prorectoribus tenebras obduxerit, futuris æmulandi spem abstulerit. Iuris studiosi iure posuere.

Ioanni

Summos honores intra iuventam adepto. Nam primo in Galliam mox in Brittaniam extra ordinem legatus tum magnus Præconsultor atque Vrbis huius Prætor post breue spatium ad Cęsarem transire iussus heîc se ita gessit vt cum nihil ad gratiam ageret omnia grata essent quæ faceret tantumque desiderij e prouincia deportarit quantum reliquit exempli.

Præstantissimo merito

Hieronymi Iustiniani effigies hisce penetralibus sacrata est, quæ sicut exporrectæ frontis honore & augusta oris dignitate reliquas imagines antecellit, ita ille clementia, liberalitatis fulgore ceterorum præfectorum luminibus obstruxit. Iuris prudentiæ sectatores P.

Quis Hieronymi Iustiniani os roseum frontisque decus nulla vnquam supercilii nube obductum, nec tam triumphali trabeæ intextum, quam genis irradians purpuræ lumen contemplatus sublimem animum incomparabilem munificentiam sed pręcipue studiorum tutelam non inde coniiciat; & salutare hoc sidus sero sibi datum citissime ereptum non ingemiscat? Astreæ studiis addicta Iuventus P.

Franciscus Ericius.

Per continentem cum summo Imperio Quæsitor, seuerita-

tis ac mansuetudinis temperamento mixtus Buzzacharenæ & Zacchæ gentis dissidia cruentis xv. annorum odiis decertata hoc sacrario componens Venetæ clementiæ esse docuit prohibere delicta quam punire atq; hospitales oleas Quercui seruatis ciuibus inseruit.

Ioanni de Caballis Prætori.

In quô extollendo virtus ac fortuna certarunt, cuius ætatem cum honoribus præcurrerent, beneficiis suis maiorem repererunt, ille clementia æquitate splendore honores antecessit, & titulis omnibus quibus eum Iuris studiosa iuventus, vltra omnium commendationem protulit, paternæ venerationis honestamentum præoptauit.

Petro Delphino Præfecto.

Qui literas ac disciplinas fouit impensius, quia quodcumque illæ præcipiunt abunde præstitit, ac beneficiis magis quam remediis ingenia experiri, bonaq; facere maluit, quam cogere. Cui Iuventus cum omnia debeat sibi videtur ingrata si eum præfectum appellet quem semper patrem experta est.

Petri Delphini Præfecti decora alta Vrbis vestibulum inaugurant, cui Vrbi cum otium atque opes inuexisset nihil inde præter æternam munificentiæ & mansuetudinis famam reportauit, atque exemplo sanxit, beatos esse populos, qui Præsidum aduentum votis & gratulatione, discessum lachrimis prosequuntur. Societas nautarum P.

Lau-

Laurentio Delphino.

Qui omnes honorum gradus domi emensus primum Corcyræ Prouisor tum regundis finibus adhibitus a Patauina Prætura trium Insularum Præfectus & ad regendam Dalmatiam extra ordinem missus demum totius continentis cum summo Imperio Legatus pari vbique integritatis & iustitiæ fama cum summæ fortunæ magnitudinem & grauitatem retineret incredibili morum lenitate ita inuidiam effugit vt cum nihil illi ad gloriam deesse aliquid ad dignitatem ciues & socij arbitrarentur.

Diuo Iuliano.

Aram maximam exotico marmore atq; artificum ingenio Diui ipsius Vrbisque maiestate dignam Templi sacerdotes & magna Curialium pars piæ munificentiæ certamine collatitia stipe à fundamentis erigendam totumq; ornamentum absoluendum locarunt. Anno MDCLXVI.

Carcerem olim foro subiectum noxiorum multitudini perangustum tenebris ac pædore non semel extremum reis indemnatis supplicium Procerum pietas in hanc laxiorem & salubriorem custodiam transtulit dato vitæ vsu quibus vita conceditur. Veneta mansuetudine vt in opus sacri pauperum ærarij reliqua verterentur annuente. Anno MDCL.

Sereni vultus duro marmore ſpirant cuius mitiſſimum pectus clementia tanquam templum inſedit,cui cum vna felicitas fuerit feciſſe felices, poſtquam Vrbem annona , Gymnaſium munificentia beauit,ita abſceſſit vt cum nullius vnquam ſpem fruſtratus ſit ſui deſiderium explere non potuerit. Iuris ſtudioſi B. M. P. Anno &c.

Marci Ruzini Prætoris.

Auguſta ſpecies tantæ fortunæ par commendat Imperium , magiſque ſe mentibus omnium quam obtutibus inſinuat,nec tam ſpectantes rapit quam mœrentes ſolatur, eum ſibi ereptum eſſe, cuius ſublimitas & manſuetudo nec inuenerit æmulum nec habitura ſit exemplum . Diuinæ atque humanæ ſapientiæ ſtudioſi P. Anno &c.



EPITAPHIA.

ANTONIO LANDO.

Petri Principis Pronepoti qui nauali aduersus Turcas prælio sanguinem impendit patriæ mox pacis artibus clarissimus Brixiæ Præfectus Patauij Prætor totiusque continentis cum summo Imperio iterum Legatus Veneti nominis maiestatem ad exteras quoque gentes porrexit Tandem Diui Marci Procurator proaui decora præter summum fastigium æquauit. Hieronymus Landus Eques Parenti posuit.

IOANNI LANDO.

Senatori præstantissimo qui ex magnis opibus nihil sibi præter ius largiendi indulsit, animique moderatione honorum petitione abstinuit, vt ad eos capessendos sex fratribus suffragaretur, qui pulcherrimo familiæ totiusq; vrbis exemplo vna concorditer atque ideo feliciter longæui vixêre. Hieronymus Landus Eques paterni animi patruo, cuius liberalitate auctus tùm alia publica munia obijt, tum legatione in Angliam ac Prætura Patauina functus est, ingentium meritorum exiguum H. M. Posuit.

Hos habuit vultus Vitalis Landus Hieronymi F. Antonij Procur. frater, qui inoffenso gradu per omnes honores vectus Consiliarij munere non semel auctus Patauina Præfectura præcipue enituit. Demum acerbissimis articulorum doloribus à publicis curis abductus, cum octo & sexaginta vitæ annos explesset mortalitatis reliquum in eremo Camaldulensium ad colles Euganeos humari mandauit. Hieronymus Landus Eques P. B. M. Cenotaphium posuit.

Ia-

Ianus à Kaas Cimber Dominus in Orndrup hic situs fatis inuidiam facit, quæ formâ genere indole præcellentem magna Orbis parte ad capiendum animi cultum peragrata Patauij deprehensum primo ætatis flexu acerbo funere merserunt.

Ioanni Dominico Salæ Medicorum præstantissimo, qui antiqua artis miracula reuocans non semel fugientes animas repressit, membrisquis suis hærere compulit, & ad demerendos laude postera mortales per sex & triginta annos salutis arcana florentissimo Gymnasio evulgans, id plures docuit quod penè solus poterat, Iacobus & Franciscus Filij Parenti optimo non tam medicæ facultatis quam familiæ veteris ac probæ reparatori felicissimo. P. P.

Ioanni de Lazara
D. Iacobi Equiti fortissimo
Summis militiæ muneribus functo
Totius Veneti equitatus Signifero
Alæ cataphractorum Ductori
Mox Astoris Baleonij
Venetarum copiarum Imperatoris
Legato
Summa apud ciues auctoritate
Florentissima apud Principes gratia
Semper bene vso
Ioannes de Lazara
D. Michaelis Eques
Comes Paludis
Patruo Magno B. M. P.
Decessit anno Domini M D L X X X.

Sic ora ferebat Franciſcus Robertus quem formā, atque indole eximium terris fata tantum oſtenderunt, eodemque funere collapſæ domus clariſſimæ ſpem reliquam & deplorata tot auorum vota intercepêre, Cæſar Franchinus ſuprema eius liberalitate auctus, quod potuit Imaginem æui rapacis impotentiæ inuidit.

Scipioni Scappo
Patricio Regienſi
Corporis animique dotibus cultiſſimō
Dum natandi rudimenta incautius ponit
Sæua & ipſis Heroibus formidata morte
Abſumpto
Ludouicus parens infeliciſſimus
Supremos vnici nati viſus explere
Patriamque glebam inijcere
Fato vetitus
Aliena in terra
Hoc monumentum
P. C.

Claudiæ Nores
Genere atque opibus inſigni
Parſimonia ac morum ſanctitate
Rariſſimi exempli matronæ
Antonius Antelmus
Bonifacij magni Venetorum Cancellarij Fil.
Coniugi dulciſſimæ
Multarum magnarumque pro Veneta Rep.

Ex-

Expeditionum Comiti
Lætorum ac tristium Sociæ
Hac in Vrbe in qua ipse parensque ac frater
Veneto Senatui non semel fidelem operam nauarunt
Ingenti luctu extinctæ
H. M. P.

In Templo D. Thomæ Patauij.

Sacerdotes ex familia
D. Philippi Nerij
Perducto ad fastigium templo
Omnique cultu exornato
Supremæ horæ memores
Hoc conditorium
Exuendæ mortalitati
Sibi reseruarunt.

D. Philippi Nerij sodales
Ijs hominibus
Qui in societatis ministerium adsciti
Sedulam ac fidelem operam
Viuentes præstiterunt
Labore ac vita functis
Hanc quietis sedem
Grato animo prospexerunt.

Vt

Vt quos eadem ſacra coniunxerant
Idem tumulus capiat
Huius Parœciæ viros
Huc recipi Patribus placuit
Relicto etiam exteris loco
Si quis ſtudio in hoc ſodalitium
Oſſa ac cineres miſcere voluerit.

Puellis innuptis
Acerbo merſis funere
Raptis ab vbere ac vitæ limine
Infantibus
Caſtis & innocentibus animulis
Commune ſepulchrum
Humanæ imbecillitatis monumentum
Ignotorum lachrimas exciturum
D. Philippi ſodales ſtatuerunt.

Muliebris ſexus
Huius Parœciæ
Naturæ diuortio
Ab chariſſimorum latere abſtractus
In morte etiam pudoris retinens
Hîc à viris ſecubat.

Antonio Mariæ Caſelatto bellicorum operum machinatori egregio: primum ſub Veneto Imperio legionis Aquilifero: mox Gallicis auſpicijs Tribuni militum legato: in Arlinghenſi

ghensi prælio aduersus Germanos dum inter promptissimos dimicat immaturè extincto, Franciscus parens infelix H. M. P. eodem duorum patruorum Flaminij apud Belgas & Venetos Ordinum ductoris incliti, & Francisci Iuris consulti sub Ferrariæ Ducibus summis honoribus functi suprema complexus.

ÆMILIA IVSTINIANA.

Quam Alexander parens supremæ dignitatis fastigio impositus, maiorum bona facta, sed magis probitas fides pudicitia supra sexum extulerant, hunc locum cineribus moriens optauit perpetuo sacro instituto Alexander Saulus coniugi incomparabili amans amanti posuit.

Io: Georgio VVirsung
Philosophiæ ac Medicinæ Doctori
Dum publicæ saluti excubat
Immiti obitu ante diem functo
Natio Germanica P.

Bernardo Fichetto, qui cum Patauium Maximiliani armis conflictaretur inter XVI. viros allectus est, quibus publico decreto patriæ salus est commendata. Horum consilio Patauini se suaque Cæsari dediderunt. Nec multo post Venetis armis vrbe recepta, Bernardus tanquam diuersarum partium in obscurissimum carcerem Venetijs detrusus, per septennium pœdore, & feralibus tenebris oculis captus est. Tandem

dem

dem absolutus libertati non luci redditus est. Obiit octõgenario maior annorum plenus, & calamitatum. Io. Baptista Auo. B. M. P.

Ad commune Sepulchrum eorum, quos pestilentia abstulit.

Exhausta funeribus Vrbs est
Tellusque morientibus defuit.
Fæda lue peremptos ciues
Memoria lachrimis expiatione
Prosequimini
Hoc mortuis debetis quia viuitis
Quia mox ad plures
Hinc in communem locum abituri estis.

Hominum sortem mors ęquat
Pestis etiam sepulchra,
Hoc monumentum extraneos sequitur
Nihil in agrum nihil in frontem iam reliquum
Vrbem sepulchrum occupat
Quibus placet exequias ire
Publicum funus est
Nulla domus expers cladis
Quisque parentem agnatum affinem luget
Sic vobis posteri lessum faciant
Philosophari hinc licet
Hoc est mortem commentari
Quotidie obuium est Epidemium.

Epicœdium Zazzerinæ Francisci Putei Catellæ.

Lugete ò Veneres Cupidinesque
Zazzerina catella dulcissima
Delicium Domini qui seculi amor est
Viuere desijt
Idque dum familiam augere parat
Vernisque catulis heriles curas oblectare
Lucina lucem inuidit
Ne Proserpina Cœlo canem inuideret
At vobis sit malè tenebrę Orci
Quę cuncta bella deuoraris
Te quidem posset dulce solatiolum
Heri facundia
Quę pallentes reos letho vindicat
Illinc euocare vnde negant redire quemquam
Sed periculum est
Si eum orantem
Immitis aulę regnator audiat
Ne cum catella reuulsos manes & sontium turbam
Amittat Orco
Interim esto salutata catella bella
Quę nihil vnquam peccauisti
Nisi quod es mortua
Amata domino quantum amabitur nulla
Vos ò
Lugete Veneres Cupidinesque.

Horatio Farnesio.

Præstantis animi ac summæ spei Principi equestrium copiarum Præfecto naualis victoriæ ad Hellesponti fauces trophæis inclyto non auitam modo sed magnorum Ducum glo-
riam

riam æquaturo nisi Imperatoriæ indolis florem fata ante diem rapuissent Amplissimus ordo hoc virtutis ac fidei supra ætatem admirabilis monumentum P. Anno MDCLXV.

Almerico Estensi Principi.

Quem prima iuventa Ludouicus XIV. Francorum Rex Max. auxiliaribus quatuor millium bellatorum copiis ad Cretense bellum transmissis cum Imperio præfecit parem & quantæcumque fortunæ capacem. Vbi post multa fortiter multa feliciter terra marique gesta præstantis Imperatoris nomen impleturum properante fato interceptum Senatus hoc supremo munere prosecutus est. Anno MDCLXV.

Augustino Forcaturæ Equiti Hierosolymitano.

Viro ingentis animi ac naualis disciplinæ peritia nemini secundo qui ab adolescentia ad extremam ætatem quindecim maritimis expeditionibus barbarorum terror ac piratarum scopulus victricia signa toto Oceano circumtulit, sed Leucade capta atq; incensa, & dificillima Epidauri obsidione præcipue inclaruit, tum celebri illa Tenedi expugnatione, qua Thraci compedes iniectæ sunt, Melitensis classis Legatus intrepidi, & valde pugnacis laudem tulit. Omnesque militiæ Rhodiæ gradus emensus fastigio proximus, & Cisalpinæ Galliæ Prior cum tot trophæis patriam coronasset cessit vita magis suo quam Reip. christianæ tempore, ac magnificentissimo post hominum memoriam funere elatus, victurum in secula nomen extendit.

Antonius & Franciscus B. M. P.

Guliel-

Gulielmo Soberio.

Viro magno & aduersis suis claro. Nam antiquissima Comitum Veramonduorum stirpe generatus, concusso per religionis dissidia Belgio, patriam ac parentes auitę pietati posthabuit, atque in Italiam profectus Patauii in altitudinem sapientiæ compositus, Græcis ac Latinis literis imbutus, idem mundus & frugi, facile fauorem & dignationem nactus, est petita Venetiis patricii sanguinis vxore. Demum in hanc communem patriam concedens admiratione ingenii, ac magnæ fortunæ periculis Principibus percarus in Cardinalis Sacchetti contubernio tranquillissime consenuit.

Alexandro Marchesino Vicentino.

In Veneto foro fide atque eloquentia magnam dignationem intra iuventam adepto, Principum patronorum gloriam facile æquaturo, si quam Iudices, tam fata flectere dicendo potuisset. Simon Ferrarius Fratri Optimo P.

Octauio Sanflorio.

Qui in primariis Venetæ ditionis Vrbibus inter selectos Iudices Prætoriæ cohortis, pari integritatis ac sapientiæ fama ita versatus est, vt egregio clementiæ & seueritatis temperamento, cum omnibus satisfecerit, sibi numquam satisfecisse visus sit, & a publicis functionibus non locupletior, sed laudatior discesserit. Obiit annos natus LXXVIII.

Io: Petrus & Belisarius Parenti optimo P.

Lugęte

Lugete canes caniculæque
Et quantum est catulorum molossorum
Giubarinus
Vestrum delicium
Illuc abiit vnde negant redire quenquam
Illi Cinthius dum aurem vellit euellit
Altera minus audiebat
Qui totus audiebat male
Altero oculo luscus altero lippus
Rostro repando
Hirriens non latrans
Non sagax nec odorus
Sed odore omnes fugans
Pulicum nidus scabiei lasciuia
Foci incola cinerum cubitor
Quondam insani domini amor
Post sapientis
Cum Erigone iussus in Cœlum descendere
Hoc vnum habuit boni
Quod hero placuit
Qui populi ac Patribus placet.

Galeatio Mussato Archipresbitero.

Altitudine animi & consilii præstantia cum paucis comparando, qui Canonicorum iura atque immunitatem ea fide, & intrepidi pectoris constantia tutatus est, vt nec gratia vnquam nec metu ab officio auocatus fuerit, aut deterritus, demum Episcopi demortui vices gerens, talem se præbuit, vt Ecclesiam pastore orbatam nemo senserit, & huius interitu magno præsidio destitutam omnes ingemiscant. Canonicorum Collegium B. M. P. Anno MDCLXV.

Bon-

Bonfilii de Bonfiliis suprema maiorum cineribus condita hic iacerent, nisi eum fata extra patrium solum intercepissent. Nam Cretensi bello loricatorum Equitum ductor egregiis terra marique facinoribus clarus, nec vno insigni, ob fidem, ac strenue nauatam vbique operam a Veneta munificentia decoratus, intra annum trigesimum in Argenteria Aegæi insula militiæ laboribus fractus spiritum edidit, ibidem funeratus. Inani tumulo nomen, incitamentum posteris, sibi triste solatium inscripsêre Achilles & Camillus Fratres

Anno MDCLXVI.

Patri Magistro Ludouico Maiolo.

Qui incertum sapientia an eloquentia præstantior Vrbes, ac gentes torrente oratione ita in se circumegit, vt cum ingens fama eum præcederet, maior vbique inuentus sit. Nam viuidam facundiam vitę grauitas atque integritas & in negotiis expediendis conficiendisque mira dexteritas commendabat. Ita cuius dicendi vim terroremque timuerunt eius beatum silentium mœsti venerantur. Patres Franciscani B. M. P. Anno MDCLXVIII.

FINIS.

